RHETORICAE PAVLLINAE,

VEL,

QVID ORATORIVM SIT IN ORATIONE PAVLLI;

NOTANTE

CARL. LVD. BAVERO, A. M.
SCHOL. EVANG. BENEF. IMP. AD HIRSCHBERG.
RECT.

PARS I.

INVENTIONEM (MATERIAM,)

VEL

RES ORATORIE

TRACTATAS, COMPLEXA:

HALAE,
IMPENSIS ORPHANOTROPHEI.
MDCCLXXXII.

LECTORI INTELLIGENTER AEQVO S.



Qui non amem longas praefationes, nec ſcribere debeo; nec vero aut breuioribus libris congruant longae, quaſi ingens porta Sinopae exiguae:

nec longioribus prolixiores, ne iam ab initio taedium fatiget. Quare paucis monebo, quibus monendis supersedere non detur.

Prodiit ergo, Deo bene iuuante, *Rhetorica Paullina*, promissa a me in Logica Paullina, & redditura, quae, cum essent notanda, minus ibi commode notarentur: & vero tantum non postulata quodam modo in Biblioth. Berol. Append. Vol. 13—24. P. 3. p. 1375. vbi censor aequus atque intelligens comiter sane & ingenue desideraret quaedam de ratione Paulli, quae in hanc Rhetoricam ipse reiecissem & in

Praef. Log. & passim in ipso libro: ad quem & in hac Rhetorica prouocandum vicissim subinde fuit.

Operae pretium an fecerim? etsi non est meum, interpretari: non frustra tamen vacasse videor vel instruendae quaestioni, haud quaquam leui aut facili, aut superuacuae: Sitne orator Paullus, & qualis? vel aperiendis fontibus disputationis argumentationis, *pectorisque* Paullini: vel, si nihil aliud, interpretando apostolo: quo tertio consilio vsuque contenti fruantur, qui forte putauerit, illis duobus vacandum non fuisse; quae tamen nec dog-

matica ratio, nec concinatoria vtilitas plane repudiarit.

Quia tamen, Rhetoricam explicanti & perſequenti Paullinam, ordo quidam & *formulae* deſcriptae ac ſolidae continuum veluti filum ſequendum erat; fateor, quod & res doceat, me ſequendum duxiſſe & elegiſſe Ven. *Erneſtii* (iam Beati, & hic tamen vsque victuri,) *Rhetoricam*, vt conſentaneam maxime optimis veterum praeceptis atque exemplis, &, vt ſunt omnia Viri Illius, ſimpliciſſimam, veriſſimam, vſibusque liberaliter aptiſſimam: non, quam repeterem, ſed cuius

ius ordinem ſecutus, ſummis rerum capitibus admonerer, ſequendaque lectoribus praemonſtrarem, quae, meo vnice modo, ex veterum ſenſu, & materia ipſa in Paullo ſuppeditata, libere diſputarem.

Quibus autem videbor forte, immo haud dubie, tenacior fuiſſe capitum praecipuorum formulae Chriſtianae, quorum fidem atque auctoritatem infractum eat haec, quae praeceteris hanc aetatem inuaſerit & ſollicitet, nouandi omnia libido: hos cogitare velim: primo: nondum illa eſſe excuſſa nobis, qui iſta retineamus,

aut labefacta istorum dubitationibus, vt repudianda appareant; quod contra esse, plurima a me allatorum forte docere queant: deinde, me plane abstinuisse & *acerbitate* omni, & *cupiditate* omni dogmatica, quae ideo inueniat dogmata in libris sacris, quia optet velitque inuenire: quam adeo non amare doceat patiaturue liberalitas exegetica disciplinae Ernestianae, cui a teneris primitus innutritus assuerim, totumque addictum, sciant, qui me norint, vt diffidere vltro illi monstret, & ab interpretanda scriptura vnice pendere. Quare nunquam equidem tribui multum aut vocaui dogmaticis libel-

bellis aut libris, praeter liberaliſſimas & hiſtoricas Buddei Inſtitutiones: nec dogmaticis argumentis, ſed exegeticis, verborum vſus, tenoris, locorumque aut re aut verbis ſimilium argumentis & hic pugnaui: multis ingenue conceſſis, quae poſſent: ſumma tamen ſalua & retenta, quam non liceret aut non videre, aut diſſimulare diligenter liberaliterque & ſine cupidine interpretanti; qua quidem cupiditate non magis vacent, qui noua obtrudant nobis, quam qui vetera mordicus teneant. Denique, quod aliis liceat, vt ſenſu abundent ſuo, id & mihi licere, nondum in diuerſa tradu-

cto, ſecta horum temporum, ſi conſtare ſibi voluerit, ferre debet:

Nimirum hanc veniam petimusque damusque viciſſim: Horat.

Nec vero cuiquam ſuccenſebo, immo gratiam vltro habebo, a quo meliora vere edoctus fuero: dum id fiat ea moderatione, quam poſcat huius aetatis commoditas & ciuilitas, certe iactet: qua & ego ipſe vſus, nulla inſectandi acerbitate, quantum res pateretur, veniam peto, vbi commotius forte inſurgere aut rerum grauitas aut calumniantium peruerſitas impulerit.

Plu-

Plura quae addam, nunc quidem vix video: Fortunet conatum Deus, probo & ſalubri conſilio datum, & accipiant aequi, qui non calumniaturis, aut inſectaturis, ſed intelligenter & probe exploraturis, & probata atque vtilia adhibituris, ſcripta haec iudicarint. *Bis* forte dicta, alia tamen conditione&occaſione,facilius ignoſci mihi,putarim, quem ſi plane non attuliſſem.

Operarum vitia, quorum potiora in extremo notaui, ignoſci velim humanitatis conditioni, & longinquitati meae ſedis a loco preli. Pleraque neminem turbabunt. Nec Commata inter-

terdum omissa, aut loco non reddita, aut maior minorue interpunctio contra mentem inducta meam, praeterquam quae notaui, aut Accentus Graeci inuersi, quempiam morabuntur. Dab. Hirschbergae, 1782. post Paschale Festum.

DE-

DESCRIPTIO
ET FORMVLA OPERIS.

PARS I.

De Inuentione, vel Rebus & Cauſſis Oratori explicandis.

Cap. I. De Eloquentia vniuerſa, quatenus ſit Paulli, & qualis? Pag. 1—11.

Cap. II. De Generibus cauſſarum, quas Paullus tractet. 11—15.

Cap. III. De Genere Demonſtratiuo: 15—86.
qua laudationem: 15—53.
— reprehenſionem: 53—86.

Cap. IV. De Genere Deliberatiuo,
vel Cohortatione 87—257.
Dehortatione 261—305.
Paullus hortatur
e dogmate propoſito 305.
conſulto 306.

grauiter 307.
vere ibid.
blande 308.
per Ironiam 310.
communicando 311.
seuere ibid.—314.
per sententias 315.
precando 318.
sperando 321.
laudando 323.
— — ironice 332.
liberaliter 333. sequ.
prudenter 338. sequ.
adde Consolationes 342—344.
& Commendationes 344—368
Cap. V. De Genere Iudiciali.
de aequo & iniquo 359—376.
Cap. VI. De Possibili & Impossibili. 377—392.
Cap. VII. De Loco Magnitudinis: 392—436.
ex natura rei 392
— caussis variis 393.
— effectis 408.
— comparatione 433.
maioris, 434.
minoris, ibid.
diuersi. 436.
Cap. VIII. De Affectibus. 441—510.
Cap. IX. De Moribus: Paulli. 511—756.
le.

legentium
aliorum } 649—697.
Dei & Christi 698.

PARS II. (ET III.)

P. II. De Modo & Forma tractandarum causſarum & argumentorum.

Cap. I. De Amplificatione. 1—196.
per Syllogismum oratorium. 3.
Locum communem 8.
Maius & minus vel contra } 26.
Similitudinem 24.
Diuerſum 30.
Sententias: easque
Gnomas, infinitas 38.
Noëmata, finita 58.
Prouerbia 76.
Teſtimonia
Scripturae
argument. & 80.
— interpret 83.
—accommodatione & additamento de ſuo 93.94.
(Teſtim.) aliorum ibid.
Partitionem 95.
vel vno alteroue poſito 118.
Exaggerationem:
iterandis ſynonimis 120.
addenda notione, ipſi vocabulo 143.

Exaggerationem: ibid.
Definitionem 145
Exempla: cum argument. 147.
Similitudinis 157.
Breuitatem ipſam 163.

Cap. II. De Confirmatione & Refutatione 170—221

1) errorum 170.

2) dubitationum: quas

a) a ſe motas occupat 206.
b) tacite repellit. 220.

Cap. III. De Oratione, vel Ordine ac Deſcriptione. 222.

de Exordio, (ab initio & in medio:) eique ſubiecta 224.
Acceſſione ad cauſſam 238.
Beniuolentiae captatione 247.
ταμιεία, vel Reſeruatione 249.
de Narratione ibid.
— Propoſitione 255.
— Partitione 261.
— Tranſitione 263.
— Confirmatione 264.
— Peroratione 265.

PARS

PARS III.

De Elocutione & Verbis.

Cap. I. De Elegantia 269—375.
delectu
popularitate 273.
(vbi & de Parenthesi:) 278.
proprietate; 286.
vigore 288.
ex Epithetis: iisque
a) ornantibus 290.
b) augentibus 294.
— Collocatione:
non nunquam & neglecta. 349.

Cap. II. De Tropis. 376—511.
1. Metaphora 376
Allegoria: quam & relinquit, 435.
a) iungendis metaphoris ac densandis 458.
b) confundendis in vnam, quasi vna 460.
c) propriis & veris metaphorae immiscendis; 464.
Prosopopoeia. 465
2. — Metonymia; eique iuncta 467.
3. — Synecdoche ibid.
4. — Metalepsi 486.
5. — Ironia; cui subiecta 489.

Antiphraſis 493.
Catachreſis 494.
Hyperbole 495.
Mioſis, vel Litotes 507.
Euphemia 511.

Cap. III. De Figuris. 511—760.
1. Verborum: quorum eſt 512.
Iteratio: eaque ibid.
a) ſimplex, vnius vocabuli & ſenſus ibid.
b) inflexa, Antanaclaſis vel Ploce 562.
Epanodos 576.
Paronomaſia: cum Homoeuteleuto 582.
Polyſyndeton 584.
Aſyndeton 591.
Tranſitio ſubita. 600.
a) Ellipſis oratoria, verbi: 601.
b) Apoſiopeſis ſententiae: his diuerſus ibid.
Pleonasmus: ex vtraque conflatur 609.
Emphaſis 614.
Enthymema 624.
Climax, vel Incrementum 638.
2. Rerum 646.

Ae-

Aetiologia 647.
Periphrasis: quae datur 663. Plag. Ss
a) cautioni & moderationi: 664. Tt
b) aetiologiae, ibid.
c) variationi & ornamento 670.
Concinnitas: Antitheſis. 671.
a) coniunctorum & relatorum: ibid.
b) ſimilium & comparatorum 674.
c) diſiunctorum 676.
d) inflexa nonnunquam vel obliqua 688.
Negatio diuerſi 695.
Correctio 727.
Occupatio: (Hypophora, Anthyphora:) 737.
Praeteritio, vel Omiſſio 743.
Oxymoron 744.
Antimetabola 745.
Anticategoria ibid.
Antiſtrophe 746.
Metaſtaſis 747.
Communicatio 748.
Deliberatio 750.
Sermocinatio 751.
Imitatio ibid.
Interrogatio, vel Percunctatio 752.
a) ſuimet
b) aliorum 753.

c) du-

c) dubitationi occupandae 754.
d) pudori incutiendo: non
sine Emphasi ibid.
Hypotypoſis, & (longior) Diatypoſis ibid.
Proſopopoeia 755.
Exclamatio: cui ſubiectum 756.
Epiphonema 757.
Iusiurandum 758.
Cap. IV. De tribus Generibus dicendi. 760-793.
— tenui Genere 761.
— medio 765.
— ſublimi 770.
omnibus ſimul rite mixtis & ſe excipientibus.
Cap. V. De Fontibus Eloquentiae Paullinae. 793—798.

D. B. V.

RHETORICAE PAVLLINAE

PARS I.

DE INVENTIONE, VEL REBVS ORATORI EXPLICANDIS.

CAPVT I.

DE ELOQVENTIA VNIVERSA, QVATENVS IN PAVLLO INVENIATVR, ET QVALIS?

Eloquentia, ex magiſtrorum praeceptis, eſt ars & facultas *dicendi*, vel *ſcribendi*: bona enim vt *ſit* oratio, per ſe, rebus, ſenſibus, verbis, tenendum eſt ante declamationem, & ſpectatur ſine illa; quid enim hodie ad nos, legentes Ciceronis vel Demoſthenis orationem, quo geſtu, qua voce illam egerit? Nec

vero *declamationes* ſolae cenſentur facultate dicendi, ſed & alia ſcripta poetarum, hiſtoricorum, philoſophorum quoque; quod a Cicerone ipſo demonſtratum videbimus Cap. 2. & vero res ipſa docet. Quis enim Platonem, aut Xenophontem, aut Liuium, diſertos neget? Aut Ciceronis eloquentiam quis in Orationibus ſolis quaerat, non etiam in Epiſtolis & philoſophicis ſcriptis? Noſtrorum iſta peruerſitas eſt, cum oratorem audiunt, vel dicunt, vel oratorie dictum, ſtatim ſublime aliquid, ſplendidi & magnifici, velut vnicum & neceſſario, cogitantium; quaſi non & *tenue* ſit ſcribendi genus, aut in ipſis, quae circumſcripte dicantur, Orationibus, ſublimiter omnia, non tenuiter ſaepe & mediocriter, efferantur! Ciceronem audiant, oratoris eſſe, dicentem, *quaecunque* res inciderit, eam poſſe commode dicere, tenuia tenuiter, media mediocriter, elate ſublimia. Quod ideo moneo, ne quis calumnietur, eloquentiam aut nullam eſſe Paulli, quia *Epiſtolas* ſcripſerit, aut, ſi qua ſit, in Orationibus ſolis forte inuenìri. Quare non dicere modo, ſed & ſcribere, oratoris eſt, de rebus ei ſubiectis, id eſt, *moralibus* fere, id eſt, ad iudicia mentis, motus & conſilia voluntatis, ac ſtudia factorum & officiorum munera, ad intelligendi, probandi, expetendi, agendi conditionem relatis: idque *bene*, id eſt, 1) vere, ex rei cuiusque natura, 2) apte, ad rei naturam, de qua ſit dicendum, ad ſuam auditorumque, vel lectorum perſonam, ad cauſſam conſiliumque

ora-

orationi cuique propoſitum, 3) diſtincte ac perſpicue, ad intelligentiam legentium vel audientium: 4) grauiter, eum motu eorum, vt afficiantur, 5) ornate denique, eleganter & copioſe, ad delectationem eorum. Hinc iam tria ejus munera, curas, & quaſi prouincias, faciunt, 1) docendi, id eſt, *a*) explicandi, *b*) probandi ac firmandi, 2) mouendi ac perſuadendi, vel ad credendum, aut non credendum, (quod & *docendi* munus ſit:) vel ad agendum, aut omittendum, (adde, ad expetendum,) vel auerſandum; 3) delectandi: non *per ſe* hoc quidem, aut ſimpliciter vt id agatur oratori ſeuero & graui: quod leue ſit & ludicrum; ſed *relate*, ad illa ſuperiora conſilia, docendi & mouendi, quo facilius & certius ac potentius influant in animos. Horum ergo ſingulorum, & per haec vniuerſae eloquentiae, rationem Paullo conſtare, dubium haud ulli reliquerint cum ſenſu lectae vel Epiſtolae eius, vel Orationes, Act. 13. 17. 20. 22. 23. 25. 26. relatae. Nam, *veritatem* quod attinet, (quam vulgo ponunt extra vim oratoris aut curam,) eam vero vel abiudicari Paullinae orationi, vel in dubitationem vocari, ne fas quidem ſit in viro diuinitus edocto ac monito, Dei interprete, per quem Spiritus S. loqueretur: & aſſerit ipſa ſibi oratio, veritate rei & doctrinae, in dogmaticis diſputationibus & morum praeceptis, quarum formulas firmat vel ex rei natura petitis argumentis, vel Veteris Scripturae teſtimoniis, vel exemplis: narrationum fide ac ſimplicitate, Actor.

13. 22. 26. Gal. 1. med. 2 init. morum notationibus, Rom. 1. 2, aliisque firmamentis, quorum genera notamus & fontes aperimus in Log. Paull. C. 5. Quam quidem rerum ac sententiarum *ipsarum* fidem ac veritatem qui ab oratore abiudicent, aut requiri certe in eo negent, tota in re falli & fallere mihi videntur. Quid enim prosit vis dicendi omnis, nisi ad vera & salubria deducat? Quomodo autem deducat, nisi fide efficienda? Fides autem cui habeatur, nisi viro bono? Bonum autem virum, nisi veracem, qui habeamus? Immo ne callidum quidem! Fraude enim, velut coniuratione, detecta, quod saepe & facile fit, concidit omnis fides, & porro dicendis in perpetuum abrogatur. Vnde & Cicero, oratorem, ait, esse virum bonum, dicendi peritum: & *pectus* esse, quod disertos faciat, monet Quintilianus, & generosos animi liberalesque sensus fontem sublimitatis aperit Longinus: qui sensus teneri sine veriloquentia & fide qui possunt? Sed nimirum, datam illam veri dissociationem, video, veterum rationi: quibus in iudicio senatuque aut ad populum, dicentibus, placeret, non vera vtique sequenda esse cum fide; probabilia tantum & audientibus placitura: vt satis haberet orator, si destinatum effeciisset, iudicioque viciisset, aut sententiam pertuliisset. Hinc leuitas illa, varietas & inconstantia, nunc hoc, nunc illud, probantium aut improbantium, non quod verum per se esset, sed quod causae faueret: quod & praecipit Cicero,

satis

ſatis certe dicenti eſſe, ait, Dial. de Orat. 2, 7. (p. 342. edit. Ern. Hal.) & ius ciuile, quod exagitaſſet, vt contra Sulpicium, in Murenae cauſſa, idem pro Caecina enixe defendit probat, & retinendum diligenter monet: & philoſophiae Stoicae irriſionem, in eadem Murenae defenſione, *coronae* datam ex parte, vltro fatetur Catoni, Tuſcul. Qu. 2. init. Quid mirum, qui neque a Lucceio, hiſtorico, id eſt, rerum ipſarum & veri auctore, petere erubuerit, vt ſua cauſſa *mentiretur*, impenſius ipſum ornaret amorique & gratiae pluſculum etiam, quam concederet veritas, largiretur? Ep. Fam. 5. Quid tribuas iſtis mentiendi auctoribus & magiſtris? Aut quid, v. c. Caeſar crederet Tullio, ſuum & ſenatorum corpora offerenti praeſidium vitae Caeſaris? (p. M. Marc. extr.) Aut cui non ſordeat iſtorum vanitas leuitasque prae diuina & incorrupta fide & veritate Paullinae orationis? Quo quidem nomine vel maxime Ciceronis leuitati praetulerim Demoſthenis illam ſimplicitatem & fidem virilem atque auſteram; qua & Periclem viguiſſe, Thucydides, veridicus ipſe orator & minime ambitioſus, ſed liberrimus vitiorum in ſuis ciuibus reprehenſor, praedicet, vt etiam πρὸς ὀργήν, ira commotior, & cum populi offenſione, dicere auderet: quod & Demoſthenes non veritus, prauos mores, credulitatem adulatoribus promtas aures, famigerationem, ſecuritatem, cunctationem Athenienſium cum Philippi hoſtis laude ſumma, in Philipp. in Olynth. & p. Corona, prae-

fracte notat: & Paullum iſtis aequarim, immo praetulerim: in quo veritatem non eenſeri, qua illi laudentur, quam Quintil. & Longinus vrgeant, quis ferat aut probet? Quam quidem vt ei iam aſſeruimus in Log. Paull. C. 5. ita hic aſſeremus, vbi de *pectore* eius & Moribus, & Argumentatione, Reſutatione, Correctione & Circumſcriptione, agemus. *Apte* autem & accommodate dicere, ad rem cauſſamque & conſilium, ad ſuam audientium vel legentium perſonam & vſum, apparebit, cum videbimus, tenuia illum tenuiter, media mediocriter, ſublimia ſplendide & elate, triſtia ſeuere, laeta alacriter dicere, ſuis auditorumque vel lectorum moribus vti atque inſeruire, ſuis vnamquamque rem argumentis, teſtimoniis, exemplis firmare, errantes corrigere, labantes & dubitantes firmare, afflictos erigere, tumentes retundere, laude digna & dignos probare, vituperandos & praua increpare, omnia denique omnibus fieri, & quaſi ſuum cuique reddere & cauſſae & perſonae; quo & κατ' ἄνθρωπον argumenta pertinent, notata in Log. Paull. p. 299. ſeq. Iam *perſpicuitatem* lucere videbimus in proponendo, explicando, interpretando, diſtinguendo, circumſcribendo & enuntiando. Nec *copiam* deſideraturum, opinamur, qui viderit, quam omnia variando, negando & ponendo, disiungendo, enumerando, partiendo, argumentis e re ipſa, exemplorum ſimilitudine, teſtimoniorum auctoritate, diuerſi comparatione, petitis, ſententiarum locorumque com-

communium luminibus, ſynonymorum item antithetorum, aliaque liberalitate ac veluti denſitate inſtruat. *Elegantiam* vero, non Atticam illam, aut Graecam vtique, (puritas illa eſt linguae, non elegantia dicendi;) ſed, vt Ebraica fere indole dignam, ita polito homini & liberaliter inſtituto, honeſtam, verbis lectam, rerum ſignantem cum vigore & proprietate, antithetis concinnam, figurarum vtique & troporum luminibus diſtinctam, ne ſimiliter quidem cadentibus vacuam, notabimus: plane vt, nil deeſſe illi, appareat, quominus Oratorem vel *egregium* habeamus; quem & *docendi* munere fungi, appareat, eoque vel maxime, in omnium fere epiſtolarum parte maiori, proponendo ac praecipiendo, illuſtrandoque vera ſimpliciter, caute ac circumſcripte; *perſuadendi*, tum proponendo vera & ſalubria, tum firmando argumentis, teſtimoniis, exemplis, dubitationes proponendo ingenue, occupando fortiter, refutando grauiter ac ſubtiliter; tum ad mores & facta cohortando, cum explicatione & confirmatione officii, ad quod cohortetur: *perſuadendi*, cum de *doctrinae* veritate, per argumenta, teſtimonia, exempla, tum de officii neceſſitate, ex voluntate Dei, ex rei natura, exemplis aliorum, vtilitate legentium audientiumue: tum de ſolatii a) magnitudine, b) fide: *commouendi* denique, excitando varios ſenſus ac ſtudia, amoris, reuerentiae, fiduciae erga Deum, miſericordiae in alios, poenitentiae, doloris, pudoris delictorum, odii in

improbitatem, improbos quoque, certe vt caueantur, metus poenae diuinae & ſummorum bonorum iacturae: Spei diuini auxilii, & felicitatis aeternae: quae deinceps ſingula notabuntur. *Oblectandi* autem, & placendi elegantia orationis, memorem, diligentemque haberi Paullum, alienum fortaſſe videatur, cum ab eius grauitate ac ſimplicitate, non virili modo, ſed plane diuina, & ab auctoritate legati diuini: tum vero ab ipſius profeſſione, 1 Cor. 1, 17. 2, 4. 13. Gal. 1, 10. inprimis 2 Cor. 11, 6. vbi ſe vocat, & concedit eſſe, ἰδιώτην τῷ λόγῳ. Sed enim, primum quod attinet: a ſimplicitate & grauitate alienam qui dixerit elegantiam, Demoſtheni idem eandem neget, cuius ſumma vbique eſt grauitas & ſimplicitas. Legati autem diuini perſona indignam qui putet, videat, ſatin' pie affirmare liceat, horride atque iniucunde loquendum eſſe interpreti Dei, immo ipſi Deo. Ieſaiae idem meminerit, vt vnum, inſtar omnium, ſtatim occupem: Pſalmorum idem Iobi, Canticorum Moſis, Exod. 14. Deuter. 32. quorum ea eſt oratio, cuius elegantiam, Ebraico more quidem & Orientis, ſed figuris vigentem & copioſam, imaginum & pulchritudine & copia lucentem, antithetis apte cadentibus, non magis liceat indignam cenſere viris diuinis, quam diſſimulare; eo quidem minus, quod ne Chriſtus quidem, Dei filius, Deus ipſe, refugit imaginum ſimilitudinum, ſententiarum, figurarum decora; quod ſatis notum, ediſſerere nil attinet, & ſatis notatum

eſt

eſt a Glaſſio in Rhetor. S. Profeſſionem quidem Paulli, pertinere, & verba ipſa & res, & tenor loci docet, non ad orationem: quam in Epiſtolis grauem & valentem ipſi aduerſarii faterentur, 2 Cor. 10, 11. Nam illa ſapientia humana, illae ad perſuadendum aptae rationes, (hi enim ſunt λόγοι, non *verba*, ſed argumenta;) pertinent partim ad Iudaeorum commenta, partim ad Philoſophorum paganorum inuenta: & opponuntur ſapientiae & doctrinae diuinae de Chriſto, non humanis viribus agnoſcendae, ſed auxilio eiusdem Spiritus S. qui illam patefecerit & ſuggeſſerit; de verbis ibi ne verbum quidem! Niſi forte 2 Cor. 11, 6. vbi ſane λόγος opponitur τῇ γνώσει. Sed neque hic elegantiam dicendi agnoſcere poſſum, ne ſic quidem, quoad cenſeatur non linguae Graecae puritate, (de qua ſermo hic eſſe nequit, cum id opprobrium coniectum ſit in Paullum a falſis apoſtolis, 10, 10. quibus ſeſe concedere quidquam vſ. 5. neget: qui cum eſſent ipſi Iudaei, adeo non deſiderarent in Paullo elegantiam Graecam, vt, ſi eſſet in eo, crimini vltro darent:) ſed vocabulis lectis, aptis, translatis, concinne reſpondentibus aut oppoſitis. Etenim, ſi Epiſtolae Paulli poterant habere iſtam δεινότητα, cui non modo non repugnarent iſta lumina, ſed & fauerent: quid obſtat, quo minus iisdem & eadem viguerit & praeſentis oratio ac loquentis, ſiue ſuopte ingenio, ſiue Spiritus S. opera, ſeu vtroque modo? Sed nimirum iſte λόγος aut pertinet ad orationem Paul-

li praesentis, & coram agentis, *corporis praesentiam*, quam carere, dicerent, neruis & pondere, vel ob vocis forte tenuitatem, vel ob aliam quamuis infirmitatem: aut significat, *speciem* famam, rumore, opinione, sermone hominum, eum ἰδιώτην, rudem, habentium & ferentium: quo sensu Nicias apud Thucydidem Lib. 6 iubet Athenienses credere, a Siculis promissa χρήματα, pecunias, λόγῳ maxime paratas, tantum ostendi, iactari, *vere* paratas non esse: & L. 1, caussam belli Peloponnesiaci veram, dicit occultatam λόγῳ, de qua minime loquerentur: vt γνώσεσθαι accipias passiue, hoc sensu totius loci: feror ego quidem, dicor & habeor rudis & imperitus: at non agnoscor: qui me cognorit, haud quaquam talem esse sciet. Cui interpretationi mire faueat, quod sequitur: ἀλλ' ἐν παντὶ δυνερωθέντες αἷς ὑμᾶς. Aut denique, quod mihi praeplacet, significatur, ex 10, 1. ratio Paulli *coram* agendi quasi timide, modeste, velut obnoxie, cum timore & tremore, vt 1 Cor. 2, 3 loquitur: quod ibi notat eius ταμιείαν & moderationem, e vs. 1. 2. non effundentis omnia, parcentis viribus, vt Horat. loquitur, atque extenuantis eas consulto, nec promentis solidiora, 3, 1. 2. cum posset ipse, sed parceret ipsorum infirmitati, vt σαρκικῶν; quare fieret, vt nescire, quae consulto non promeret, videretur, aut certe per calumniam diceretur. Quare, per hunc quidem locum, integrum sit relinquere elegantiam Paullo. Nam Gal. 1, 10. loquitur de ambitione intuen-

tuenda Christi doctrina, vel cum Iudaeorum odio, a se aliena. Quid verbis denique opus est, vbi confidere liceat, & iam nunc denuntiare, rem ipsam, per singulas euntibus verae elegantiae partes, exhibituram euidentissima elegantiae Paullinae vestigia, in vocabulorum delectu, copia, varietate, figuris: non vtique, quod diligenter teneri velim, quaesitae Paullo, aut ad placendi consilium arcessitae; sed ex rerum notionibus & animo eius natae; non e linguae proprietate, sed notionum per se commendabilium, quacunque lingua efferantur, luminibus decorae; non *Graecae* vtique; quis enim, ista conditione metiri elegantiae, immo eloquentiae verae, formulam, cogat? sed qualem caperet ac suppeditaret Hebraici moris, Graeco mixti atque intexti, indoles; cui si conuenit, *Spiritum* & carnem, vitam & mortem, lucem ac tenebras, hominem nouum ac veterem, interiorem & exteriorem, opponere eodem modo, quo Graecis, alia vocabula, idem in re signatura: quid tandem officit elegantiae aut demit Hebraïsmus, eadem concinnitate florens? Immo accedit, ex tali imaginum alacritate, quam tenere proprietas verborum non possit.

CAPVT II.

DE GENERIBVS CAVSSARVM, QVAS PAVLLVS TRACTET.

Cum, sicut in omni opere, ita & in oratorio, duo spectentur, alterum, *quid* tractetur, qua-

quaſi materia operae ſubiecta, alterum *quomodo*, veluti forma: & Paullinae orationis, vel facundiae *materia* primo ſpectanda nobis occurrit: quam cenſeri, dicamus, tribus illis cauſſarum generibus: *demonſtratiuo*, quod rei *honeſtatem laudet*, vel *turpitudinem* deformitatemque *vituperet*: *deliberatiuo*, quod commendet rei *vtilitatem*, vel a nocitura auertat, *ſuadendo* vel diſſuadendo: *iudiciali*, vel forenſi, quod vel omnino, *factum* eſſe aliquid, vel non factum probet, vel *iure* factum defendat, aut minus recte factum arguat: quibus generibus & cauſſis communes eſſe aiunt, & in cunctis dominari, locos, *Magnitudinis* alterum, alterum (*Poſſibilitatis*) eius, quod fieri poſſit aut non poſſit. Huic rationi ac deſcriptioni, e veterum, id eſt vere ac ſummorum oratorum, diſciplina ductae, Paulli orationem aptari, cui incongruum videatur: is aut aliud genus afferat, in quo, hic omiſſo, verſetur Paullus; ſed enim quid afferat, niſi aut dignitatem rei, aut vtilitatem, aut veritatem, aut aequitatem, & his diuerſa? aut oſtendat, non verſari in iis Paullum, neque ea tractata inueniri in Epiſtolis aut Orationibus eius: aut, nullam ei harum partium vacare, & ad illas reuocari, quae diſputarit, omnia poſſe; deinceps a nobis, haud ſane vllo negotio, probatum legat, agnoſcat, ferat! Nec vero omnino alias res tractat, quam quae ſubiectae tradantur officio oratoris, habeantque conditionem *probabilitatis moralis*, vt pendeant a natura rerum, & proponantur hominum

minum cogitationi, iudicio, fidei & aſſenſioni, voluntati & factis, vt vel cognoſcendae, probandae, admirandae, expetendae, efficiendae ob veritatem, magnitudinem, praeſtantiam, vtilitatem, aequitatem, vel contra ea repudiandae pro falſis, turpibus, noxiis & iniquis. Nam, quod *dogmatica* fere tractari Paullo, dixerit aliquis, tenuiter, & *praecipientis* more, non *dicentis*: id, dici non poteſt, quam ſit multis modis & falſum, & cauſſae noſtrae, vt verum ſit, non infeſtum. Nam primo, non ſola dogmata tractat Paullus, ſed morum cohortationes iis non ſubiicit modo, ſed & miſcet atque intexit: vt oſtendi in Log. Paull. p. 375. deinde, haec ipſa dogmata recte tractare atque explicare, vel maxime eſt oratoris: ſiquidem volumus, & *docendi* munere eum fungi, id eſt, naturam cuiuslibet rei, vt ſeſe habeat, explicare ac demonſtrare; quod ni fecerit ac tenuerit: nec perſuadendi, nec mouendi campum ſibi aperiat, aut conditionem ſibi relinquat. Tum Ciceronis auctoritas adeſt, qui, eum profecto, ſi quis alius, ſciret, quae vis, quae prouincia eſſet oratoris, ſub perſona Craſſi oſtendit de Orat. L. 1. init & 2, 5. init. & latius c. 11. 12. & inprimis 3, 6. nullam omnino cauſſam, ne philoſophicam quidem, aut hiſtoricam, vltra fines eloquentiae eſſe proiectam; ſed de omni re propoſita oratorem eſſe dicturum: Platoni enim, aut Xenophonti, aut Thucydidi, aut Herodoto, quis eloquentiam negarit? Aut Ciceroni in Philoſophicis, in Epiſtolis adeo? Quia

Epi-

Epiſtolas Paulli maxime tractamus. Quid enim deſideres? Aut quid alienum ab eloquentia hic dixeris? Vtrum perſpicuitatem explicandi? an ſubtilitatem argumentandi? an vero grauitatem diſputandi de rebus ſummis? Quas quidem maiores profecto Paulli Epiſtolae habent, vt vere ac mere diuinas, ad Dei maieſtatem pertinentes, ad felicitatem hominum veram atque aeternam, quam ullae orationes Demoſthenis aut Ciceronis de republica aut cauſſa ciuili. Nec vero tenuiter illa tantum, (etſi, & hoc eſſe Oratoris, Cicero, & ex re, & Lyſiae exemplo, probat, in *Oratore;*) ſed & grauiſſime atque ampliſſime tractari, poſtea videbimus. Quare teneamus ſane & ſequamur illam veterem diſciplinam, dum meliora dederint recentiores: quod neque effectum ſit adhuc, neque effici poſſe credamus. Et quoniam de *inuentione* rerum, & quaſi ex cogitatione alienum fere hic eſt diſputare; quippe quas aut noſſet Paullus ex Veteri Teſtamento & Spiritus S. & Chriſti monitu, Act. 13, 17. ſequ. Gal. 1, 12. 1 Cor. 11, 23. 2, 10. ſequ. 7, 10. 40. 15, 3. 51. Rom. 11, 25. 1 Theſſ. 4, 15. partim e rerum ipſarum natura, Act. 17, 27. 29. 1 Cor. 7, 25. 10, 15. 11, 14. 14, 13. aut e doctrina ſcholarum propheticarum & Iudaicarum, Ebr. 1, 10. 7. init. 11, 17. Gal. 4, 24. ſequ. (v. Log. Paull. p. 143.) partim ex uſu ſuo, Act. 17, 22. 23. Gal. 1, 2. 2 Cor. 1. init. 2, 7. ſequ. 6, 8. ſequ. 11. extr. 12. init. 1 Theſſ. 2. init. aut ex animi ſenſu & conſcientia, Rom. 9, 1. ſequ. 15, 18. ſequ. 1 Cor. 3. init.

init. 9. init. ſequ. 2 Cor. 12, 12. 16. tel. 1 Theſſ. 2. partim ex ipſa ſcribendi cauſſa, occaſione & conſilio, vt inprimis ad Corinthios, 1, 5. 6. 7. 8. 12. 2 Cor. 2, 8. 10. ſequ. ad Galatas, ad Timotheum, Titum, Philemonem, manifeſto patet: tum vero ex fontibus hauriret illis, quos aperuimus C. 5. Log. Paull. & nunc, pro cauſſae vſibus, attingemus, ad ſingula iam venturi.

CAPVT III.

DE GENERE DEMONSTRATIVO, VEL HONESTATIS ET DEFORMITATIS LOCO ET CAVSSA.

Demonſtratiuum Genus verſatur in *laudando* atque *vituperando*, id eſt, in explicanda, demonſtranda, & voluntati audientium adhibenda rei honeſtate vel turpitudine, quae deinde ad ipſum, qui agat, redundare intelligatur. Eius generis materia & deſtinatio eſt dignitas vel indignitas, conſilium autem admiratio, amor, deſiderium, cura, effectio: & contra contemtus, odium, deteſtatio, neglectio, deuitatio. In hoc genere, in his cauſſis, verſatur Paullus:

1) Qua *honeſtatem* rei vel operis, Act. 17, 22. 23. vbi *laudat* Athenienſium *pietatem*, & numinis colendi ſtudium: non, quod *falſa* numina colant: ſed, quod, vnius veri Dei ignari, vereantur vllam naturam praetermittere, cultu

forte dignam. Quam curam eorum *demonſtrat* ex effectis, ipſi cognitis, quod etiam *ignoto* Deo aram ab iis inſcriptam & ſacratam viderit. Ab hac ſollicitudine eos probat: hanc curam iis inſidere, ex effectis ſibi viſis & oblatis colligit; hactenus εὐσεβεῖν, *pios* eſſe dicit, etſi verum Deum ignorent. Sic enim verba intelligo: ὃν ἀγνοοῦντες εὐσεβεῖτε, quem ignorantes, cuius (etiam nunc) ignari, tamen eſtis pii, omnino, in omnia numina, quae vobis videantur. Neque enim ſatis commode accuſatiuus ὃν iungi videtur verbo εὐσεβεῖν, vt neutro: etſi & Ebr. 11, 27. καρτερεῖν, neutrum & ipſum, regere videtur accuſatiuum, ἀόρατον quae tamen transpoſite intelligenda, vt ab ὁρῶν pendeat, dixi & firmani in Philol. Thuc. Paull. p. 282. ſequ. vbi tamen, p. 81. v. de Neutris Actiue poſitis: vt hic εὐσεβεῖν eſſe poſſit, *colere*, θρησκεύειν, vel εἰς ſuppleri: in quem eſtis pii. Sed, quod linguae vſus ferat, res ipſa vetat. Neque enim *vni vero* Deo, quem Paulus noſſet ac monſtraret, ſed *cuidam* Deo, aram ſacrarant, cuius nomen proprium eos lateret, vt Aio Locutio Romani. Nec vero dignum ſatis Paullo, per ambitionem tribuere illis, quae ne in mentem quidem iis veniſſent, vt vt ipſe ita interpretari *poſſet*. Quare illum alterum ſenſum teneam: Vos, ignorantes vnum verum Deum, tamen eſtis pii: rectius futuri, ſi, me auctore, illum iam didiceritis: cuius monſtrandi vobis illa vniuerſa pietas veſtra, & illa ignoto Deo inſcripta ara, deſiderium mihi

hi iniecit, locumque aperuit: vt optarem, tam religioſos conferre ſuam religionem non in falſa numina & nulla, ſed in Deum vnum verum, neque eum iam incognitum, vt alium illum quemcunque ex illa ara, ſed probe cognitum iam coli cognitione, fide, vero more. Ita & prudentia conſtiterit Paullo, moribus audientium vtenti ad cauſſam, & veritas, non vltra rem ipſam laudanti pietatem illorum. 22, 3. 4. laudat ſuum ipſe ſtudium, quo defenderit antea ipſe Iudaica ſacra: probatque 1) ex natalibus & patria, quam nominat & *illuſtrem* dicit: partim vt ſcire & credere poſſint, ſe notum eſſe Iudaeis, non obſcurae vrbis (21, 39.) ciuem, nec ſpernendae originis: partim, vt agnoſcant, vera a ſe promi, & quae percontari ipſi poſſint, veluti cognitoribus datis: 2) a doctore, cuius nomen edit: viro nobili inter ipſos, celebri, auctoritatis idoneae, ſuperſtite etiam tunc, quin & agente Hieroſolymis, & honorato: Act. 5, 32. 3) ab effectis, quod etiam vexarit Iudaiſmo aduerſus: quod a ſe factum rurſus probat, poteſtate a Pontifice ac Synedrio, quo ipſo teſte & conſcio vtatur, petita & ablata. Quid tandem eſt, oratorie rem probare, ſi hoc non eſt? Nec vero ſui laudandi cauſſa affert, quippe nocitura etiam apud relictos & repudiatos; ſed, vt oſtendat grauem ſibi cauſſam fuiſſe repudiandi defenſa tam enixe, & amplectendi vexata ab ipſo tam acerbe. Quod ipſum eſt generis demonſtratiui, probare conſilium & factum idoneis cauſſis datum, dignis &

decoris viro ſapienti ac liberali. Idem exſequitur eodem conſilio, 26, 4. ſequ. & alia conditione, Gal. 1, 13. 14. vbi inde probat fidem & immutabilem conditionem formulae a ſe propoſitae; & aliter Phil. 3, 6. vbi laudat iſta omnia & extollit, vt *magnitudo* & praeſtantia appareat formulae eius, prae qua iſta repudiarit, iacturum & quisquilias deputarit: vſ. 7. 8. quod rurſus eſt eiusdem lôci, ad laudem, dignitatem, admirationem, amorem. Euangelii praeſtantiam laudat Rom. 1, 16. a) ab auctore Deo: b) efficientia ad 1) ſalutem, 2) fidem & commendationem inde ad Deum: ſine qua ſaluis eſſe non detur. Oratorie ergo laudat: quod idem comparando exſequitur 2 Cor. 3, 6—11. vbi euangelio confert, & poſtponendam docet, legis δόξαν, idque 1) efficientia, legis mortifera, culpae arguente, euangelii ſalutari, vitam veram, ſanctam, laetam, aeternam, beatam monſtrantis, pollicentis, efficientis: 2) ex natura vtriusque: quod lex habeat praecepta, ſcripta ſimpliciter & ſeruanda, nullis, vt ſeruentur, viribus ſuppeditatis; at euangelium habeat, promittat, afferat auxilium Spiritus S. laetum & ſalutare: (vſ. 7-9.) 3) ex perpetuitate & tempore, legis breui & deſituro, qua Iudaeos, formulam ante Meſſianam & typicam & vim minacem: euangelii manſuro, & in hac vita & in aeterna: vſ. 11. 4) ex adiuncto externo, Moſis, legislatoris, ſplendore, corporeo & ceſſaturo, & non tolerando Iſraëlitis, euangelii interno, (morali,) ad mentem pertinente

te vſ. 16. 18. & in dies creſcente, (ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν, vſ. 18.) neque intolerando, aut impediente cognitionem ampliorem, vt in Iudaeis, (per abuſum quidem eorum, non per ſe,) non intelligentibus legem, ſine Chriſto ſpectatam, vſ. 14. 15. ſed contra iuuante & augente, & a metu ac terroribus liberante, vſ. 12. & 18. Quae omnia eo redeunt denique, vt quamuis *magna* legis praeſtantia *nulla* ſit tamen, ſi cum euangelii praeſtantia contendatur. Fidem Abrahami laudat Rom. 4, 17 — 24. quam ornat & probat 1) ex ſapientia Abrahami, confiſi diuinae a) potentiae, quae, cum mortuis vitam dare poſſet, &, quae non eſſent, producere, etiam filium dare proiectis aetate poſſet: (quae ratio valet a maiori ad minus:) b) veritati, non promiſſurae, quae reddere aut non poſſet, aut nollet: quod oratorie ſatis eſſent vſ. 21. per gnomen & locum communem. Ita ad *honeſtatem reuocat* Abrahami factum, (ἄγει εἰς τὸ καλὸν,) non ſtolida opinione aut vana innixum, ſed promiſſis Dei et attributis, rite ac firmiter cognitis: 2) ex rei difficultate, quae plane fieri non poſſe videretur in parentibus iam effoetis. Quae duo inter ſeſe collata, rei per ſe ſpes et conditio nulla, et Dei ex altera parte potentia non ſola ſed et promiſſum eius exhibendae, locum faciebant magnitudinem fiduciae exprimenti verbis grauibus: corroboratus eſt (firmum ſe praebuit) fide: inuictum fiduciae robur et cepit et exhibuit: quin oxymoro quoque: praeter ſpem in ſpem: ſpe nulla ex re,

ſpe firma ex promiſſo et potentia Dei. Mortem Chriſti et beneficium Dei laudat Rom. 5. init. 1.) ex *effectis*: quod afferat a) tranquillitatem, e fiducia Dei placati et propitii: b) alacritatem in malis grauiſſimis: 2) e cauſſa, amoris, et liberali plane ac generoſa, et vero certa, e qua nil non ſperetur: v. 6. cuius praeſtantiam commendat ex eo, quod *pro impiis* et *inimicis* mortuus ſit Chriſtus. Quod illuſtrat comparando, et gradatione, vel incremento oratorio, per locum communem: ipſum illud, mori pro aliquo, eſſe amoris magni, etiamſi fiat pro homine innocenti, vel pro re honeſta, iuſta et aequa: quod ipſum raro ac difficile fiat: (infrequentia autem rei magnitudinem loquitur, ex difficultate;) nedum pro impio, prauo, hoſte; 3) comparatione cum delicto Adami, vſ. 15. ſequ. Adamum ex *vno* delicto, per *vnam* culpam, induxiſſe culpam in omnes et mortem: ait Chriſtum, ex multis et multorum delictis reddidiſſe fauorem Dei, veniam, integritatem, felicitatem. Eundem Dei amorem illuſtrat 8, 29. cumulatis in vnum beneficiis, amandi, abſoluendi, omnia beneficia offerendi, Chriſto ſimiles reddendi, beandi. Iſraëlitarum decora felicitatemque ornat 9, 4. 5. quod ſint Iſraëlitae, poſteri Iacobi, tanti patriarchae, populus Dei priuus, at prae ceteris gentibus Dei filii praedicentur, quod habuerint δόξαν, ſigna diuinae majeſtatis, in eorum templo, coetu, omni republica, ſeſe exhibentis, foedera et formulas Dei, cum veterem, legis a Deo promul-

mulgatae ſolis, et nouam, Meſſiae apud eos deinde et ex illis nati, inter eos verſati: promiſſum eius aduentum, ex ipſis prodituri: cultus diuini formulam, et ab ipſo Deo, et ſolis, praemonſtratam et addictam: ſed ante omnia Chriſtum ipſum, qua humanam naturam ex ipſorum maioribus oriundum: quod quantum ſit illuſtrat et auget addita eius *diuina* natura: quam Chriſto hic aſſeri, nec doxologiam eſſe Dei omnino, vt et ſuperuacuam hic, neque aut aptam dolenti, neque ita abſolute interpoſitam, immo infertam, vel ipſum conſilium Paulli loquatur, Iudaeorum prae reliquis praeſtantium laudaturi. Principum et magiſtratuum vel imperantium dignitatem illuſtrat 13, 1. ſequ. 1) ab inſtitutione, origine, auctoritate diuina: quod et *omnino* imperetur, et principes ſint volente Deo, qui, efficiendo, vt teneri ſalus hominum ſine principibus non poſſet, velle ſeſe oſtenderit, vt eſſent tales: et *proprie*, vt hi vel illi, hoc alioue loco aut tempore: addit enim: *qui ſunt*, principes, a Deo ſunt inſtituti: 2) amplitudine muneris, vſ. 4. quod ſint a) vice Dei, conſiliorum eius miniſtri: b) malorum vindices, ad ſecuritatem publicam, et iuſtitiam exercendam: c) poteſtate armati in caput et vitam hominum ipſam: Quae omnia magna eſſe pateat, et reuerentiae plena. Ibid. vſ. 13. rel. honeſtatem pietatis Chriſtianae illuſtrat imagine *diei*, ob lumen ſapientiae, virtutis, felicitatis: cui ſit congruum, et ipſis decorum, relicto inertiae ſomno, luce dignos ſenſus mores-

que, vt veſtes forenſes, aſſumere atque exhibere. Muneris ſui dignitatem demonſtrat C. 15, 16—19. ex eo, quod ſit *Chriſti miniſter*, λειτουργὸς, ſacerdos, qui efficiat, vt omnes populi Chriſto conſecrentur et placeant: vnde apparet, λειτουργὸν hic eſſe ſacerdotem, qui curet προσφορὰν, populorum, Deo placituram, ſi ſe illi tradiderint per fidem Chriſto habitam: deinde ex *auxilio* Dei, adiuuantis opus ſuum, ſibique gratum monſtrantis, virtute et efficientia Spiritus S. ipſi accommodata; *effectis* denique, quod tot regiones impleuerit doctrina euangelii, inde ab Hieroſolymis et Iudaea ad Illyricum, ab Oriente in Occidentem, ab Aſia in Europam. Cap. 16. multos laudat ex officiis 1) plurimis, vſ. 6. 14. 2) in plurimos editis, vſ. 2, 4. vel cum periculo, vſ. 4: Chriſti cauſſa, ἐν κυρίῳ quod ſint primi Chriſtianorum, ἀπαρχὴ, vſ. 5. quod habeat, vt *difficultatem*, ita *laudem* fidei maiorem: ipſo ſeſe priores, vſ. 7. 1 Cor. 1, 4—8. laudat Corinthios a cognitione et intelligentia doctrinae et prudentia recte agendi: a fide firma, qua amplexi teneant Chriſti doctrinam: a felicitate inde oriunda, et in hac vita, vt nullo vero bono careant, et qua illam, vt laeti exſpectent Chriſti (ἀποκάλυψιν,) aduentum. Atque ita tamen laudat, vt ad Deum referat, cui ob ea gratias agat. Cur autem effuſe adeo laudet reprehendendos per Epiſtolam omnem, videbimus, vbi ad *Reprehenſionem* ventum fuerit. Et tamen Dei magis beneficium, quam compotes eius, lau-

laudat. Euangelii praeſtantiam laudat vſ. 20. ſequ. 1) comparatione humanae ſapientiae, quae iam prope euanuerit, & ſtolida apparuerit: a) ſalutari, vſ. 21. quam rurſus exhibere non potuerit hominum ſapientia; cur enim *illam* ſalutis viam monſtraret Deus, *haec* ſi pateret: b) magna, perfecta, ad omnia bona pertinente, vſ. 24. & 30. offerente, firmante, efficiente ſapientiam, commendationem apud Deum, liberationem culpae & poenae, virtutem & ſanctitatem, c) inopinata, ob tenuitatem & humilitatem (externam) α) auctoris, ignominioſo crucis ſupplicio affecti, vſ. 23. β) rerum, quae hominibus ſtultae ac tenues videntur, vſ. 21. 23. 25. γ) aſſeclarum, imperitorum fere, ignobilium, contemtorum, vſ. 26. 28. Coelibatum laudat 7, 32. — 34. 1) ſecuritate & tranquillitate: 2) ab otio vacandi rebus diuinis: non, quin & mariti vel coniuges poſſint iis vacare, aut Deo probari; ſed quod *magis* illi poſſint, ἀπερισπάστως, ſine interpellatione & auocamentis; vt & paucioribus curis diſtricti, & leuioribus, *comparate* enim iſta intelligi, par eſt. C. 10. tot. memorat ſuam ipſe diligentiam, abſtinentiam, moderationem: non iactantia; ſed ſalubriter moniturus. Oſtendit autem facti honeſtatem 1) ex eo, quod potuerit aliter facere: vſ. 1, 4. 5. 6. quia a) fruatur libertate euangelica; b) aliis apoſtolis idem & liceat, & vero vſurpetur; quos non ideo culpat, quod ſint vſi permiſſis; qui enim poſſet? ſed tamen ſeſe, cum vtrumlibet

liceret, ſecutum eſſe tutiora & magis decora; ibid. c) quod ſit aequum, minimeque inuidioſum, petere ac percipere commoda; quod probat amplificatione a minori ad maius: vſ. 7, 10. ſi ego, inquit, diuina & coeleſtia commoda vobis attuli: nonne poteram a vobis repetere commoda corporea & terreſtria? d) quod lex idem iubeat, iam in animalibus, vſ. 9. quanto magis in hominibus, vſ. 10. & multo magis in apoſtolis, vſ. 11. 12. e) quod idem fiat in ſacerdotibus Iudaeorum, vſ. 13. 14. ſed tamen ſe abſtinuiſſe copia tam aequa, aliis vſurpata diuinitus permiſſa: 2) ex conſilii liberalitate: a) ne ſumtu feriret Chriſtianos, v. 15. b) ne cupiditatis ſuſpicione officeret doctrinae euangelicae, v. 18. c) quo plures ad Chriſtum verteret illa conſilii liberalitate & commoditate in rebus licitis: partim, quod, obſequio deuincti, & fiducia impleti, promtius admitterent propoſita: partim, quod viderent, nil lucri ſtudio, ſed vero & liberali conſilio omnia, ipſum dare: partim, quo ſeuerius vrgere poſſet neceſſaria & grauiora, ſummam rei, ſi tanta facilitate obſequii vteretur, in quibus poſſet. Hoc ſe recte facere, etiam exemplo illuſtrat, certantium in ludis, ſatis noto Corinthiis, vſ. 24. per rationem ingreſſus a maiori; ſi illos res leuiſſima adeo habet cautos ac diligentes: quid nos in re grauiſſima facere oportet, ſolida praemia & aeterna ſpectantes? Sed enixe inprimis, & quaſi ex inſtituto, *amorem* vel *caritatem* laudat, 1 Cor. 13. tot. praemiſſo etiam ve-

lut

lut exordiolo, 12. extr. quo magis aduertat rei honeſtate & grauitate, praeferenda rebus & ipſis magnis & egregiis, c. 12. deſcriptis & commendatis. Quarum commendationi ſubiicit profeſſionem *maioris* rei; multo praeſtantiorem viam ſe iis monſtraturum: quam ita aperit 13, 1—3. vt res omnes longe maximas & praeſtantiſſimas, *linguarum* vſum, vſ. 1. non *vnius* alicuius, ſed *omnium*, quibus vtantur populi in orbe ſinguli, vniuerſi, angelorum quoque, vel coeleſtium; quod per hyperbolen addit: *fidei* vim mirificam, vſ. 2. cuius *ſtupendum* ſpecimen ponat, vt montes loco mouere poſſit; *beneficia* in pauperes, non rara, aut parca, ſed quae facultates exhauriant: *cruciatus*, tolerandos, quorum acerbiſſimum ponit, & illis temporibus notum, vt in Chriſtianos a Nerone excogitatum, vſtulationis vel flammationis, (Tacit. Ann. 15.) has omnes res, tam ſtupendas, & iis ornatum hominem, *nil* tamen eſſe dicat, ſi caritate et amore ſit deſtitutus. Quae vt grauiter ſane oratorieque effert et *maxima* ponendo, et *ſingula* genera recenſendo, ſumma cuiusque ſpecimina et ter repetendo, nil ſim! in linguarum autem uſu addens: aes ſonorum, et tintinnabulum inaniter ſtrepens: ita, ne fruſtra ponere videatur, cauſſam ſubiicit, (*aetiologiam*) ex 1) effectis amoris, a) honeſtis ac liberalibus, gaudii ex aequitate, ex aliorum commodis ac felicitate, doloris ex iniuria et incommodis, non ſuis, quae leniter ferat, ſed aliorum, ex fuga omnis prauitatis, nominatim arrogantiae, inſolen-

tiae, iracundiae, vindictae; quae vitia, vt sint et turpia et grauia, ita raro et difficulter ab hominibus caueantur: quae omnia et vinci ab amore et eíici, vt salubre, ita honestum sane appareat: b) gratis et commodis generi hominum, quales sunt patientia, laeta sperandi faciliras, veniae parata lenitas: 2) ex perpetuitate: quam ita *negat* vs. 8. *cunctis* illis muneribus egregiis, vt amori *relinquat soli*: ne spei quidem aut fiduciae relictam, vs. 13. tantis virtutibus, cessaturis tamen olim, vt vsu sublato, qui amoris maneat solius. Quam velut iustam orationem claudit epiphonematis quasi peroratione, repetita sententia: *praestat omnibus amor*: vs. 13. Eodem fere modo, c. 14. laudat interpretationem atque explicationem rerum diuinarum, τὸ προφητεύειν: quod quale sit, ipse explicat vs. 3. οἰκοδομὴν, cognitionis incrementum, παράκλησιν, cohortationem ad officia παραμυθίαν, consolationem: quae tria concionantis munus absoluunt, ad fidem, caritatem, spem, 13, 13. Huius excellentiam demonstrat 1) ex effectis, qua res maximas et saluberrimas, sapientiam ex doctrina et cognitione, virtutem, e cohortatione et praeceptis: spem et alacritatem ac constantiam, e consolatione; qua homines, non vnum, aut paucos, sed quam plurimos, cum Christianos, imperitos quoque, id est, *plerosque*, qui non habeant beneficium linguarum, aut interpretandi pronuntiata: v. 16. 24. 25. (vernacula nimirum lingua vel populari, loquebantur prohetae;) tum et non Christianos;

vs.

vſ. 24. 25. 2) ex ipſo decoro, et conuenientia cum linguarum natura, deſtinatione et conditione, qua ſenſa animi aperiantur et intelligantur, vſ. 7. quod exemplo illuſtrat organorum melicorum, quae ſint uſu caritura, niſi diſtincta voce inſonuerint. Auget idem induendo diuerſo, vſ. 11. 16. quam inutile et abſonum ſit futurum, fari non intelligenda; inſanientium quoque ſpeciem praebituros: vſ. 23. apud rudes et impios; 3) ex eorum laude, quibus deſtinata ſit illa interpretatio et doctrina: qui ſint prudentes et pii; cum linguae impiis, nec dum credentibus Chriſto, deſtinentur.

Altera ad Corinthios multum ſane verſatur in hoc Genere Demonſtratiuo: quia id agit, vt ſuum pectus, morem, munus commendet Corinthiis: non iactantia, quam ſtultam praedicat, 11, 16. 12, 11. vtut neceſſitate expreſſam; ſed partim, vt fiducia Corinthios erigat, non tam ſibi, quam ipſis, profutura; qui enim doctrinam tenerent ſatis firmiter, cuius interpretibus diffiderent? vnde, *illis* vtile futurum praedicat, 11, 2. 3. 12, 19. 13, 7. partim, ne Dei cauſſa ipſius laboret apud diffidentes miniſtris eius: 5, 13. ſequ. 11, 2. 3. Huic commendationi quam caute proludat, quam pedetentim admoueatur, videbimus, vbi ad *tractationem* ventum fuerit: nunc rem ipſam tenebimus. Eam iam orditur, degreſſurus tamen, C. 2, 4. ſequ. vbi ſeſe et alios apoſtolos vocat *bonum odorem* Dei: vel a ſacrificiis, Deo probatis; quae ſic fere vocantur, cum

Deo

Deo placent, Gen. 8, 21. Eph. 5, 3. Phil. 4, 18. rel. vel, quod huic loco aptius videatur, a vino bono, fragranti, ἀνθοσμίαν vocat Ariſtoph. in Pluto: quod cùm efficientiae diuerſae congruat, ſalutari in aliis, in aliis noxia et mortifera: tum vero vocabulo καπηλεύοντες, *cauponantes*, vſ. 16. Ergo muneri ſuo tribuit vim diuinam, a Deo ipſo profectam, vſ. 14. et 5, 4—6. ſalutarem, 2, 15. 3, 6. 9. euentu probatam, in ipſis Corinthiis, 3, 1. ſequ. vnde negat, commendatione ſe egere ad illos, vel ab aliis ad ipſos, ibid. ipſos vocat epiſtolam commendatitiam; quia, ad Chriſtum verſi, laudent et commendent vim muneris apoſtolici; Chriſti epiſtolam vocat; quia ipſe Chriſtus eos effecerit Chriſtianos, miniſterio tamen et opera vſus apoſtolorum: vnde eos vocat epiſtolam διακονηθεῖσαν, ab ipſis, (apoſtolis) allatam, perlatam, ad alios nimirum, qui audierint ex apoſtolis, quam vim apud Corinthios exſeruerit Chriſti doctrina: (niſi legere, cum quibusdam, placuerit, ὑμῶν, pro ἡμῶν, vt Corinthii dicantur illam quaſi epiſtolam pertuliſſe, illud opus Chriſti vulgaſſe, celebraſſe apud alios. Hunc porro efficientiam laudat, quod iam ſupra perſecuti ſumus, ab eius ſalubritate et perpetuitate: quo nomine legi Moſaicae praeferatur, C. 3. Quibus effectis addit παῤῥησίαν, alacritatem cum libertate vel libertatem cum alacritate, 5, 12. rel. 4. et 5. tot. cum docendi, ex perſpicuitate et copia cognitionis, 2, 12. rel. tum ſancte viuendi, 4, 1—7. tum mala tolerandi,

vſ. 7.

vſ. 7. rel. ob ſimilitudinem Chriſti, vſ. 10. rel. et ſpem tanto maioris, quin aeternae, felicitatis, vſ. 11. rel. 5, 1—10. ob vtilitatem reliquorum, vt ex morte vel periculis apoſtolorum et calamitatibus, id enim eſt θάνατος, vt vſ. 11. et 1, 10. vbi expl. ἀπόκριμα θανάτου, mortem ſemper intentatam, animo et oculis obuerſantem, et *quotidie mori*, 1 Cor. 15, 31. et, quotidie θανατούμεθα, Rom. 8, 32.) ex his ergo habeant illi *vitam*, i. e. conſtantiam et alacritatem firmiter credendi, ſancte viuendi, bene ſperandi, exemplo apoſtolorum in iſtis malis: alacritatem quoque confutandi aduerſarios, 5, 12. nec cuiquam parcendi ambitioſe κατὰ σάρκα, vſ. 16. ob neceſſitudinem vllam humanam: amoris denique inuicti in Chriſtum, 5, 14. 15. qui morte ſua et reditu in vitam ſibi cunctos aſſeruerit, et in alios, ob ipſum Chriſti amorem, qui omnes iungat et contineat; (nam et hoc ſignificare poteſt voc. συνέχειν,) at pro omnibus et mortuus et in vitam reuerſus: vnde pleno quaſi pectore et ore effuderit hunc animi ſui ſenſum in Corinthios, 6, 11. quod idem fieri ab iis viciſſim, poſcat, vſ. 12. His vbi partim praeluſit commendationi ſui, ſecuturae C. 11. ſequ. partim robur addidit poenae inceſti a ſe irrogatae, C. 2. et veniae iam eidem accommodandae, ex auctoritate ita commendati muneris: iam C. 7. laudat animum Corinthiorum et rationem qua delictum illud inceſti. Quam rationem *firmat* et illuſtrat 1) teſtimonio Titi, vſ. 6. 7. qui ſibi retulerit, quam varie, quam pie moti fuerint,

rint, vſ. 7. 2) effectis, ſibimet cognitis: quae cumulate enumerat vſ. 11. *laudat*que, vſ. 9. 10. partim ex eo, quod diuinitus ſit commotus dolor, et ad Deum referatur, quo offenſo indoluerint; hoc enim eſt, κατὰ θεὸν· partim ex efficientia ſalutari, quam reuocat ad *locum communem*, cum antitheſi triſtitiae (τοῦ κόσμου,) e cauſſis mere humanis oriundae. C. 8. laudat beneficentiam Achaeorum et Macedonum in Iudaeos, vel Chriſtianos Palaeſtinos: perfecto ſane exemplo. Primo ad Deum refert, qui hunc iis ſenſum dederit, vſ. 1. χάριν δοθεῖσαν, et vſ. 5. per voluntatem (benignum auxilium) Dei: quo ipſo et ornat hanc beneficentiam; quid enim egregium non ſit, quod Deus commouerit? et iactam materiam praecidit Deo debentibus cuncta; laudat tamen et ornat, 1) ex eorum conditione, quod fuerint et hoc fecerint a) inter magnas calamitates, quibus poſſent exaſperari, obliuiſci aliorum, occalleſcere ad ſenſum miſeriae alienae, aut credere, ſibimet opus eſſe beneficio: b) in magna inopia, ipſi egentes: qua ſorte oppreſſum aliis ſubuenire, ſit difficile, et re, et animo, et rarum, et animi liberalis, erecti, laeti, alios miſerantis: 2) ex modo, quo dederint; a) quantum omnino potuerint; non citra vires, vt plus poſſent, ſed *ſupra* vires: (ita *augendo* praecedit:) vt ſemet fraudarent neceſſariis: b) ſua ſponte, non rogati: quod plus eſſet, quam, rogatos facere: c) cum multis lacrymis, miſerationi nimirum datis: d) rogantes, vt acciperet Paullus,

et

et perferendam curaret collectam: vltro rogabant, qui rogandi eſſent! e) non humanis de cauſſis, ſed, quod totos ſeſe dediſſent Deo, iam ante illud factum: plane vt ſanctiſſimis de cauſſis feciſſe intelligerentur, Deo parituri ac placituri. Poteratne Cicero aliter ornare? Nec minus ornat et laudat eius beneficii ſequeſtros, Titum et comites eius, vſ. 6. 16. rel. Quod illuſtramus Cap. ſequ. quia, ex conſtitutione, ad *deliberatiuum* genus pertinet. Sed quam caute idem, quam religioſe, quam grauiter idem atque copioſe tractat *ſui* laudem commendationemque, C. 10. 11. 12. Anceps ſane opus, multique diſcriminis, et quod, vt Horat. loquitur, (Od. 2, 1. init.)

incedat per ignes
Suppoſitos cineri doloſo!

Quod et munit ac regit ea diligentia, qua maiori vel ſummus orator nequeat. Nam primo, C. 10. ad *Deum* et *Chriſtum* omnia referenda eſſe, docet, a quo vim ſuam habeat doctrina et munus ipſius, δυνατὸν τῷ θεῷ, vſ. 4. ad cuius cultum reuerentiamque pertineat, vſ. 5. 8. vnde Chriſti, non ſuam, cauſſam agat; deinde, *vera* eſſe, quae ſit prolaturus: idque conſtare inter ipſos Corinthios, vſ. 12. 16. ad quos venerit ac penetrarit, vltra quos euaſerit, in ſuo κανόνι, in ſuo curſu, in ſua dioeceſi & prouincia, diuinitus ei aſſignata: apud quos efficeret, ad quae miſſus eſſet a Deo: vnde iam Deus ipſe commendarit eum hoc auxilio ſuo: vſ. 18. ſibi tamen opus

vti-

vtique esse his allatis, C. 11. quia illis vtile sit futurum, vs. 2. & Christi caussa agatur, vs. 3. a quo illos auerti & auocari nolit, vs. 4. quod illos amet, ibid. Porro abstinentiam suam integritatemque memorat, vs. 7. 12. vnde agnoscant, non minus & a iactantia & venditatione sui improba alienum se esse, quam a lucri studio sese praebuerit: quod contra manifesto satis prae se ferant falsi doctores, contra quos ipsi pugnandum sit. Quod ipsum, vt vere, ita oratorie sane, fecit, vt illos redderet suspectos; non maligne; sed, quia & verum erat, & Corinthiis nociturum, alere eos & colere, a quibus corrumperentur. His praemissis, ad rem venit: precatus, vt sibi ignoscant, vs. 1. 6. quod iam fecisset vs. 1. Sed, plenus sollicitudine, ob illam sui laudandi necessitatem, rursus molliuerat rei acerbitatem, per ea, quae diximus: Iam, quasi fractus plane & confusus penitusque abiectus sensu & pudore iactantiae, per se vtique ineptae, etsi ostendit, stultum non esse in ista necessitate, tam probo consilio, ad Dei maiestatem, aliorum vtilitate, amore commotum, iactare se: tamen paratus est vel pro stolido haberi a Corinthiis, dum ipsum audiant, vera & salubria ipsis, nulla sui cura, promentem: de ipso, vt velint, existiment. Quod quo liberius illis relinquat: negat, se, quae ista conditione promat, κατὰ κυριον promere, vs. 17. i. e. non vt Christianum, quem modestia deceat: neque e praecepto Christi, qui & ipse fuerit modestus, et nos esse

tales

tales velit: neque enim, *diuinitus* iſta promi a Paullo, negari conuenit; ne repugnet Matth. 10, 19. 20. & Chriſti cauſſa, Corinthiorumque vtilitas agebatur; immo hoc ipſum diuinitus monitus dicit, ſe hoc loco κατ' ἄνθρωπον agere, & quaſi peruerſe agere cum peruerſis: (Pſ. 18, 27.) ſicut 1 Cor. 7, 12. & 25. id ipſum diuinitus monitus dicit, quod, carere ſe praecepto Dei, negat: quo ſcil. a legibus diuinis conſilia ſua ſecernat: & haec ergo non dicere ſe, profitetur, e ſenſu Chriſtianae pietatis, ſed quaſi ſtolidum; quia nil tamen ſit iactantia ſtolidius, aut alienius a modeſtia Chriſtiana: ſed enim ſe cogi a Corinthiis, 12, 11. quin aequum eſſe, ſibi hoc concedi; tum, quia ipſum coëgerint, & res poſcat, tum, quod ſoleant perferre ſtolidos, velut ipſi prudentes 11, 19. vbi iam, memor dignitatis ſuae, & veri conſilii conſcius ſibi, cum irriſu, ironice, agit: cum & prudentes vocat, ſcilicet, qui ſibi videantur, non ſint; quippe, cum ſit prudentium, ferre ſtultos, ab illis ferri eos, qui ipſos omni iniuria afficiant, omni commodo exuant, omni contumelia deprimant: quod ipſum ex *inopinato* ſubiicit: quod non videant, qui tam prudentes ſe deputent, quid agant hi, quos tam patienter ferant. Iam ergo exorditur ſui commendationem; ſed ea cautione, vt initio memoret externa tantum, quae, vtut iactata falſis apoſtolis, nihili tamen eſſe ipſi certe, vt Chriſtiani, Corinthii intelligant; vnde illa vocat κατὰ τὴν σάρκα, res externas, adiunctas condi-

tioni humanae, fortuitas, corporeas, ad genus & populum, non ad animum pertinentes: 2) subinde interiiciat atque interpellet semetipse: stolide loqui sese, coactum, κατ' ἄνθρωπον vt, si talia valeant, quae nil plane momenti faciant, ne per haec quidem inferior esse illis inueniatur; addit tamen & *vere* laudanda, ne ex inanibus tantum sibi placere videatur: refert munus apostolicum, incommoda & calamitates, curam rei Christianae, praesens auxilium Dei, & tandem ecstasin, & vitae coelestis sensum spectanti oblatum: vbi rursus non audet semet appellare, aut in prima de se persona loqui: tertia vtitur, velut de alio, auertitque orationem, ne suum ipse os verberet immodestia. Ad extremum, quasi pertaesus rerum a sese alienarum, sese deprimit, 12, 5. omnia ad Deum referendo, cuius in se beneficia praedicande, nil de se, vs. 5. nisi de ἀσθενείαις, calamitatibus & vexationibus, afferat, cetera, visa coelestia & auxilium Dei ac virtutis Christi, Deo transscribat, vs, 9. partim incommoda calamitatesque, velut laudis materiam sibi seruet; vt Cicero, vbi cautius & modestius sese laudat, pericula & iactationes suas, a Catilinariis Clodianisque affert: ita oratorie plane versatur in hac sui laude: grauiter, vera promendo, nec cedendo aduersariis: copiose, omnia exsequendo, per genera & partes, externa, interna, facta, casus, animi sensum, diuina beneficia: caute idem, non probando suam ipse iactationem, & necessariam ostendendo, sed

tamen

tamen ad Deum omnia referendo, ac sibi relinquendo, quae nemo inuideat: cautior profecto Cicerone Nonarum suarum Decembrium iactatore assiduo & molesto: Demostheni, dixerim, proprior, (cuius omnino grauitati, horridiori ac seuerae propior Paullus inueniatur,) defendenti & rerum a se gestarum rationes, contra Aeschinem in Orat. de Cor. vbi par simplicitas eminet, facta narrantis, inuidiam deprecantis, aduersarium vrgentis: haud absimili sane in caussa, cum innocentem in suspicionem adducere Aeschines vellet, ipse improbus & suspectus; acerbitate tamen hic maiori, nec sine conuitiis, quibus fundendis omnino ferus plane horret, & rusticius insurget Demosthenes. Galatarum in se animum laudat 4, 14. verbis plane amplissimis, & fere hyperbolicis: quod vt angelum sese exceperint, quin vt Iesum Christum: quod oculum eruere parati fuerint, quem ipsi darent, si possent: (nempe *dare;* nam erucre ipsi sibi poterant: δυνατὸν pertinet ad *dandi* conditionem: aut sign. si *opus* foret, si ita *oportuisset:*) neque ea facere fastidiuerint, cum Paullus tot ac tantis incommodis premeretur.

Ad Ephesios quoque Epistola versari in hoc genere paene tota non immerito videatur, quia laudat beneficium Dei, per Christum beantis & sociantis omnes gentes. Sed ea referimus ad *magnitudinis* locum, vt aptius. At Phil. 2, 5—11. laudat Christi modestiam, & quasi ciuilitatem, (Herablassung,) 1) a persona: cum es-

ſet ἐν μορφῇ θεῦ, Deus ipſe, ἴσα θεῷ (ἴσα pro ἴσος: v. Phil. Thuc. p. 3.) nam, μορφὴν eſſe rem ipſam, quin φύσιν, probatum videbis in Gloſſar. Theodor. voc. μορφὴ, pag. 266.) 2) rei magnitudine, quam, cum poſſet oſtentare, non oſtentarit: quae eſſet maieſtas diuina ipſa: 3) a magnitudine tenuitatis, quam induerit, a) homo factus, neque homo tantum, ſed b) ſeruus hominum omnium miniſteriis promtus, omnium iniuriis expoſitus, contumeliisque ſubiectus; ne id quidem ſatis: ſed c) mortem paſſus: neque eam ſimplicem, facilem, ſed d) crucis ſupplicium, id eſt, mortem acerbam, contumelioſam 4) quod ſua ſponte fecerit, cum eſſet Deus, nec cogi poſſet, et tamen ἑαυτὸν, ſemet ipſe ſponte ſua, ἐκένωσεν, depreſſerit, abiecerit, miſeriis contumeliisque permiſerit, quaſi *inanem* diuinitatis, humilem atque infirmum exhibuerit: 5) ex celſitudine, illam tenuitatem conſecuta: quod iam in coelum euectus, ab omnibus, angelis & hominibus & viuis, & (nunc) mortuis, olim tamen (per ipſum) redituris in vitam, & nunc tamen animo viuentibus, (1 Pet. 4, 6. 3, 19. 20.) adoretur, omnium dominus, cuius maieſtas ipſam Dei maieſtatem illuſtret, quam profecto imminuat, grauiterque laedat, ſi non ſit Deus Chriſtus:) Ibid. vſ. 20. ſequ. Titum laudat, vocando ἰσόψυχον, idem ſecum ſentientem, Paulli & Philippenſium negotia aut ſua curaturum: comparando cum reliquis, ipſorum tantum commodo ſeruientibus: fidem eius operam-

que

que laudando, quam, vt filius parenti, exhibuerit Paullo. Iam Thessalonicenses laudibus ornat meritis, i. e. 1) veris, & vita & fama probatis, 2) vere decoris, veram virtutem solidamque monstrantibus: in prima vtique Epistola, C. 1. 2. vbi, 1, 3. concinne sane omnia comprehendit, quae laudanda in iis ponat: 1) fidem, ἔργον πίστεως· quae possit esse periphrasis *fidei* ipsius ac simplicis: vt quidam Rom. 2, 15. ἔργον νόμου interpretantur legem ipsam simpliciter: sed & ibi opponitur legi *scriptae*, velut *formali*: magis vt notet *vim* ipsam legis, & rem ista forma carentem: vt apud Diogen. Laërt. Praef. init. ἔργον philosophiae, quod apud barbaros reperiatur, opponitur Graecorum philosophiae artificiali, compositae & systematicae: & hic otiose positum ἔργον haud videtur; nam sicut, in altero membro, κόπος τῆς ἀγάπης non est periphrasis ipsius amoris, quia amor ipse non est κόπος, & in tertio patientia spei est patientia profecta ex spe, immissa spei: ita & in primo illo opus fidei est fides vera, solida, (qs. *realis*,) cognitione & assensu firma, factis probata: & ab vs. 5. vbi negat, doctrinam evangelii fuisse apud illos ἐν λόγῳ tantum, i. e. propositam iis tantum, aut ore tantum ac professione externa ab ipsis probatam, aut iactatam; sed ἐν δυνάμει, vt 1 Cor. 4, 20. λόγος & δύναμις itidem in formula euangelica opponuntur,) vt eos redderet certos suae veritatis, fiduciaque (πληροφορίᾳ) impleret, efficientia Spiritus S. Deinde laudat 2) κόπον

ἀγάπης, opera & officia, vt signa amoris, molesta, sumtuosa, enixa: 3) patientiam spei, spe nixam: quae tria absoluant summam formulae vere Christianae: 1 Cor. 13, 13. Haec ita proposita iam persequitur ita, vt fidem quidem memoret, perutulgatam in Achaia, exemplo fuisse reliquis coetibus, quorum & primi ipsi ad Christum accesserint; Amorem vero probat partim ex eorum promto in doctrinam Christi animo, qui ostendat amorem in Deum, vs. 6. a quo ne calamitates quidem eos auerterint: partim ex ipsius amore erga illos, 2, 1—13. 19. 20. non futuro tali, nisi in meritos amore mutuo: quem quidem exhibuerint desiderio Paulli, 3, 6. Patientiam denique probat, 2, 14—17. quod a paganis & Iudaeis plurima toleraverint.

Mitto iam breuiores multorum laudes, tantum per attributa honorifica, fidei, amoris, officiorum: vt Rom. 16. vt Timothei, 2 Tim. 2, 10. 11. 15. Ebraeorum etiam ampliores, 6, 10. fidem & amorem, benignitate probatum, 10, 32. 33. patientiam ludibriorum & incommodorum ob Christi professionem: curam, misericordiam, opem in alios eadem passos, ipsum nominatim Paullum: cuius bona rapta gaudio excepérint, i. e. quem bonis exulem, (est enim abstractum pro concreto) laeti ac promti receperint, foouerint, re iuuerint. Verum enim vero, quasi proprie, & ante omnes.

Ad Ebraeos Epist. tota fere est Generis Demonstratiui, vehit ex instituto: qua personam

Chri-

Chriſti, c. 1—8. init. qua munus eius, 8, 3—10. 18. plane vt, ni ſit dogmatica diſputatio, panegyricum Chriſti appellare non verear hanc Epiſtolam: (qualis & ſit Col. 1, 15—20.) Aliter certe perſequi laudes non poterat Panegyriſtes, qua materiam, qua formam. Laudat enim primo Chriſti perſonam, C. 1. per ſummam comprehenſionem, quaſi propoſitis partibus: eſſe, ait, filium Dei, Deo aequalem, auctorem, dominum, conſeruatorem, moderatorem omnium: per ſe, δι' ἑαυτοῦ, i. e. 1) ſuis viribus, quod nemo hominum, nulla victima, nullus pontifex, potuerit: b) ſuum corpus ſemet offerendo, victimarum vice, per quas fuerit repraeſentatus: per ſe ergo effeciſſe, perpetraſſe, (non tantum promulgaſſe, aut ſignificaſſe: quorſum enim additum ſit, *per ſe?*) expiationem delictorum noſtrorum: perfecto expiationis opere abiiſſe in coelum, parem Deo maieſtatem ſortitum. Haec tria iam perſequitur: 1) eſſe filium Dei, eo ſenſu, ea conditione, qua ne angeli quidem ſint: quorum nullus aut *ſimpliciter* ita ſit appellatus, aut tam honorifice, vt *natus* a Deo diceretur. Magnitudinem ergo eius oſtendit, a) ex nomine filii, ne angelis quidem ita tributo: vſ. 4—6. b) e cultu diuino, ab ipſis angelis ei reddendo: vſ. 6. c) e nominibus, attributis, operibus mere proprieque diuinis: vt Deus vocetur, vſ. 8. vbi ipſe Meſſias, quem alloquitur Dauid, eſt idem Deus, quem vna eademque ſecunda perſona alloquitur: vt ſit aeternus, vſ. 8. 10. 12. rerum effector,

fectos, vſ. 8. aequalis Deo qua maieſtatem vſ. 13. Et haec omnia perſequitur diſerte: 1) comparando angelis, vt ſatis magnis, ſolo Deo inferioribus, & tamen & Chriſto; Deo ergo Chriſto: 2) interrogandi frequentia, grauitate & quaſi prouocatione, vſ. 5. 13. 14. Iam dominum rerum probat, 2, 5. 9. inprimis eccleſiae, cum terreſtris, tum multo magis coeleſtis, τῆς μελλούσης οἰκουμένης, i. e. coeli, quod poſt mortem toleratam ceperit, v. 9. Et c. 3. init. docet, eum, vt filium, eſſe caput ac dominum, quin auctorem, vt omnium, ita maxime coetus pii, vſ. 3. Quod rurſus tractat & illuſtrat per comparationem Moſis, qui, quamuis magnus in illa domo Dei, Chriſto tamen fuerit inferior, vt ipſo auctore omnium, & eius familiae. Quem Chriſtum intelligere qui recuſent, videant, quam lepidam demonſtrationem nobis inducant: Moſi praeſtare Deum! Id enim vero dubitabamus; aut docendi eramus! Periculum enim erat, nequis Moſen Deo anteponeret! Nimirum ad iſtam ἀτοπίαν deferantur, neceſſe eſt, conſulto caecutientes in clara luce! Iam, Pontificem eſſe, expiationisque effectorum, probat 5, 10. quod iam propoſuiſſet 4, 14. cum habeamus *pontificem magnum:* cuius magnitudinem probaſſet eo, quod a) eſſet filius Dei, C. 1. b) coelum intraſſet, C. 2. probat autem C. 4. propoſita notione pontificis, quem dicit 1) conſtitui & creari, 2) ex hominibus, 3) pro hominibus, ad expianda delicta. Haec omnia ita confert in Chriſtum, vt

per

per omnia tamen potiorem & ſuperiorem ſiſtat Iudaeorum pontificibus: primo qua inſtitutionem, creationem, deſignationem, quam ita habeat communem cum illis, vt non ipſe fecerit ſemet Pontificem, ſed Deus, qui dixerit ei: Tu es filius meus: hodie genui te: vſ. 5. Quae verba, tali tenore, videantur ſane pertinere ad inaugurationem Chriſti in munere pontificali: quo ſenſu & accipiuntur a Patrum plerisque, nominatim Theodereto; manifeſto obſtante cum Pſalmo ipſo, vbi nulla mentio muneris pontificalis, vtut per ſe regio iuncti, de quo ibi agitur, vt ſit in eadem perſona, diſtincti tamen re ipſa: tum Ebr 1, 5. vbi ex hac appellatione Chriſti efficitur praeſtantia eius prae angelis, non profecto ſecutura ex ſolo munere pontificali. Et tamen per eiusmodi praedicata, maxime participiorum, efferre Paullus ſolet rationem, cur facta ſit res, & qui ſit facta: (v. Log. Paull. p. 56. lit. β. & p. 160.) & Ebr. 7, 21. διὰ τοῦ λέγοντος πρὸς αὐτὸν, & Ebr. 10, 32. ὄιδαμεν γὰρ τὸν εἰπόντα. Quid ergo? Nempe hoc ipſo, quod Dei filius verus eſt Chriſtus, cauſſa continetur, quod ſit verus & ſummus pontifex, delictorum expiator, quid facere poſſit *per ſe*, Ebr. 1, 3. ſemel, pro omnibus, in perpetuum, valiturum, 10, 12. 14. qui fuerit ideo homo factus, 2, 14. 17. vt ſatisfaceret pro nobis: qua ipſa conditione humanitatis adſcitae vocatur filius Dei, Luc. 1, 35. ſicut & propter dignitatem ſummam & regiam, Luc. 1, 3. coniunctam, in eadem per-

ſona, cum ſacerdotali munere, Ebr. 1, 3. 10, 12. 13. quorum nil habeat, ni ſit verus Deus: Ebr. 7, 26. 3, 3. 4. Cum ergo tam varia conſequerentur ex eo, quod Chriſtus Meſſias, expiator, interpres, verus eſſet filius Dei: quidni vteretur iis Paullus e conſilio diſputandi? cui praeſertim mos eſſet, adhibere vnum eodemque locum vario conſilio, varia conditione; quod probatum dedimus in Log. Paull. p. 319—321. vbi allatis addatur hic ipſe locus: ex quo ſupra probaſſet diuinitatem Chriſti, hic pontificalem dignitatem, quae dari alii non poſſet illa carenti: datam ergo *ob* diuinam naturam per humanam ei indutam; quam ideo ſumeret, vt pro nobis moreretur: 2, 14. 10, 20. & per aſſignationem muneris expiatorii, cui iam par eſſet, vt idem Deus & homo. Quare iam vtitur Paullus *ea* conditione, quae penderet & conſequeretur e vera diuinitate Chriſti, ex hoc ipſo loco probata, 1, 5. ſicut Pſ. 2. vnde ducta ſunt verba, inde repetitur regia Chriſti dignitas, quae ibi circumdatur ei, & hominibus demonſtratur: coniunctiſſima illa, vtut non vna aut eadem, cum pontificali munere expiandi: quod & Moſes, princeps idem, cum proprie ſuſtineret, Aaroni, diuinitus, pro ſe, ſuam vicem, delegauit: vnde Chriſtus, qua *pontificis* dignitatem, Ebr. 3, 2. confertur cum Moſe, *principe* populi, & fidus ac promtus Deo, vt Moſes, fuiſſe dicitur τῷ ποιήσαντι αὐτὸν, qui eum *fecerit*, nempe pontificem, principem, dominum eccleſiae: non fa-

facturus, niſi eſſet verus filius, vſ. 6. Quare in illo loco Chriſtus ex his verbis probatur vere eſſe filius Dei; hic autem perhibetur deſtinatus, deſignatus, demonſtratus, inauguratus muneri, cui impar foret, ni filius Dei foret: quod ſoli, vt Dei filio aptum, deberetur; plane vt alibi nunc *eſſe* dominus dicitur, per ſe nunc *factus* & deſignatus, conſtitutus: nunc ſemet in vitam reuocaſſe, idque poſſe per ſe, Ioh. 2, 19. 10, 11. 19. nunc a patre in vitam reuocatus: & quae alia, pro diuerſa Chriſti conditione, ſimpliciter poſita, componi & conciliari, niſi per θεανθρωπίαν, non poſſint, hac vero agnita, facile eximieque conſentiant. Quare, cum eſſet filius Dei, poterat &, pro varia conditione, cui inde par eſſet atque admotus, eo nomine dici, & ea conditione inde repeti; idem enim eſt ſemper, quocunque nomine, quacunque conditione veniat: vnde & humanitati eius redduntur diuina. *Conſtitutum* ergo Chriſtum pontificem, probat; *functum* eſſe eundem munere illo ſuo, vſ. 7. 8. precando Deum, tolerando incommoda, moriendo & in coelum abeundo, (τελειωθέντα,) ſalutem & felicitatem aeternam nobis parando, cuius ſit (non doctor tantum atque interpres, ſed) αἴτιος, cauſſa, effector. Verum haec, obiter interim memorata, ac velut occupata, certe commonſtrata, latius deinde perſequitur C. 9. 10. acturus antea, vt par erat, de *perſona* Chriſti: quam laudat & ornat comparando a) cum Melchiſedeco, C. 7. b) cum Leuiticis ſacerdotibus,

bus, 7. extr. Melchisedeco ergo confert primo ita, vt, *ius* & *conditionem* esse conferendi eius cum Christo, ponat, e testimonio scripturae, (Ps. 110.) 5, 10. quo & nos moner, ne temere nobis indulgeamus comminiscendis typis ac figuris, sed intra ea contineamur, quae ipsa scriptura diuinitus monstret tali conditione. Hanc ergo similitudinem, Spiritus S. monitu commonstratam & auctoritate firmatam, persequitur primo ex nomine, c. 7. a) ipsius, quo vocetur rex iustitiae, i. e. rex iustus ipse & qui alios efficere iustos. b) loci, cuius rex esset, Salemi, quod *pacem* notat. Quae, quod directo aut diserte non vertit in Christum, eo omisit, quod non id maxime agebat, acturus de sacerdotio Christi; vt ipsa tamen interpretatione doceat ac moneat, Christum, Melchisedeco comparatum, esse 1) regem, eoque ipso maiorem Pontificibus Leuiticis, vtqui adeo reges non essent, vt etiam a regibus deinde creati instituerentur: 2) iustum, sanctum, & per se, & qui alios, qui suos ciues, eodem perducat: 3) regem pacis, i. e. auctorem & largitorem omnis felicitatis & tranquillitatis ac veri boni. Cetera vberius exsequitur: aeternitatem, Melchisedeci typicam tantum, cuius nec parentes, nec vitae initium aut finis memoretur, quasi semper exstiterit, semper sit exstiturus; magnitudinem deinde, grauiter plane, cum commonstratione oratoria: *videte*, *quantus* sit ille, cui Abrahamus, talis vir, ipsorum sacerdotum Iudaicorum progenitor, decimas dederit. Quod

fir-

firmat ſyllogiſmo, quaſi per locum communem, aut, ſi mauis, loco communi, velut per ſyllogiſmum: dubium non eſt, quin is, qui det decimas, ſit inferior accipiente: quod nimirum decimae dantur conſecratis Deo, qui non Leuitas modo, ſed, quod multo magis huc pertinet decimas ipſas, ſibi ſacraſſet ac vindicaſſet, quas ei redderent compotes & damnati votorum, vt Iacobus Gen. 29, 21. vt vere, proprie ac primitus, *Deo* darentur; (cuius hic iura uſurpando Melchiſedecus, accipiendis decimis, Deum plane ſignet Chriſtum, cuius figuram ſuſtineat:) a quo Deo, Iſraelitarum rege aſſignatae ſunt deinde Leuitis decimae & conceſſae, ſtipendii loco, & in victum: ſicut & victimarum, itidem ipſi Deo ſacratarum, partem iis veſcendam concedebat; ne quis hoc trahat ad nimiam Leuitarum, vel omnino eccleſiaſticorum, venerationem, cum contemtu principum & maieſtatis ciuilis: vt, ſatis arroganter, pro more nimirum iam tum gliſcente, Theodoretus ad h. l. Neque enim Melchiſedecus, ut Chriſtus, ſacerdos tantum, ſed & *rex*, erat: cui decimas offerendo, non ſemet tantum, ſed Leuitas omnes & ſacerdotes, progeniem ſuam ſubieciſſe demonſtratur Abrahamus: ſcilicet non Melchiſedeco vere, quisquis ille fuit, ſed Chriſto, cuius ille figuram ſuſtineret: quem & repraeſentauit bona & felicia non precando tantum, aut prophetice denunciando, ſed *impertiendo*. Id enim eſt, quod Paullus ait, minorem a maiori haud dubie εὐλογεῖσθαι; quod

ne-

neque in precante, neque praedicente at in impertiente, requiratur, diuinum plane & αὐτοκρατορικὸν, Christi typo dignum; quem & exhiberet vitae munerisque tenore perpetuo: quem tamen ille figurate tantum & symbolice praefert, hactenus, quod nec de origine aut natalibus eius, nec de morte, quidquam relatum legitur. Neque enim Christus ipse fuerit; quod tamen per se haud adeo inepte credatur, inserui atque illustrando loco, Ioh. 8, 56. vt *tunc* viderit Abrahamus Christum in illa Melchisedeci specie: nisi hic velut de alio cuncta dicantur, & vs. 3. *assimulatus* esse dicatur filio Dei. Quem iam porro ceteris sacerdotibus potiorem ostendit immortalitate, vs. 16. qua vim vitae indissolubilis, i. e. qui per aeternitatem, & propter aeternitatem, valeat semper fungi munere sacerdotis, deprecando apud Deum, vs. 25. postquam sit semel functus munere expiandi, vs. 27. sacerdotali & ipso, sed in perpetuum valituro, 10, 24. &, ex illa deprecatione semper omnibus profuturo: quod illius loci comparatio doceat. Ex hac aeternitate Christus habet sacerdotium ἀπαράβατον, i. e. nec per se desiturum vnquam, neque illi auferendum vnquam, aut ab eo deponendum: potior eo nomine sacerdotibus Iudaeorum qui essent 1) mortales, eoque 2) plures, vt vno non suffecturo, omnesque adeo omnino minus idonei; cum Christus 1) vnus, 2) in perpetuum, 3) pro cunctis, illud praestiterit: eo quoque potior illis, vs. 21. quod sit institutus, firmatus, demon-

monſtratus per *iurisiurandi* caerimoniam: quod oſtendat 1) maieſtatem ipſius ac dignitatem, 2) muneris grauitatem; 3) et ipſius, & muneris, perpetuitatem atque aeternitatem. Haec ita perſecutus, comparando atque amplificando, claudit & colligit admodum concinna comprehenſione, vſ. vlt. vbi contendit & opponit 1) legem & iusiurandum, lege *poſterius*: quia in Pſalmo legitur, ſcripto poſt Moſaicam legem hoc Chriſti ſacerdotio abrogatam, vſ. 15, 2. 2) homines & *filium*: quid clarius pro diuina Chriſti natura, eaque filii vocabulo deſignata? 3) infirmos prauitate & morte, & perfectum in aeternum, cum per ſe, ob ſanctitatem & maieſtatem, *tum* redditum talem, expiationis opere perpetrato: vſ. 26. 27. Ita exornata Chriſti perſona, *munus* quoque eius laudat, C. 8. 9. 10. quod iam tetigiſſet 7, 11 — 20. quia & ad perſonam Chriſti pertinebat, fungi munere tali, quod non haberet, niſi eſſet eo dignus, & par ei ſuſtinendo: quod non eſſet in Pontificibus Iudaeorum, neque aeternis aut immortalibus, nec vero ſanctis, aut perfectis, ſed culpae & morti obnoxiis: quae *perſonarum* ſane ſint attributa. Sed iam de munere ipſo preſſius loquitur: quod eminere prae Leuitico, doceat, 1) ex eo, quod in hac, *figura* tantum & vmbra fuerit rerum vere diuinarum atque coeleſtium, i. e. a) felicitatis aeternae, b) nouae formulae, eiusque beneficiorum, 10, 1. 8, 5. 9, 9. Chriſtus autem rem ipſam exhibuerit, 8, 3. 9, 11. 24. 10 — 14. 2) quod illa Leuiti-

uitica ratio *abolenda* fuerit, 7, 18. 8, 7. 13. 9, 10. 10, 5. in primis vſ. 9. 3) quod *inualidum* fuerit opus Leuitarum ad expianda delicta: quod probat a) ex denuntiata eius abolitione, 7, 18. 8, 7. 13. 10, 9. non ſecutura, ſi ſufficeret illud: Vbi rhetorice plane argumentatur, propoſitis locis, quae denuntient iſtam abrogationem: quae eſt *minor* enuntiatio argumenti: *maiorem* deinde ſubiicit, immo intexit, per locum communem: Quod abrogatur, & locum cedit nouo, debet eſſe minus perfectum: 7, 18. 19. vbi prior enuntiatio ponitur: prius praeceptum, inquit, (omnino, vniuerſe, non tamen ſine reſpectu & ratione rei, ad quam hic proprie pertineat: quia ſubiicit *ſpem meliorem*, per quam appropinquemus Deo, i. e. fauore eius beemur, ei fidamus:) abrogatur ob infirmitatem conſilii efficiendi: & ſtatim ſubiicit minorem, vel aſſumtionem, vſ. 19. Lex autem, (γὰρ pro δὲ,) nil perfecit, neminem perfectum reddidit, culpa liberauit: add 8, 4. vbi ex abſurdo argumentatur: vitio ſi lex illa rituum careat: alia in eius locum haud ſurrogetur. Et ſtatim reddit approbationem minoris: μεμφόμενος αὐτοὺς, vituperans (Deus) legem & homines ei ſubiectos, contentum eius formula ſeſe negat, aut teneri per eam poſſe verum conſilium. Neque enim de ipſis hominibus queritur in verbis prophetae Deus; ipſam legis formulam accuſat, repudiat, alii ceſſuram, cui figura tantum illa praeceſſerit: quod & Paulli conſilio aptum eſt, de legis ipſius tenui-

tenuitate argumentantis, & vero ipſa verba prophetae loquuntur, *aliud* foedus, aliam formulam oſtendentis ac pollicentis; ſic & 10, 5. 9. vbi, e relatis, argumentatur, vetere ſublato, nouum inducit: & ex incongruo, vt non potuerit Meſſias loqui de *alia* voluntate Dei, ſi vetus illa, legalis, quae tum vigeret, vnice perfecta in perpetuum valeret; ne Dei voluntas pugnet cum voluntate Dei. Sed porro argumentatur 4) ex ipſa legis natura: quod verſetur a) in *figuris*, vmbris, ſimulacris rerum, non in re ipſa: 8, 5. 9, 4. 10, 1. b) in rebus tenuibus, corporeis, externis, nec conſilio Dei, aut rei magnitudine dignis; 9, 10. 10, 1. 4. vbi per locum communem hoc enuntiat, quaſi per axioma & rerum natura inter ſe collata: fieri nequit, vt ſanguis vitulorum & hoedorum auferat culpas delictorum: vbi, oratorie plane, pro vniuerſis animalibus ac victimis, nominet *certa* genera animalium, ignobilium prorſus viliumque, quo ſit maior euidentia rei ob oculos poſitae. Chriſtum autem ſuo ſanguine, (cuius ſanguinis quanta eſſet virtus, ſupra monſtraſſet, magnitudine *ſubiecti*, Chriſti ipſius, propoſita:) *ſuo* ergo, non animalium, non meri hominis, ſed filii Dei, 9, 12. 14. per ſpiritum aeternum, i. e. per virtutem diuinam, *ſeſe* obtuliſſe Deo. Quod firmat & illuſtrat per argumentum a minori ad maius, vſ. 13. 14. non ſine concinnitate, qua opponat a) ſanguinem animalium & filii Dei, duo ſumme extrema; b) puritatem corporis &

conſcientiae. 5) vtitur repetitione atque inſtauratione ſacrificiorum Leuiticorum, ſubinde inſtituenda, 9, 25. 10, 1—3. cum ratione ex incongruo, vſ. 2. dudum finem fuiſſe illis offerendis, ſi quid valerent; at Chriſtum *vno* ſacrificio in *perpetuum*, *omnes*, tam ante ſe natos, 9, 26. quam poſtea: quod rurſus ex incongrui ratione perſequitur: alioquin eum oportuiſſet ſaepiſſime mori, (παθεῖν hic eſt mori, cum ſermo ſit de θυσία: vt manifeſto ponitur 13, 13. vbi per verba, *extra portam*, vrbem, a ceteris παθήμασι diſtinguitur.) Vnde patet: a) Chriſtum ab initio rerum, i. e. ab aeterno *fuiſſe*: ſaepius enim, ait, *ei*, qui ergo iam eſſet, moriendum fuiſſe; b) mortem eius datam fuiſſe non exemplo, aut doctrinae firmandae; quid enim firmaret, quod firmari eius morte oporteret, aut ſine illa non crederetur? ſed expiandis delictis, eorum quoque, qui eum non vidiſſent, aut deinde, re geſta, de morte eius audiſſent: quibus tamen & ipſis quid omnino profit illa mors Chriſti, ſi non ſit vicaria & piacularis, nemo ſanus aſſequi valeat, aut docere laboret: c) profuiſſe & ante eum natis: ſcilicet, vt piacularem; nec tantum ſub Moſaica rituum lege agentibus, ſed cunctis, inde ab orbe condito; ad morum enim legem pertinet, non liturgicam. Cum enim dicit, ſi toties mori vellet Chriſtus, quoties profuturn mors eius hominibus eſſet, ſaepius eum ab origine rerum mori oportuiſſe: quid aliud innuit, niſi, ſemel peractam mortem eius omnibus profuiſ-

fuiſſe, ſemel peractam, ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων, i. e. per omne ſpatium atque tempus, quo fuerit ac futurus ſit orbis terrarum, certe humanumque genus; aut, vt 1 Cor. 10, 11. τέλη τῶν αἰώνων, tempore noui Teſtamenti: velut in medio, retro & porro, valituram, ergo pro omnibus ad culparum abolitionem, ἀθέτησιν, vt, quaſi non admiſſae, non habeant vim iudicialem, reos ſiſtentem: plane vt pro nullis habeantur; ea enim vis eſt verbi ἀθετεῖν, pro irrito & non geſto habendi, clare ſatis, Gal. 2, 21. & negligendi, non reſpiciendi, 1 Theſſ. 4, 8. (v. Biel. theſ. Phil. in hoc voc.) & de lege ipſa ac vi eius, 7, 18. Non ergo ad Iudaeos tantum, qua Iudaeos, Leuiticae legi adſtrictos, ſed ad omnes, omnis aetatis deinceps, (nam retro qui eſſent iis prophetae ſcripſerant; Act. 10, 43. & non-Iudaeos, ſcripſit iſta Paullus & pertinere voluit, quae diſputaret de ſacerdotali munere Chriſti: quod & ἀπαραίβατον vocat eadem conditione, 7, 24. 25. Neque enim Leuitica, qua talis, quoad Iudaeis eſſet data proprie ſolis, fuit aut valuit ἀπὸ καταβολῆς κόσμου. Vnde, Chriſti mortem per ſacrificia, iam inde ab Adami lapſu inducta, repraeſentatam, cunctis inde ab illo tempore profuiſſe, manifeſto hic docet: qui profuturam illis, ni vicaria eſſet & expiatoria cunctis? Chriſtum ergo a) ſolum, vt vnum victimam, 10, 14. (per ſe, 1, 3.) b) ſemel, 9, 12. 26. 10, 12. 14. c) pro cunctis omnium temporum hominibus, 9, 26. 10, 14. obtuliſſe ſa-

crificium pro omnibus valiturum. Neque vero id non loquitur magnitudinem vel Christi, vel muneris eius, vel vtriusque, quod, culpa vacuus ipse, opus non habeat sua ipsius delicta piare prius, vs. 27. vt Pontifices: quo ipso nomine vel maxime, secundum diuinitatem & maiestatem, iis sit longissime praeponendus. Ita ampliter in Demonstratiua caussa versatur hic locus: quam neque infrequentem Paullo, nec leuiter pertractatam, pateat ex iis, quae attulerimus; quibus addantur, ex eadem hac Epist. C. 11. exempla eorum, quos laudet a fidei, vel fiduciae & constantiae alacritatisque e promisso diuino, 1) magnitudine: vt Noachum, qui Deo crediderit de rebus, quas nondum videret, quas euenturas, nullus tum esset existimandi locus, ni Deo crederetur: Abrahamum, qui, Deo auctore, relicta patria, commigrarit in terram alienam, ignotam: qui, filium sibi & Sarae, ita effoetis, futurum, Deo crediderit: qui non dubitarit sacrificare Deo filium vnicum, in quo posteritatis & promissae magnitudinis spes staret omnis: in vitam reuocari a Deo posse confisus: Mosen, cuius parentes non timuerint iram poenamue regis, ipse autem regalem prorsus conditionem spreuerit, rel. Quam fiduciam laudat etiam 2) ab effectis: vt in Abele, quod per fidem Deo placuerit eius sacrificium: quod nominatim, e 12, 24. pertinere dixeris ad sanguinem eius clamantem, Gen. 4. quia, e Ps. 116. mors *sanctorum* curae est Deo: sed & omnino

ad

ad pietatis laudem: in Enocho, quod Deo placuerit per fidem, ſancte egerit, in coelum ſine morte translatus fuerit, in Noacho, quod, nauem molitus ob rem nondum conſpicuam, non ſine irriſu ſpectantium, eius ope ſolus cum ſuis inter omnes homines euaſerit: in Abrahamo, quod & progeniem viderit innumeram, & filium (ἐν παραβολῇ,) e ſummo diſcrimine & praeſenti receperit: in Moſe, quod e mari Idumaeo ſaluos expedierit ſuos: quod augetur diuerſo exemplo Aegyptiorum, pereuntium ſine fide, quia tentabant a Deo non iuſſa: in Rahabe; quod *ſola* ſeruata fuerit: in aliis plurimis, quod maxima & perfecerint & pertulerint. De Chriſti magnitudine & Chriſtianorum conditionis excellentia, quae affert C. 12. ea magnitudinis loco, vt propria, reſeruamus. Vnum adde, quod, Ebr. 13, 3. hoſpitalitatem laudat ex effectis, quod angelos excipere (ſunt ergo angeli;) contigerit quorundam hoſpitalitati: quod, & iucundum ipſis, & decorum, quam grata Deo ſit liberalitas, inſigniter monſtret. Nec vero minus in *reprehendendo* ac vituperando, quae altera pars eſt loci Demonſtratiui, grauiter & cum dignitate verſatur Paullus, qua res, qua homines: & *finite* ac proprie, ad ſingulas cauſſas & perſonas, & infinite & vniuerſe, per locum communem: mixtim tamen plerumque vtraque; vnde & nos ita notabimus: vix enim diuelli ſegregarique poſſunt, vt Paullus dedit. Pontificem Iudaeorum grauiter increpat. Act. 23, 3.

ob inique sibi incuti iussum innocenti colaphum. Primo appellat dealbatum parietem, i. e. hominem specie tantum & asseueratione grauem, cetera leuem, animoque deformem; tum poenam ei diuinam denuntiat; (quam, haud dubium est, consecutam;) cum allusione ad notionem *percutiendi*, quod & *perdere*, vel *occidere* notat: caussam vero addit, quae proprie sit generis demonstratiui: quod, qui sedeat, iudicaturus ex lege, (κρίνων hic est pro κρινῶν, qui iudices, vt iudices ex lege, nempe e conditione muneris ac destinatione, ex Dei voluntate & totius rei apparatu, non ex tuo ipsius animo: aut iunge: sedes ex lege legitimus iudex, qui ergo & iudicare legitime debeas, sed nolis:) poenam contra legem irroget innocenti. Vbi est elegans antithesis: sedes iudex e lege, punis contra legem; etsi in Graeco non est, παρανόμων· quod concinne respondeat priori, κατὰ νόμον, sed verbum παρα νομῶν, sensu tamen eodem, & coniugate. Ergo grauitatem delicti ostendit e destinatione muneris, dati ad legitime iudicandum; qua ipsa potestate abutatur ad illegitime puniendum. Cur autem tam grauiter inuehatur in Pontificem Paullus, velut ignarus, esse Pontificem, alio loco videbimus. Paganorum prauitatem increpat Rom. 1, 21—31. primo in Deum, quem tamen nosse satis duce natura, potuerint: plane vt excusationem non habeat prauitas. Ita omnia probando persequitur, nil gratis, nil obiter ponit: magnitudinemque delicti & eo auget, quod Deum in-

inadspectabilem, incorporeum, immortalem, aeternum, mutarint in res corporeas, leues, fluxas: quod & stultitiam habeat, & offensam diuinae maiestatis grauissimam. Ad morum inde delicta vertitur: quorum atrocitatem ex eo monstrat, quod in ista flagitia ruere passus sit Deus. Atrociusne delictum esse aut fingi potest eo, quod *ipsum* per se poenae vim habeat? Quorum quidem atrocissimum, primo loco positum grauiter exsequitur, libidines nefandas: quam maxime mercedem (ἀντιμισθίαν,) vocat, vs. 27. aliorum delictorum, erroris grauissimi, moris prauissimi, sponte tamen suscepti: describitque & caute ac circumscripte, naturalem vsum & praeternaturalem appellans; & ita tamen, vt turpitudo, & furor plane, appareat, exardescendi & turpitudinis marium in mares vocabulis. Reliqua deinde, breuiter, sed cumulate, ponit, per asyndeta, cum vehementi συναθροισμῷ, vs. 29—31. fonte praemisso, mentis prauae, sensus peruersi, & genere vniuerso τῶν μὴ καθηκόντων· quorum partes recenset verbis grauibus, & summa vitia signantibus. Haec paganis ille; sed ecce! nec *Iudaeis* parcit, vs. 32. Quem versum ad Iudaeos iam vergere, & transitum praebere ad eos apprehendendos, cum voc. οἵτινες videatur ad paganos etiamnunc referri, ex eo patet, quod, eos scire, ait, legem Dei de *morte* istorum delictorum poena: quae lex sane fugeret paganos, neque intelligeretur ex ipsorum facinorum indole; vt quae non omnia aut me-

reantur capitis ſupplicium, aut phyſice mortem trahant; niſi mortem omnino interpretemur, ex Ebraiſmo, omnem poenam atque perniciem; deinde quod, probari illis, ait, iſta facientes, quod feciſſe pagani non ſane reperiantur: quorum magiſtros, videas, multos & graues in reprehenda ſuorum prauitate: vtut, poetas interdum, comicos vtique ſubinde & Lyricos, indulſiſſe non excuſandis modo, ſed & laudandis flagitiis, ſciret Paullus; Iudaeorum quidem magiſtros iſtorum plurima, quae hic recenſentur, & permiſſa, dum externa ſacrorum formula teneretur, & excuſaſſe, ipſe arguit Chriſtus, Matth. 22. tot. Luc. 20. extr. 11, 39. Marc. 7, 6 — 13. denique, quod hic C. 2, 1. vbi ad Iudaeos manifeſto vertatur, tranſit per particulam διὸ, *quare*; niſi hic notat *porro*; tu quoque iam cares excuſatione Iudaee. Quare, quoniam hic demum euidenter ac directo compellat Iudaeos, & ſuperiora, 1, 32. ad paganos trahi & ipſos ſane queant: coniunctim vtrosque in mente fuiſſe Paullo, dixerim, non excluſis Iudaeis. Quorum prauitatem iam reprehendit C. 2. tot. auctam inde, quod 1) habeant & norint legem Dei, 1, 32. 2, 18. 27. 2) in ea ſibi placeant, acquieſcant, quaſi habere ſatis ſit, ea glorientur, vt meliores paganis: 2, 18 — 20. 3) alios doceant legitime viuere, vſ. 20. 22. 24. 4) ſecus facientes reprehendant, damnent: vſ. 1. 3. 23. & tamen ea faciant ipſi, vt Ouid. loquitur faſt. 3. Iudicio peccas turpius ipſe tuo. Quae omnia late grauiter-

que

quae exſequitur per interrogationes, vſ. 3. 21. 23. per antitheta & conjugata: vſ. 2. 21. ſeqq. quae ſuo loco reddimus: per ſententias quoque, & locos communes, vſ. 9 — 15. 23. 28. non ſine antithetis, praemii & poenae, boni & mali: cum iteratione, vel anaphora *Iudaeis* & *paganis*. & vſ. 12. *ſine lege* & *cum lege* cum iteratione voc. delinquendi & pereundi, & vſ. 13. antitheſi, ἀκροατοῦ, ποιητοῦ nec ſine aetiologia, vel cauſſae adiectione, multa, vſ. 11 — 15. vbi ſequens γὰρ cauſſam ſubnectit priori: quod idem faciunt genitiui abſoluti, vſ. 15. extr. Quae omnia quam ſint oratoria, & rebus & verbis, quis non videat, aut quis neget? Porro prauitatis inſitae turpitudinem arguit, 7, 8 — 13. ex eo, quod 1) ipſa lege ſit vſa ad excitanda prauа ſtudia & facinora: 2) re in bonum data & ſaluтari vſa ſit eamque verterit in malum atque perniciem. Sed in primis

Epiſt. 1. ad Corinth. ſaepius vtitur reprehenſione: vt diſſenſionum, 1, 13. ex incongruo, quod nec plures ſint Chriſti, nec Paullus pro Corinthiis mortuus, aut in crucem actus, (quod ſane potuiſſet, ſi *firmare* tantum vellet doctrinam; plus ergo debet eſſe in Chriſti morte;) neque initiati baptiſmo ſint in Paulli cultum; quin, adeo eſſe improbanda illa diſcidia, gauderet etiam, ſe non feciſſe, quod alioqui laetus faceret, vt baptiſmo illos initiaret: quantam grauitatem arguens vitii, cui ne locum daret, gaudeat, quin *gratias* Deo ſuo agat, quod omiſerit apud

eos rem tam grauem, tam neceſſariam, tam laetam! Porro, (poſt degreſſionem longiorem,) a 3, 10. ad C. 4. init. idem arguit e vera conditione, qua haberi apoſtolos conueniat, nil aliud, niſi miniſtros vnius eiusdemque Dei & Chriſti, nec ſine ſtultitia aut impietate per ſe ſpectari poſſint; quod eo ſit indignius, & periculo fiat maiori, quod Dei ſit cauſſa, Dei opus, 3, 4, 10. qui ſit ipſe praeſens in mentibus Chriſtianorum, vſ. 16. 17. vt in templo: cuius diſturbatores, i. e. diſcidiorum faces, puriturus ſit grauiſſime Deus, vt templi ſui euerſores. Iam *ſcortationis* turpitudinem arguit, primo *finite*, C. 5. in inceſto, & Corinthiorum in eum indulgentia: ex *paganorum* comparatione, apud quos ne *auditae* quidem tales nuptiae fuerint: ex impudentia aut ſecuritate Corinthiorum, gloriantium vltro flagitio, vel certe aliis rebus, cum foedentur tali flagitio, quod lugere & exterminare debuerint: tum poena grauiſſima irroganda: non ſine aſſeueratione 1) ſenſus ſui plane diuerſi: Ego enim, incipit vſ. 3. nempe, longe aliter ſentio, longe aliter ſtatui: videte, quantum inter nos diſcrepet! 2) poteſtatis & ſibi & illis diuinitus a Chriſto conceſſae ad iſtos exterminandos: 3) formulae & ordinis, quo rem geri velit: congregatis illis, corpore, velut in comitiis, & animo ſuo, vt abſentis corpore: ipſa illa caerimonia grauitatem rei oſtendens. Iam ex *periculo* auget prauitatem, vſ. 7. rel. ſignato per locum communem, (quem *interrogando* quoque erigit atque incutit:

an

an neſcitis rel.) vel ſententiam allegoricam, a fermento ductam: cuius triplex ſit conditio: 1) vt non ſint puri, ſi vnus eorum ita ſit impurus, quem agere inter ſe, vt ſimilem inter ſimiles, patiantur: 2) vt opprobrium & aduerſa fama apud alios redundet in vniuerſum coetum, in quo tam libere & impune talis homo verſetur: 3) vt ſit periculum, ne pars ſincera trahatur, pluribus corruptis, & abſtractis delicti a) exemplo, b) impunitate. Auget porro ex *indignitate*; quod, cum Iudaei tam ſint religioſi in tollendo fermento, tempore Paſchali: (cuius mentioni locum aperuiſſe videtur ſola mentio & vocab. ζύμης, vel fermenti imago:) qui tamen typicum tantum habeant agnum Paſchalem, Chriſtiani, quibus ipſe ſacrificatus agnoſcatur Chriſtus, ſuſtineant tam negligenter habere labem tam grauis culpae: non illam externi ritus neglecti, vt fermenti, ſed ſenſus, morum, famae, animi corporisque foedati. Quae ratio valet a minori ad maius ſimul, a) Iudaeis ad Chriſtianos, a ritu externo & corporeo ad mentem & vitam, ab agno paſchali ad Chriſtum. Sed idem libidinis flagitium *infinite* & vniuerſe iam inſectatur, 6, 13—20. cuius turpitudinem vniuerſe ibi demonſtrat 1) ex ſpe redeundi in vitam cum Chriſto: vt indigniſſimum ſit, immortalitati ſacratum corpus foedare ac deſtruere libidinibus, iam in hac vita tranſituris, huic iam vitae nocituris: 2) ex intima neceſſitudine cum Chriſto, cuius corpus ſint Chriſtiani: cuius corpus & membra per libidi-

bidinem corpore & mentis ardore, ſocient cum turpi meretrice, cum ſint tam arcte, & ſenſu mentis ac ſtudio, (ἓν πνεῦμα,) & vero ipſa praeſentia habitantis in illis Chriſti & Spiritus S. vſ. 19. Deo & Chriſto coniuncti: cui eripiant atque auferant membra & corpus ipſi ſacrum, in quod iam ius ipſis ſit nullum; ea enim vis eſt vocabuli ἄρας, in *hoc* contexto: 3) ex ipſius flagitii natura; cuius atrocitatem extollit comparando cum aliis delictis, non ad ipſum tamen hominem aut corpus eius pertinentibus, qui perpetret; quod faciat tamen libido: 4) ex eo, quod Deus & Chriſtus, a) ſibi nos manciparit, b) pretio, Spiritus S. nobis dati, vſ. 19. & Chriſti ſanguinis pro nobis fuſi: τιμῆς vſ. 20. i. e. τιμίῳ αἵματι, 1 Pet. 1, 10. Chriſto ipſo, λύτρῳ, Gal. 2, 20. 1 Tim. 2, 6. vnde fas non ſit, noſtro arbitrio inquinare & corrumpere animum corpusque ſacratum Deo trinuni, vſ. 20. patri, vſ. 19. filio, vſ. 15. Spiritu S. vſ. 19. Quid, quod ipſo reditu ad hanc cauſſam, inde a 6, 1—13. omiſſam, velut vsque recurrentem animo, nec tractandam ſatis crebro, aut grauiter, reuolutus ad omiſſa, nouis inſuper additis, quam ſibi cordi res eſſet, quam per ſe grauis, ipſa redeundi ac repetendi, vel ſimplicitate vel ſollicitudine, declaratam dedit? *Litigandi* quoque prauitatem notat 6, 1—9. incutiendo 1) pudorem, ipſo vocabulo initiali: *audetne* aliquis veſtrum; ſuſtinet, ſatis audax, non horret, conſtanter ſubit rei & turpitudinem? quam oſtendit a) ex eo ipſo,

ipſo, quod litigent: ipſum enim illud iam turpe eſſe Chriſtianis, ſequi lites, vſ. 6. 7. vt quos etiam, *pati* iniuriam, deceat, adeo non, inferre; verum enim vero b) ad paganos litigare, & id vitii vulgare vltro & ad Chriſtiani nominis hoſtes deferre litigandi acerbitate, vt rideant Chriſtianos, ſpernant, oderint, ipſam eorum formulam inſectentur, ex aſſeclarum peruerſitate, id nimirum eſſe multis modis indignum & non ferendum; non, quo vti veterentur paganis iudicibus, aut detrectare paganorum imperium iubeantur; ſed, quod turpe ſit innoteſcere talia in paganos; c) quod grauiora olim iudicaturi ſint vere Chriſtiani, in extremo Chriſti iudicio, vſ. 2. 3. non homines modo impios, ſed & angelos malos: nam &, qua Iudaeos, apoſtolis Chriſtus hoc promiſerat, & qua reliquos homines, & daemonas, hic aliis Chriſtianis promittitur; immo iam promiſſum conſtabat *voce* Paulli, apud eos agentis; quippe qui, vt de re nota, percontetur: an vero ignoratis? vt 2 Theſſ. 2, 5. *ſcriptum* autem, nil ſane legitur, quod diſerte huc trahas, praeter huncce locum; & Enochi vaticinium, in Epiſt. Iudae; quae tamen nobis iam *traditio* non ſit vel auditio, ſed *ſcriptarum* literarum auctoritas. (v. Log. Paull. p. 144.) Nec vero illud iudicium reſpici, quod tribuat homini diuinitus erudito, πνευματικῷ, 1 Cor. 2, 15. cum ex *angelorum* mentione apparet, tum ex futuro, κρινοῦμεν, tum ex addito, ἐν ὑμῖν, per vos, miniſtris vobis: tum, quod illic ſermo eſt de

veri-

veritate dogmatica, hic de aequitate forensi. Quare, argutiis missis, simpliciter teneatur, & Paullo, immo Deo, credatur, quod facere & permittere arbiter possit Deus, facturum autem, vel permissurum, hic declararit ita, vt intelligi aliter commode nequeat. Sed pudorem incutit 4) eo, quod ita tarditas eorum appareat, non habentium (vs. 7.) qui possit arbitrum interponere sese litibus: quod & posset tamen, Romano iure, & soleret: (quo minus mirum est, quod efferri ad paganos iudices, vetat, eorum causas.) Quam inscitiam eorum grauiter arguit, praemissis verbis: *in pudorem vestrum dico* hoc, dicere cogor, consulto dico: deinde vocabulo ἕτως, adeone, siccine plane, quod nemo crediderit? vt in Christi percontatione, Matth. 26, 40. ἕτως, adeone non potestis *vnam* horam mecum (in meam gratiam) vigilare? addit & Paullus, ne *vnus* quidem; inter tam multos, tam aliarum rerum intelligentes, tam sibi sapere visos. Quod vocabulum & in *extremo* locauit, cum accentu & vehementia: quo numero & situ ne Cicero quidem, aut Longinus disertius quidquam praeceperint. Ita pudore incusso, 2) *terrorem* quoque incutit, periculi metu, quod redundet & in ipsam formulam Christianam, & vero in ipsos, felicitatis aeternae iactura, vs. 9. 10. cuius expertes fore cum aliis improbis, quorum genera ponit, & litigiosos atque calumniatores, pronuntiat: addita, qua solet, periculi nota: ne *erretis!* C. 8. 9. 10. reprehendit eorum vanitatem, arro-

gan-

gantiam, ſecuritatem, qui, cognitione fiſi atque ſubnixi, qua ſciant, licere veſci carnibus victimarum, & venalibus in macello, & quae apponantur in epulis paganorum feſtis, reliquos prae ſe ſpernant infirmiores, neque inſalubritatem exempli horreant. Quod vitium reprehendit 1) comparanda leuitate rei, cui fidant, cum grauitate rei, quam negligant: 8, 10—12. leuem eſſe rem, cibum, facile intermittendum; at graue contra, malo exemplo agere tam ſecure, decumbere in idolorum templis, velut paganum, corrumpere & labefactare ſenſus infirmiorum, ob rem adeo leuem, pro quibus mortuus etiam ſit, ne vitae quidem pepercerit Chriſtus, Dei filius, Deus ipſe, vt eos a pernicie vindicaret. (Nam, absque hac duplici conditione, nec mouerit quemquam *meri* hominis aut vulgaris exemplum, nec locum habeat additum, δι' ὃν, *propter quem*, vſ. 11. aut oppoſitum, ἀπολεῖται, *peribit*; cui *ſeruandi* vtique conditio, quae ſit mortis Chriſti, reſpondere debeat: Vbi, oratorie plane, & ironica grauitate, vt contemtim, addit; cum *tua* illa prudentia & intelligentia: ob illum ſenſum tuum, quem iactas, in quo tibi places; quae tua prudentia vt tibi conſtet, vt in te eluceat, vt eam mirentur ſcilicet, vt tuo iure agas, in re leui ac nihili, aequum tu cenſeas, neque horreas, perire illum, illos, pro quibus nec mortem ſubire Dei filius refugerit; quorum in commodum tu re leui, cibo non neceſſario, abſtinere faſtidias. Quid grauius iſta

bre-

breuitate ac ſimplicitate Paulli, aut oratorium magis? Compares ſane iſtorum leuitati, quos hic notat, quibus & ex noſtris accenſeas, qui infirmioribus obtrudant ſua de rebus diuinis paradoxa, &, quo plus turbent; id enim agunt, non modo vernacula lingua vulgent, ſed & leuibus libellis, fabulis, aliisque nugis inſerant atque intertexant, quo & cupidius, & incautius legantur, compares ergo Horatianam notationem Epiſt. 1, 18, 15—20.

Alter rixatur de lana ſaepe caprina, &
Propugnat nugis armatus: Scilicet, vt non
Sit mihi prima fides, & quidquid ſentio,
id vt non
Acriter elatrem? Pretium aetas altera ſordet!

2) arguit ſuo exemplo, facile & libenter carituri cibo, tali vtique, & ſuſpecto ob interdicti opinionem. Quod, vniuerſe poſitum 8. 8. extr. vt non falſo iactari a ſe intelligatur, late interpretatur, & fieri a ſe, rectèque fieri, probat, C. 9. *morata* plane oratione; cum argumento a maiori ad minus: ſeſe, apoſtolum, quem ſe eſſe, aetiologia ſubiecta probat, 9, 1—3. grauiter ſane ad Corinthios, quos proxime hic alloquitur: qui ab ipſo ad Chriſtum verſi, neque ipſi dubitare poſſint, apoſtolum ſeſe eſſe & vero hoc aliis probent: apoſtolum ergo ſeſe, qui iſta omnia melius ſciret ipſis, qui poſſet vti iure ac libertate, non Chriſtiani modo, verum & doctoris, abſtinuiſſe tamen multis rebus, nominatim coniugio

iugio, vſ. 5. ſumtu in ſeſe ab aliis erogando, & immunitate operis, quo ſe ſuſtentaret ita, vt a coetu alendus non eſſet: vſ. 6—18. accommodaſſe ſe atque inſeruiiſſe omnium ingenio moribusque, quoad liceret: vſ. 19—23. quae *morata* plane eſt oratio, vt infra videbimus: 3) e magnitudine & grauitate rei & conſilii, comparata rurſus cum re leuiori, praemio certantium ac victorum in ludis, vſ. 24. ſequ. vbi cum & res leuiſſima verſetur, & praemium tenuiſſimum proponatur, ſi tamen tanto ſtudio, tanta cautione habeatur & expetatur: quid Chriſtianis faciendum, ſummis rebus propoſitis? 4) Iudaeorum exemplo, graui ſane atque illuſtri, qui, ſimiliter fiſi, gloriati, abuſi commodis externis, tamen, malo exitu puniti, perierint: 10, 1—12. quae omnia diſertiſſime per *partes* exſequitur: 5) ex abſono & incongruo, vſ. 15—21. quod ipſi iudicare, vt prudentes, queant: (ita morate ad ipſorum ſenſum prouocat!) non conuenire, vti menſa Chriſti & idolorum, immo daemonum, nec ſociari modo his velle, (*eſſe* ergo debent & aliquid eſſe, abſolutae naturae non attributa:) quos diſtinguat ab idolis, quae *non* ſint, & *quatenus* non ſint, nulla ſint, vſ. 19. in quorum conſortium Chriſtianos venire nolit, vſ. 20. quod poſſe ergo fieri oporteat, non poſſit, ſi ſint nulli: tunc enim perinde dixerit: nolo, vos ſociari centauris, chimaerae, harpyiis: nolo vos ſociari Non-Enti; & *Chriſto* ſimul! Et ipſi ergo Non-Enti! Quin ipſi Deo! daemoniis, inquit, non ipſi Deo, pagani

sacrificant; vs. 20. quod ipsi non putent, nec velint; sed nimirum idola nil sunt: Deus ergo & daemones relinquuntur: qui si nulli sunt, in tali disiunctione, remotis Non-Entibus, vt talibus: nec Deus est ergo. Cur ergo non & daemonès pro Non-Entibus, vt idola, sustulit? Cur, his sublatis, relictos, Deo opponit? Daemonibus ergo & Christo simul sociari, plane ἄτοπον abominatur. Quae omnia eleganti plane partitione, mensae, panis, poculi, antithesi Dei ac Christi & daemoniorum, idque cum copulatione & iteratione verborum, μετέχειν, φαγεῖν, πίνειν, & Iudaeorum Leuitarumque similitudine, exsequitur: cum exprobratione grauissima, quam acuit interrogatione ex absurdo & terribili, vs. 22. An. Deum (tam securi, tam contemtim) ad iram prouocamus, lacessimus? An validiores eo sumus? Quid vehementius, quid atrocius, quid validius ad sensum absurditatis incutiendum, & simplicius tamen, id est, verius ac planius, potuit? Cap. 11, 1—18. *infinite*, per thesin & locum communem, non vt iam factum, sed vt non faciendum, (etsi, factum iam esse Corinthi, colligere liceat e vs. 16.) turpe esse ostendit, feminas non velatas procedere, aut in publico, sacris maxime, adstare aut precibus fungi non velatas, viros contra velari. Quod ostendit 1) ex auctoritate viris, non feminis, concessa: cuius signum sit caput apertum, quasi per se conspicuum ac liberum, nec velamento metum obnoxium prae se ferens: 2) a re simili: tonderi non

decet

decet mulierem: ergo nec caput aperire 3) angelorum exemplo, capite velato adſtantium Iesſ. 6. figura adſpectabili in tempus induta. Cur ergo viri idem facere non iubentur? Quia in ſacris & muneribus publicis ſunt *Dei* vice; nam de ſacris, & quae publice fiant, vnice hic agitur: domi & priuatim licet, vt voluerint; & *publice*, iſta conditione, feminae non ſunt imago Dei, i.e. non ſuſtinent perſonam Dei, iure aut mandato, vtut cetera ſimiles: 4) duce & monente ipſa natura, turpe eſſe feminae nudum caput; vnde & prolixioris comae velumine tegantur. Quae quidem, vtut ad priſcum Graeciae & Romanum morem compoſita, (nam in Oriente velantur viri tiara, vel cidari,) naturae tamen vniuerſae, ac veluti publicae, omnis aeratis ac loci, congruere, doceat & nos excuſſus naturae ſenſus, & pudori ac modeſtiae vbique reddita conſuetudo: quae ſi nobis diſcrepat, apud quos viri pileati incedant: & mori tribuendum eſt, ſane haud communi: nec tamen in publico opere, aut in ſacris, pileati adſtant: vtut *modeſtiae* ſignum apud nos ſit in viris caput apertum, non auctoritatis: pileati enim agunt reges & belli duces, quod publice agant. Nec velamine magis, quam ornatu vtuntur, vt galerorum & capillamentorum, pro coma etiam demta, more haud pridem recepto: neque ornatu tantum, ſed muniendo capiti, vt in frigido coelo: cuius neceſſitas non magis, quam Perſarum aliorumque mollities, cidari vtentium vel *tiara*, ad hanc cauſ-

ſam faciat, vbi de *decoro* agatur. Sed eodem Cap. 11. inde a vſ. 17. acriter grauiterque inuehitur in leuitatem & licentiam indecoram, quin impiam, contemtim habentium vſum Coenae S. Quam temeritatem primo notat ac deſcribit ita, vt, vituperandam vtique eſſe, appareat: non communiter illos coenare, vt inſtitutum poſcat, ſed ſuam ſibi quemque coenam occupare & abſumere; id enim hic eſt προλαμβάνειν, vſ. 21. non, ante alios capere; neque enim excipiebant alii, ſed carebant, qui nil contuliſſent; ergo ſign. ſibi ſolum capere, eo conſilio atque euentu, vt nil capiant reliqui; ita fieri, ait, vt eſuriant ceteri, quo ipſo inepti reddantur ad vſum Coenae S. vt partim inedia interpellante, partim odio inuidiaque turbante; ebrios eſſe alios, hoc ipſo inhabiles rurſus ad Coenae S. vſum. Haec, iam per ſe turpia & flagitioſa, auget inſequendo atque argumentando: 1) quod domi poſſint fungi cibo: vſ. 22. quod interrogando acuit, vt abſurditas pateat ſecus facientium, ſi nil aliud, quam ſibi capere cibum velint: nec particula γὰρ redundat, ſed eſt quaſi mirantis & indignantis: vt in Pilati voce Matth. 27, 23. quid *enim* mali commiſit? 2) quod ita os feriant pauperum, quibus ſit carendum cibo, & illi ſpectandi inanibus, vt ſeſe differciant: grauiterque, & ad conſilium, appellat *coetum Dei*: quo magis videant, ſe non intelligere, quos ita abiiciant, Chriſtianos, Chriſto, Deo, ſacratos, quibus ſpernendis ac laedendis ipſe ſpernatur laedaturque Deus & Chriſtus,

ipſe

ipſe pauperum haud quaquam contemtor, vt e quibus coetum ſibi collegerit; 3) quod diuinum inſtitutum adeo irreuerenter habeant: cuius diuinam originem iis in mentem reuocat, vt iam notam ipſis, ſed neglectam: vſ. 23—25. 4) quod conſilio Coenae S. parum reſpondeant, poſito in recordanda & celebranda ac grate habenda morte Chriſti, vſ. 26. id enim eſt καταγγέλλειν, vel ἀναγγέλλειν, ex Ebr. הגיד, vt 2 Pet. 2, 9. ἐξαγγέλλειν, Ebr. 2, 12. (e Pſ. 22.) a quo conſilio alieniſſimum ſit, a) cibo ac potu repleri ſupra modum; vnde animus hebeſcat, lingua quoque titubet, haud ſane tachygraphi, (Spiritus S.) calamus, Pſ. 45, 2. & quiduis potius effuſura, quam regis ſui laudes, ib. b) contemnere & pudore verberare eos, pro quibus Chriſtus ſit mortuus: c) odio inuidiaeque materiam offerre, vbi, amore incendi, ex Chriſti morte, conueniat: 5) quod leuitatem prodant inſignem, Chriſtiano homini indecoram, vſ. 28. qui tam imparati & ſecuri accedant ad Chriſti corpus & ſanguinem capiendum, & in tanta rei grauitate, ſuis tantum ſtudiis, ſuae voluptati, inſeruiant atque arrogantiae; eo quidem periculoſius, quod 6) poena grauiſſima ex merito conſequatur rei tam ſanctae contemtum: vſ. 27. 29. quin conſecuta iam ſit, vſ. 30. per morbos ac mortes: grauior ſecutura, ni ſemet arguerint & correxerint: vſ. 31. 32. Nec minus ſeuere C. 12. vanitatem reprehendit atque arrogantiam ſua tantum munera, immo ſibi data mirifica atque ex-

ſam faciat, vbi de *decoro* agatur. Sed eodem Cap. 11. inde a vſ. 17. acriter grauiterque inuehitur in leuitatem & licentiam indecoram, quin impiam, contemtim habentium vſum Coenae S. Quam temeritatem primo notat ac deſcribit ita, vt, vituperandam vtique eſſe, appareat: non communiter illos coenare, vt inſtitutum poſcat, ſed ſuam ſibi quemque coenam occupare & abſumere; id enim hic eſt προλαμβάνειν, vſ. 21. non, ante alios capere; neque enim excipiebant alii, ſed carebant, qui nil contuliſſent; ergo ſign. ſibi ſolum capere, eo conſilio atque euentu, vt nil capiant reliqui; ita fieri, ait, vt eſuriant ceteri, quo ipſo inepti reddantur ad vſum Coenae S. vt partim inedia interpellante, partim odio inuidiaque turbante; ebrios eſſe alios, hoc ipſo inhabiles rurſus ad Coenae S. vſum. Haec, iam per ſe turpia & flagitioſa, auget inſequendo atque argumentando: 1) quod domi poſſint fungi cibo: vſ. 22. quod interrogando acuit, vt abſurditas pateat ſecus facientium, ſi nil aliud, quam ſibi capere cibum velint: nec particula γὰρ redundat, ſed eſt quaſi mirantis & indignantis: vt in Pilati voce Matth. 27, 23. quid *enim* mali commiſit? 2) quod ita os feriant pauperum, quibus ſit carendum cibo, & illi ſpectandi inanibus, vt ſeſe differciant: grauiterque, & ad conſilium, appellat *coetum Dei*: quo magis videant, ſe non intelligere, quos ita abiiciant, Chriſtianos, Chriſto, Deo, ſacratos, quibus ſpernendis ac laedendis ipſe ſpernatur laedaturque Deus & Chriſtus,

ipſe

ipſe pauperum haud quaquam contemtor, vt e quibus coetum ſibi collegerit; 3) quod diuinum inſtitutum adeo irreuerenter habeant: cuius diuinam originem iis in mentem reuocat, vt iam notam ipſis, ſed neglectam: vſ. 23—25. 4) quod conſilio Coenae S. parum reſpondeant, poſito in recordanda & celebranda ac grate habenda morte Chriſti, vſ. 26. id enim eſt καταγγέλλειν, vel ἀναγγέλλειν, ex Ebr. הגיד, vt 2 Pet. 2, 9. ἐξαγγέλλειν, Ebr. 2, 12. (e Pſ. 22.) a quo conſilio alieniſſimum ſit, a) cibo ac potu repleri ſupra modum; vnde animus hebeſcat, lingua quoque titubet, haud ſane tachygraphi, (Spiritus S.) calamus, Pſ. 45, 2. & quiduis potius effuſura, quam regis ſui laudes, ib. b) contemnere & pudore verberare eos, pro quibus Chriſtus ſit mortuus: c) odio inuidiaeque materiam offerre, vbi, amore incendi, ex Chriſti morte, conueniat: 5) quod leuitatem prodant inſignem, Chriſtiano homini indecoram, vſ. 28. qui tam imparati & ſecuri accedant ad Chriſti corpus & ſanguinem capiendum, & in tanta rei grauitate, ſuis tantum ſtudiis, ſuae voluptati, inſeruiant atque arrogantiae; eo quidem periculoſius, quod 6) poena grauiſſima ex merito conſequatur rei tam ſanctae contemtum: vſ. 27. 29. quin conſecuta iam ſit, vſ. 30. per morbos ac mortes: grauior ſecutura, ni ſemet arguerint & correxerint: vſ. 31. 32. Nec minus ſeuere C. 12. vanitatem reprehendit atque arrogantiam ſua tantum munera, immo ſibi data mirifica atque ex-

traordinaria, amplectentium, cum faſtidio & contemtu aliorum hominum munerumque: Quod vanum arguit 1) diuina origine horum munerum, a *Deo* & Spiritu S. profectorum, eoque *vno*. Nam, ſi a Deo, non ab ipſis: quae gloriandi materia? (1 Cor. 4, 7.) aut quod ius vtendi pro ſuis, idque ad conſilia vana improba, Deo datori inuiſa? Qua ratione conſtet, ſuperbiam eſſe, aliorumque contemtum. Si ab *vno* Deo: qui conuenit, vel vt diuerſis vti ad contentionem & rixam, velut ipſe dator ſecum diſcordet Deus, vel ad aliorum contemtum abuti, quibus cum *idem*, ſua cuique, dederit Deus, qui ipſis alia dederit, nil aliud, niſi Deus ipſe ſpernatur: 2) ex intima neceſſitudine omnium & hominum & munerum: quam firmat ſimul & illuſtrat ſimilitudine corporis membrorum, quorum nullo carere poſſit corpus, non magis, quam altero alterum: vſ. 12. rel. neque vllum hominem ita amare vnam aut tueri aut exornare partem ſui, vt reliquas ſpernat, negligat, oderit: ita & ipſos iam eſſe vnum corpus Chriſtiani coetus, cuius, vt corporis phyſici, inter ſe pugnare partes, aut mutuo ſe contemnere, & ſtultum ſit ac contra naturam, & turpe, iniquum, & vero periculoſum. Eadem imagine vtitur eo, vt hoc vitium arguat 3) neceſſitate & vſu omnium partium munerumque pari: vſ. 17 & 27. ſequ. 4) quod, vt in corpore, adeo, contemni aut negligi, non conueniat, membra tenuiora, infirmiora, & quaſi viliora, (id enim hic eſt ἀσθενέστερον,) vt magis

gis etiam ſint tuenda, fouenda, ornanda: quaſi, vt dignitas accedat e cultu, ne qua ex parte laboret ſumma: 5) ex ipſo Dei inſtituto, non omnia vni, aut omnibus, tribuentis, & ſuum cuique tamen: quod in contemtum vertere aliorum, nil aliud ſit, niſi, Deo inſultare, Dei ordinem reprehendere atque calumniari. Huic vanitati atque arrogantiae conſequens vitium & cognatum notat, C. 14. vnice ſibi placentium vſu linguarum exterarum diuinitus ſuppeditato. Quod & communes habet reprehenſiones cum illo ſuperiori. C. 12. & vero *proprias*: 1) quod alia ſint maiora, i. e. vtiliora, maxime ſcripturae S. interpretatio, 14, 2. ſequ. & linguarum ipſarum, vſ. 5. & 14. (diſtincta nimirum, & per ſe, & in homine, a facultate *loquendi* linguis exteris, ſine illa interpretatione nil profuturis:) vnde non conueniat, primo loco haberi cenſerique linguas: 2) inutilitate linguarum non intellectarum, vſ. 7. & inde oriunda ſtoliditate & vanitate placentium ſibi, quod loquantur, quae nemo intelligat: vſ. 18. ſequ. Quod diſerte illuſtrat ex ipſa linguarum natura & conditione, vſ. 10. quarum nullum genus ſit ἄφωνον, i. e. careat vocabulis ſenſum habentibus & aliquid ſignificantibus; (id enim hic ſign. ἄφωνον, vera emphaſi, i. e. notione acceſſoria vel aduentitia, quae non inſit in vocabulo ipſo, ſed e contexto accedat, qui, parum eſſe, loquatur, in ſimplici vocabuli notione:) & organorum melicorum exemplo, fruſtra ſtrepentium, ni ſonum diſtinctum red-

dant: ita & istos frustra in ventum sonos effundere: indignum homine intelligente: 3) e consilio muneris huius, dati ad impios arguendos: vs. 21. 22. vt discant, diuinitus moueri, qui loquantur linguis nunquam sibi perceptis: Act. 2. init. vbi tamen non linguas vtique attendebant solus, sed & Dei laudes, quas celebrárent istis linguis; vt stultum plane & incongruum sit, in piorum coetu loqui, velut ad impios, quos ad Christum perducere, quorum peruicaciam vincere velint: aut quasi ipsi, vt impii, egeant hoc argumento; quod nil aliud sit, nisi, pueriliter ludere in re graui; vnde & 4) consecuturam insaniae suspicionem, si nemini intelligenda loquantur: quod ipsis apostolis accidit, necessario tamen loquentibus, & e consilio diuino: Act. 2, 13. Nam, qui temulentos ibi vocarent, rudes haud dubie erant linguarum, quas apostoli loquerentur. Quod cum usu venerit loquentibus saluberrimo consilio & impulsu id agentis Dei: quid futurum id facientibus temere nullo vero consilio, tantum vt sese ostentent? Quam peruersitatem auget e diuersitate veri vsus aliorum munerum, quae & intelligantur, & prosint, instituendo salubriter ac monendo: vs. 24. 25. (vbi simul patet, προφητείας vim positam fuisse etiam in aperiendo & notando aliorum sensu intimo: quod vel maxime sit prophetae.) Turpitudinem erroris tollentium reditum mortuorum in vitam grauiter increpat C. 15, 32—34. (nam reliqua ad alium locum referenda sunt;) ostendens,

dens, quae flagitia conſequantur: plane, vt, Epicureo more, ſecure voluptatibus indulgere, nec vereri quidquam poſt mortem, ex iſta ratione, liceat: vnde apparet, ſublato corporis reditu in vitam, & animi immortalitatem eadem ruina trahi: non, quo concretus eſſe animus, aut ſine corpore ſuperſtes eſſe non poſſe, intelligatur; ſed, quod, qui, redituros in vitam mortuos, negent, vt Epicurei, Sadducaei, Manichaei, aliique hodie, qui idem faciant, ſunt homines leues, impii, prouidentiae ac iuſtitiae diuinae contemtores, voluptatibus addicti, qui optarint prius, quam ſibi perſuaſerint, nil omnino metuendum poſt mortem imminere; nec quiſpiam eorum, qui corporis reditum in vitam *ex inſtituto* tollerent, animum immortalem reliquit; quem ne eſſe quidem per ſe, ſed naſci atque interire cum corpore, quidquid eſſet, ſibi perſuadeant: id quod vel Sadducaeorum exemplo pateat, Act. 23, 7. qui, vt ἀναίρεσιν, ita coniunctim angelos, & omnino mentes, ſuſtuliſſe perhibeantur: & Epicureorum, ex quorum mente Lucretius nugatur, C. 2. & quidquid deinde volitauit aut hodie volitat empaectarum. Nam, qui veterum philoſophorum generoſitas de animo laetiusque ſtatuerent, non vtique *tollebant* reditum corporis in vitam, i. e. propoſitum aut commonſtratum repudiabant, aut conſequi poſſe negabant; tantum aut non cogitabant de eo, aut melius fore menti ſine corpore, ſibi perſuadebant. Neque inſolita illis vox: ſi nunc ille ab inferis redierit:

neque exempla adeo, Hippolyti Poëtis, Eris Platoni: conficta scio: sed quae tamen ostendant, secus agere illos (*subiectiue* magis, ex sua indole, quam *obiectiue*, ex rei consequentia,) quicum hic res Paullo, adeo turpibus, vt congressu quoque illorum & vsu abstineri iubeat, ne mores corrumpantur prauitate sermonum: Menandri in eam rem testimonio vsus: quin temulentiae comparet crapulaeque, quam discutere moneat, vt expergiscantur ad sobrietatem verae virtutis; plane enim alienos esse istos homines a cognitione Dei cultuque, cui vim abiudicent vitae reddendae, & vero voluntatem, eoque iustitiam: aut omnino nil plane tribuere illi, forte & totum tollere: certe, nil ab eo sperandum metuendumue, ratos, secure delinquere sibi posse videri. Hanc ille vocat ignorationem Dei: quem turpem errorem eo arguit, a) quod flagitiosissima inde consequantur; b) quod temulentiae plane similis, c) Deum grauiter laedat: vnde & ἁμαρτάνειν vocat: quod hic notat sponte, consulto, studio ruere & elabi in errorem stolidum, turpem, impium, periculosum, pietati, virtuti, moribus omnino bonis, infestum.

Altera ad Corinthios Epist. & ipsa loci huius & generis quaedam habet: vt, cum, 6, 14. rel. vetat Corinthios, & omnino Christianos, ἑτεροζυγεῖν, iungi imparibus sibi atque incongruis, impiis: aut in diuersa trahere iugum: eum illi ad idola, ad errores, superstitionem, impietatem, ad flagitia, hi ad sapientiam, pietatem

tem, virtutem, tendant; quae cum in vnum coire nequeant, nec coagmentari ſocietas aut teneri, in tanta rerum ac ſtudiorum diuerſitate, queat: incongruum eſſe, ſtolidum ergo, *turpe* ergo, iungere iſta tamen velle, & componere frontibus aduerſis pugnantia: turpe idem, ob res & ſtudia, quarum conſortium expetant, certe vitare nequeant; ſi tam familiariter cum impiis ſocientur. Eae ſunt res, impietas, religio nulla, aut falſa, idola, diabolus ipſe, (quis enim alius hic ſit Belial, qui Chriſto opponatur, vt daemonia 1 Cor. 10. cum pii & impii iam ſint diſiuncti?) tenebrae ignorantiae atque impuritatis, quae, per ſe turpia & flagitioſa, turpius etiam ſocientur rebus ſanctiſſimis, Deo, Chriſto, ſapientiae, pietati; quarum rerum copiam ſibi eripiant vſu impiorum, Deumque offendant, cui tam intime ſociatos, vt praeſens, tanquam in templo, agat in iis, non poſſe ſine flagitio ſociari velle daemonibus & cultoribus eorum impuris: Quod faciebant Corinthii, partim conuictu impiorum, in templis & epulis ſacris, partim vſu paganorum interiori atque incautiori: non vsquequaque declinando illo, (1 Cor. 5, 10. at caute habendo tamen, ne ſimilitudinis contagio ſuſpicioue ducatur. Cap. 10 & 11. ſubinde notat falſos apoſtolos: quos vocat opifices doloſos, i. e. ſuo commodo ſeruientes, ſpecie muneris ac doctrinae: verti, ait, in ſpeciem angelorum bonorum, i. e. doctorum veri virtutisque amantium: diaboli ſimiles ea re, cuius & ſimiles, & conſi-

liorum

liorum miniſtri, turpes & vituperandi appareant. Sed & Corinthios ſtringit acri ſtylo: ironiae primo, C. 11. vbi ſtultitiam eorum caſtigat; qui, cum ſibi videantur prudentes, (quod ipſum ſit ſtolidorum,) adeo vt Paullum faſtidire audeant, id ipſum haud ſapienter, ferant tamen adeo patienter ſibi dominantes atque inſultantes, neque illorum artes aut conſilia videant, vtut haud ſane occulta; vt quae notare potuerit verbis raptandi, in ſeruitute habendi, verberandi ſeruiliter, os ipſum verberandi inſolentia ſua: quae ſigna ſint iniuriae ſatis & violentae & manifeſtae: mollius deinde, 12, 11—14. vbi ait, ſe ab aliis ſubactum & protractum ad neceſſitatem gloriandi & arrogantiae induendae; quae cum ipſorum culpa ſit: haud prudenter agere, qui alium compellant ad ſtolide agendum: inique eosdem, qui tam immerito ipſi diffidant, nulla iniuria affecti, niſi, quod, ſumtum in ſe fieri ab iis, noluerit: quam *iniuriam* ſibi ignoſcant, rogat. Hac ironia ſi Socrates, ſi Cicero vſus foret: quos illi clamores excitarent! Quas leporis Attici laudes! Minusne arrideat in Paullo, aut minus diſertum feratur? Mihi quidem nil ſupra. Multum ſcilicet admirantur, diligenterque notant, cum Socrates, apud Xenoph. M. S. 2, *accuſandi* verbum adhibet ſenſu *laudandi*; quod mihi frigere quoque ibi, & quaeſitum anxie videatur, vbi nulla adſit mentio aut conditio criminandi. At hic, vbi quaerat Paullus, quanam *iniuria* Corinthios laeſerit, & reperire ſe, neget,

niſi

niſi, quod ſumtum in ſe illos non popoſcerit: haec ſi ſit iniuria ergo, velut concedens, hanc nimirum, aut nullum eſſe, vt ignoſcatur, roget: id enimvero ſuperare mihi omnes Atticorum ſales ac lepores, tali contexto, vt prae illo langueant ac frigeant, non temere videtur, & audacter ponitur.

Ad Galatas Epiſtola habet reprehenſionem primo falſorum doctorum, legis Leuiticae neceſſitatem obtrudentium Chriſtianis. Quorum arguit turpitudinem, 1) e praua conditione 2, 4. vbi vocat irreptitios, παρεισάκτους, qui ſeſe inſinuarint in coetus Chriſtianorum, quorum non eſſent verae aut legitimae partes, vt Iudaiſmi ſtudio inſinceri: 2) a conſilii prauitate, quod velint κατασκοπῆσαι, ſpeculari, tentare, labefactare, minuere ac circumſcribere libertatem euangelicam; nam κατάσκοποι, ſpeculatores, veniunt inſidioſe, captaturi occaſionem, nocendi aliis, & auferendi, quod vt carum illi cuſtodiant: 3) e turpi ignorantia, non intelligentium legem, quam iactent, quam ſibi aliisque imponant: 4, 21. ſequ. vbi in mentem reuocat illis imaginem legis euangeliique ſub duobus filiis Abrahami: quam illis notam eſſe, velit, oportere, vt ſtudioſis ac peritis interpretandae legis; alioqui, ſi noua haec & incognita proferat, exprobrare ignorantiam illis non poſſit, cum prouocatione: dicite mihi, quaeſo, an legem non aſſequimini? Poſtulat ergo ab iis, vt edocti ſciant: nempe e prophetarum ſcholis: vt Chriſtus

ſtus cenſebat, Ioh. 3. Nicodemo notam eſſe debere inſtaurationem hominis qua mentem, per Spiritum S. nempe ex Veteri Teſtamento, vt Pſ. 50. Ierem. 31, 33. rel. & prophetica diſciplina. Vnde apparet, quam late iam ante Chriſtum patuerit doctrina de Meſſia, & quam multa fuerint ore edocti, quae deinde velut data opera ignorarint. Quod & vaticinia doceant de Chriſto ita prolata, vt pro conceſſo & noto ponantur, eo referri. Quare videant, quam perite, aut quam bona fide, agant, qui negent, pleraque ante Chriſtum natum ita nota fuiſſe piis Iudaeis: nempe, vt veros Theologos calumnientur, Chriſti vnice ſtudioſos, & infringant vim ac neruos incidant argumentorum e veteri Codice petitorum, velut accommodatione, quam vocant, valentium ſola; quae tamen iam tum conſtitiſſe ad Chriſtum referenda, ex eo pateat, quod ſemper fere vt iam nota, illo ſenſu, illa conditione, nullo obloquente, afferantur: Matth. 22, 43. 44. Huic nimirum rei conſuluerat Deus per prophetas interpretes, eorumque ſcholas, & Hieroſolymis, ad templum, & paſſim in Iudaea: quae doctrina etiam a Synagoga & magiſtris Iudaeorum conſeruaretur atque propagaretur: e qua cum Paullus profeciſſet &, peritis eius loqui ſe, ſciret, plurima talia, vt h. l. & Ebr. 1 & 2. pro notis conceſſisque ſumta poſuit. Et hic ergo inſcitiam iſtorum hominum arguit, turpem ſane iis, qui veriora, edocti, ſcire poſſent atque deberent. Sed eosdem arguit 4) inertiae

& ambitionis lucri cupidae, 6, 13. 14. cum, ab iis, dicit, ista iactari, vt ne odium Iudaeorum incurrant, si, doctrinam de Christo in crucem acto simpliciter vrgendo, eripiant Iudaeis; in quo vnice sibi placeant: sed vt gratiam eorum teneant & commoda ab iis capiant: quod illiberale sane studium sit, humile, indignum homine veri studioso, qualem esse conueniat doctorem, diuinarum vtique rerum; quin ne ipsis quidem seruari legem; proponi tantum & iactari, vt aliis seruandam: quod rursus illiberale sit ac subdolum, praecipere aliis, quorum ipse tibi gratiam facias: gloriolae quoque leui eos inseruire, quam captent e σαρκὶ Galatarum, i. e. ex circumsectione, aliisque ritibus, quos iis iniungant, vt nimirum legis vindices, diuinae voluntatis tuendae studiosi: quod facile tenerent apud Iudaeos, placentes sibi in legis Leuiticae velut decore prae aliis populis, specie in oculos incurrente, commoditate quoque, qua defuncti, non magnopere laborarent de lege morum: Quid mirum, si cupide amplexi amabant, colebant, fouebant tam speciosa simul & facilia commendantes? Qui iam abuterentur ista inertia & vanitate illorum ad commoda & honorem capiendum, lauteque inter eos agendum, saginati errore alieno. Quam illiberalitatem istorum, vt hic leuius notat, ita grauissime increpat Phil. 3, 2. vbi eos vocat canes, impudenter auidos, auiditate impudentes, pastu venales: operarios malos, qui corrumpant sinceritatem euangelii, cuius

in-

interpretes esse velint: κατατομὴν, mutilationem, mutilos, truncos, curtos, consectos; ob circumsectionem, quam iactent & venditent, vt necessariam: quae per se nil sit, nisi mutilatio corporis: nempe, vbi, ea vti, iam nil attineat, nec Deus iubeat, vt nunc cesset, post Christum natum. vs. 13. 14. eos vocat inimicos crucis Christi: qui proferant dogmata plane aduersa & infesta Christianae doctrinae, cuius summa sit mors Christi; cuius figuram cum sustinuerit rituum formula, idem sit, hanc formulam velle etiamnunc porro valere, ac, negare, Christum venisse, aut morte sua legem aboleuisse: quod *turpe* vtique sit his, qui Christianos se ferant, hoc ipso aut non Christiani, aut sibimet repugnantes; sed enim ventrem iis esse Deum, non Christum; ad ventrem, ad commoda externa huius vitae, a Iudaeis exspectanda, omnia illis referri; in ipsa turpitudine gloriam quaeri; quo quid turpius, ipso dedecore superbire? nempe circumsectione, per se se pudenda, aliorumque rituum leuitate ac tenuitate; circumsectione vtique, quae etiam ad verendas corporis partes pertineat, quae proprie αἰσχημοσύνη dicitur in Vet. Test. vbi notantur Ebraico voc. עֶרְוָה, nuditatis; Leuit. 18. tot. in quibus, vel per se, vel mutilatis etiam, gloriam quaerere, non turpe modo aut stultum, sed furori plane simile, videatur; *terrena* plane illis spectari, ad hanc vitam & corporis commoda referri omnia, doctrinam quoque componi.

Nec

Nec vero ſegnius Galatarum ipſorum leuitatem ac temeritatem notat; aures praebentium tam falſa, leuia, moleſta eadem atque indecora & abſona, ingerentibus, idque prauo conſilio & improbo. Arguit autem 1) ſtuporem atque incogitantiam, 3, 1. vocando dementes, ἀνοήτους eo iure, quod, qui habuerint ob oculos deſignatum Chriſtum, non ſecus, ac ſi in crucem agi viderent, i. e. tam luculenter & firmiter fuerint eruditi doctrina Chriſti, tamen vera non teneant, neque aſſequantur: nec videant, incongruum eſſe, qui coeperint *ſpiritu*, & quod ita coeperint, i. e. euangelii virtute, vi diuina validi, animum moresque afficientis, eos velle id ipſum perſequi & abſoluere *carne*, ritibus corporeis, animo inutilibus, tenuibus, nulla iam vi diuina valentibus, nil profuturis, quia iam deſtituantur ſpe diuino promiſſo nixa: cum praeſertim acceperint, ſciantque, ſe accepiſſe beneficia Spiritus S. non ſubiectos rituum legi, ſed, cum euangelio ſeſe darent: Quod grauiter iis exprobrat percunctando: *vnum* e vobis diſcere cupiam: i. e. obliti mihi videmini eius, quod vel vnum ſatis munire vos ab errore poſſet, & infirmitatem oſtendere legis. Arguit idem 2) inconſtantiam, iam 1, 6. *mirari* ſe, profeſſus, (fieri ergo nec debuiſſe, nec tam facile potuiſſe,) quod tam *cito*, tam leui momento, traduci ſeſe atque inclinari in diuerſa ſint paſſi: & hoc C. 2. leuitatem arguit, qui euangelica virtute coeptum perſequi velint legis tenuitate: qui praeſertim tam laeti

& promti non exceperint modo euangelium, sed & tenuerint, 4, 13—15. vt felices se praedicarent, & eius interpretem Paullum ardenter amarent, & tamen deserant cursum tam pulchre coeptum, 5, 7. &, tanta Dei cognitione imbuti, a Deo ipso amati, & tot beneficiis affecti, 4, 9—12. idolorum cultu liberati, (ergo &, pagani qui fuissent, amplecti volebant rituum legem: nempe ob externam pompam, cui & pagani essent assueti:) velint reuolui ad rituum tenuitatem, nil valituram, & liberati denuo seruire:

Quae bellua ruptis
Cum semel effugit, reddit se praua
catenis? Hor.

Iudaeorum omnino peruersitatem vituperat 1 Thess. 2, 15. 16. ita, vt e factis appareat animus plane peruicax: quippe qui Christum, Messiam, Dei filium, omnium rerum dominum, (non spreuerint modo aut repudiarint, sed etiam) interfecerint: populares quoque suos, ex ipsis, inter ipsos, in eorum terra & vrbibus natos eductosque, vates, (neque enim frustra addidit, ἰδίας, sed peruersitati augendae, non alienos, non exteros:) apostolos expulerint, Deum per omnia offendant, cui probata repudiarint in Christo, repudiata & abolita teneant in lege Leuitica; omnibus hominibus iniqui, quos fastidiant, oderint, exsecrentur fastu gentili: vnde neque ipsi cuiquam possint esse grati: quorum inuidia tanta sit, vt nolint, paganos doceri euangelium, quod tamen ad salutem eorum perineat.

neat. Hic dubium eſſe poſſit, quosnam intelligat Iudaeos? ad Chriſtumne iam verſos, qui nihilo ſecius inviderent paganis: quippe quod & ad Chriſtum verſi feciſſe inueniantur: ne Petro quidem apoſtolo ſatis prompto paganis, Act. 11, 2. ſequ. adde 13, 45. Sed ex hoc ipſo altero loco, vt ex 22, 21. 22. etiam peruicaces Iudaeorum, alienos a Chriſto, euangelii hoſtes, noluiſſe tamen apoſtolos, populares ſuos, excurrere ad paganos, aut doctrinam iis proponere, quam, vtut ſpernerent ipſi, viderent tamen beneuolentia in paganos & amico conſilio iis proponi, honorificum cenſentes paganis, indignum ſuis, Iudaeum ad eos venire magiſtrum, cuiuscunque tandem doctrinae. Quare verba, *vt ſeruentur*, non ex Iudaeorum animo dicta ſunt, vt qui ſalutarem non cenſerent euangelii doctrinam; ſed ex Paulli ſenſu, qui ſciret, ſalutarem eſſe, & ſalutis conditione arceri, qui prohiberentur illam edoceri. Quo maior appareat Iudaeorum peruerſitas, qui non modo rem per ſe ſalutarem reiiciant, ſed & aliis vulgari, odio caecati, nolint atque impediant.

Addi huic generi poſſit Antichriſti, vel quemcunque Paullus ſignet, deſcriptio, 2 Theſſ. 3: init. quem notat 1) ab animi improbitate, peruicacia, arrogantia & tumore, Deum ſeſe ferentis, &, quidquid ſacrum atque verendum ſit, deſpicientis ac proterentis: 2) factis, qui diuinum ſibi honorem aſſerat, Dei ſedem velut Deus inuadat, ſacra omnia, religioſa, omne σέβασμα,

i. e. res & homines religione, vel ciuili maiestate sacratos, proculcet: praestigiis homines fallat, perniciem aliis struat, vt υἱὸς τῆς ἀπωλείας, homo pestifer: 3) exitu infelici, (ob quem & ipsum dicatur *υἱὸς τ. ἀπ.* exitio dignus ac destinatus:) ex vindicta Dei, v. 8. & ipsum, & opera eius omnia abolituri.

Alia huius generis breuiora, vituperationem continentia moris vitiosi, *morum* notationi reseruamus, cui sint propiora. Vnum etiam addimus, vt proprie ad reprehensionem compositum: quod Ebr. 5, 11. 12. tarditatem arguit Ebraeorum Christianorum, ob quam doctrina, quam proponere velit, sit δυσερμήνευτος, difficulter explicetur: non per se, aut ipsi Paullo, sed qua ipsos, vt stupidiores, quam qui capiant: (vt lex dicitur ἀσθενεῖν, Rom. 8, 3. non per se, sed ob infirmitatem eorum, quibus sit data: adde Gal. 3, 21. & alia, notata in Log. Paull. p. 48. lit. β.) Quem illis stuporem obiiciens, νωθρούς, socordes, ait, γεγονέναι, i. e. esse: non, quo antea fuerint sapientiores, & nunc *facti* sint tardiores: (de quo genere Metonymiae vid. Phil. Thuc. Paull. p. 229. init.) vtut, meliores ab initio fuisse, e C. 6, 10. 10, 32. sequ. colligas, nisi ibi de studio & factis agatur, hic de cognitione. Augetque magnitudinem stuporis inde, quod caussa fuerit, cur abesse ab illis debeat: quia per tam longum tempus fuerint instituti. Vbi vitur luculenta sane extremorum antithesi & diserta: qui *doctores* ipsi esse debeant, *docendos*

esse

eſſe denuo, vt oblitos & negligentes: quin ne *elementa* quidem prima ſcire; qui τέλειοι eſſe debeant, poſſint, eſſe νηπίους, infantum more rudes: qui ſolidum cibum ferre poſſe debeant, lacte egere. Ita neque antithetis, nec metaphoris parcit in re graui & indigna! Cuius quidem acerbitate ita plenus eſt, & quaſi mordetur intime, vt C. 6. inde a vſ. 3. eo reuoluatur. Profeſſus enim, ſe tamen alio tempore, quando ita ferat eorum ſtupor, & illa elementa propoſiturum, commotus ea neceſſitate, grauiter rurſus inſurgit in eorum ſtuporem, qui ſibi iniungat iſtam neceſſitatem in oblitis vel negligentibus rerum tam pulchrarum, quas exornat verbis exquiſitis atque illuſtribus, vt ex magnitudine rerum appareat turpitudo negligentiae atque obliuionis. Memorat enim pulchram Dei doctrinam, & diuina origine & rerum pulchritudine amabilem: & quae alia ſubamplificat, commodius recenſentur: quae omnia iam vel oblitti ſint, vt non acta, vel negligant, vt tenuia, & a fide deſciſcant: quod, vt nondum acciderit, poſſe tamen, monet, in tanta eorum incuria atque ignorantia. Ita notata eorum prauitate, *periculo* quoque eos terret; fieri poſſe, negans, difficile certe fieri, vt tales a tali lapſu reſurgant, qui *omnia* Dei auxilia, beneficia, munera *ſumma*, iam accepta & percepta, repudiarint, contemſerint, abiecerint, Chriſtum ipſum, Dei filium, pro ludibrio habeant, cuius doctrinam & vim omnem ſua defectione eludant, quaſi nul-

lam, aut vanam, deridendam proponant, quantum ſit in ipſis: quibus adhibita, in quibus efficax, tamen retinere illos ac munire a defectione, aut continere in fide non valuerit: quin in *crucem* plane agant, i. e. non filium Dei illuſtratum atque excelſum habeant, ſed ſimplicem hominem, capitali ſupplicio interfectum, cui iam fidere, aut parere, aut quidquam tribuere omnino, nil ſane attineat; (haec enim vis eſt h. l. vocabuli ἀνεσταυρῶντας, pro ſimplici, vt ἀνασκελοπίζειν, ἀναπεμάσαι.) Nempe, ſi iam ei nil tribuant, relinquitur, vt pro ſimplici homine habeant, per crucem interfecto, cuius mors nil habeat ponderis, nil dignitatis, nil efficientiae. Adde breuem Ebraeorum reprehenſionem, quod 12, 4. 5. quod, nondum in *mortis* diſcrimen vocati ob Chriſti profeſſionem, ſed leuia tantum paſſi, deficiant, immemores diuinae vocis, quae incommoda faciat paterni amoris ſigna: velut nolint eſſe filii, vſ. 8. Quod auget a minori ad maius: ſi caſtigationem patrum 1) corporeorum τῆς σαρκὸς, 2) arbitrariam; κατὰ τὸ δοκοῦν αὐτοῖς, non ſemper ſapientem, aut ſalutarem, aut, ſi tamen profuerit, 3) in breue vitae tempus profuturam, 4) cum pudore pertulerint: nonne multo magis parendum eſſe caſtiganti patri mentis, ſapienter, ad ſalutem?

Satis multis exemplis inſtruximus hunc primum locum: veniamus ad

CA-

CAPVT IV.

DE

GENERE DELIBERATIVO.

Hoc genus versatur in suadendo ac dissuadendo, cohortando ac dehortando: haec *forma* est eius, ratio atque conditio; *materia*, in qua versetur, est *utilitas* aut incommodum. Vtrumque ita tractat, vt appareat, commodum aut incommodum esse aut proponi 1) magnum 2) certum, adde interdum, & promtum, ac facile consequendum 3) quod expetant vel fugiant hi, quibus aliquid suadeatur vel dissuadeatur. In hac caussa & saepe varsari Paullum, & prudenter, grauiter, diligenter, cum fide, comiter quoque & amanter, videbimus: ac primo in

Laudando & cohortando. Hanc Paullus caussam tractat omnibus locis, ubi ad officia cohortetur, & agendum aliquid commendet ac proponat iis, ad quos scribat. Vbi, quibus argumentis rem gerat, videbimus: non *utilitatis* tantum memores, quae est propria loci huius, sed & aliorum argumentorum, quae rem ostendant accommodatam certe alicui loco, tempori, consilio: *aequi* etiam additis argumentis. Quorum etsi illud est demonstratiui generis, hoc forensis: possunt tamen & huc coniici, quoad inseruiant cohortationi, aut, sicubi fuerint omissa in istis locis, hinc repeti, hinc suppleri. Ita tamen moderabimur rei nimis copiosae, vt *instructa* excerpamus, i. e. quae uberiorem disputatio-

tationem aut habeant aut poſcant; ne totus ſit exſcribendus Paullus, aut ſimpliciter poſita, aut unius forte verbi adiectione firmata, notaturis.

Rom. 6. tot ad ſanctitatis ſtudium cohortatur; vtilitate: quam repetit 1) e ſocietate vitae Chriſti, vſ. 5. 8. cuius ſint copiam habituri, ſi mortui fuerint prauitati, eamque plane reliquerint; vſ. 5. Quam utilitatem ponit *magnam*; quid enim ſit maius, aut felicius, quam Chriſti, Dei vitam viuere? *certam* eandem, ex analogia & conſequentia mortis cum eo ſociatae: quam ſicut in Chriſto vita ſit conſecuta, ita & in nobis ſecuturam: *expetitam* eandem, per baptismum, quo ſponte & libenter ſuscepto, venerint in ſocietatem mortis Chriſti, vt morituri & ipſi qua ſenſus pravos moresque, ea ſpe & conditione, vt cum Chriſto, per Chriſtum, agant in vita, nunc ſancta, olim beata: 2) ex efficientia ſalutari talis vitae, iam per ſe pulchrae, iucundae, ſalubris, & quam profecto conſequatur vita olim aeternum beata: vſ. 22. ubi diſtinguit *fructum*, quo iam nunc vtantur, ſanctitatem, per ſe decoram nimirum, cuius pudere non debeat, vt prauitatis, vſ. 21. & vero ſalubrem, quia *fructum eſſe* appellat; (pietas enim ad omnia prodeſt, 1 Tim. 4, 8.) diſtinguit ergo a τέλει, exitu, praemio, conſilii ſummi copia, vita aeterna. Reliqua huius capitis partim ad dehortationem referuntur partim ad aequitatem. Illud tamen non negligendum eſt, & proprium loci huius, quod *faci-*

lem

lem ostendit hunc fructum: primo, quod redundet ex morte & vita Christi, quae parauerit nobis illum fructum, quin iam *dederit* per baptismum vs. 3. 11. ubi, in *Christo* Jesu potest esse, per Christum, Christi virtute & auxilio; quin & Dei auxilium accedere, per Christum, Christi causſa, illius morte conciliatum, Christo illustrando datum: nam, quod velit Deus, ei rei & auxilio fore: cuius ope iam sint liberati a prauitate, vs. 17. nam, si *gratia* Deo est ideo habenda, ergo auxilio eius res est effecta: vt Rom. 7, 24. unde & *passiue* loquitur, factum in iis, ab alio ergo: liberati, nempe a Deo. Iam ergo & inde promtum ostendit fructum, quod iam sint liberati, vt ab imperio, ita & a *culpa* pravitatis, utrumque enim innui istis verbis, mori *delictis* & *prauitati*, & liberum esse ab iis, vs. 2. 11. 14. 22. cum e contexto apparet, tum ex iis, quae c. 5. de liberatione a *culpa* disputauit; sed & res ipsa docet; liber enim a prauitate non sit, quem culpa eius premat: nec possit animo libero, alacri, expedito, laeto & securo Deum colere, aut virtutem ex eius praescripto exercere, aut *auxilio* fidere Dei, nisi venia impetrata, poenae metu solutus vacet, diuinique favoris certus agat, solide placato Deo: recte enim Horatius:

Qui metuet, liber mihi non erit unquam.

Ita ergo liberatos, posse, demonstrat, libere indulgere studio sanctitatis, neque odii diuini

metu, nec poenae timore, neque amore prauitatis, iam cursum sufflaminante: 3) facile esse, si iam *eodem* modo, studio, amore, cura, Deum & virtutem colere voluerint, quo adhuc *prauitati* indulserint. Quam similitudinem vocat ἀνθρώπινον, vs. 19. i. e. facile assequendam sensu & factis, pronam, simplicem, minime obscuram aut impeditam; cogitare enim Christianos iubet, quam omne olim studium, quam facile, quam libenter, quam enixe & effuse, contulerint in studium prauitatis: quam nullum laborem, ne periculum quidem, defugerint, vt prauis studiis satisfacerent, praua consilia tenerent: nempe, quia *voluerint*, quia amauerint prauitatem; facile enim fit, quid quid a volente & amante suscipitur: Hoc studium si iam contulerint, notum ipsis, promtum, solitum, ad Deum & virtutem colendum, materia mutata non modo, ad alia, non aliter: scituros & habituros, quomodo agant, diuersa quidem, sed eodem modo, studio operaque retenta & porro adhibita, sed in aliis rebus: similem argumentationem dixeris illi Horatianae Epist. 1, 1, 42 — 48.

Vides, quae maxima credis
Esse mala, exiguum censum turpemque repulsam
Quanto diuites animi capitisque labore:
Impiger extremos curris mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa per ignes;

Ne

Ne cures ea, quae ſtulte miraris & optas,
Diſcere & audire & meliori credere non
vis?

Quod eos velle & *debere*, vt melius ſibi conſulturos, rectius & felicius collocaturos deſiderium conatumque, pro turpibus & noxiis decora & ſalubria amplexuros & aſſecuturos, vſ. 21. 22. & *poſſe*, vt liberatos a prauitate, ei iam mortuos, ſanctitati aptos, per Deum & Chriſtum vſ. 22. *facile* idem eſſe, vſ. 14. vt lege non preſſis, qua ſeruanda nil agant, quia ſeruare nequeant; ſed fruentibus beneficio diuino, χάριτι, liberatione per Chriſtum, venia delictorum, auxilio Spiritus S. & ſpe vitae aeternae; quod efficiat, vt iam promti alacresque Deo placato, tamque benigno, placere ſtudeant. Eandem cauſſam tractat c. 8. vbi rurſus hortatur ex aequo vſ. 2. rel. 12. quod iam Deus ſibi mancipauerit Chriſtianos, liberatos prauitatis culpa, vſ. 1. poena, vſ. 3. & imperio, vſ. 4. 8. filium pro iis ſuum obiecerit, vſ. 3. Spiritumque ſuum ac filii ſui iis dederit, vſ. 9. 15. vnde velut triplex ius ſit in illos Deo, cui ſubtrahere ſe tanto debeant minus, 2) quod ſit vtile & ſalutare iis futuruni, Deo ſe praebere, praebituro vitam nunc ſanctam, vſ. 10. corporis quoque, vſ. 11. poſt mortem, ac deinde aeternam & beatiſſimam, vſ. 18. rel. 3) quod facile ſit iis, conſequi hanc tantam vtilitatem, tam certam, e fauore Dei, vſ. 3. morte & vita Chriſti, vſ. 11. & auxilio praeſenti Spiritus S. praeſentis, ibid. tam expetitam & deſideratam omnibus,

τῇ πίστει, vſ. 19. rel. ut liberatis a prauitate, vſ. 2. 3. 4. tum Chriſto intime ſociatis, vſ. 10. tum a Spiritu S. adiutis, qui eos regat praeſens, ad bonum vertat, impellat, firmet, alacritatem vires, que praebeat, vſ. 11. *precari* idem doceat, vſ. 26. 27. qua de re mox plura: facile idem eſſe ex alacritate, qua Deo ut liberi fidant; ab omni timore alieni. Quem timorem vocat *mentem ſeruitutis*, ſenſum ſeruilem, obnoxium. Qua tamen circumſcriptione abuti non poſſis ad tollendam hypoſtaſin Spiritus S. quaſi & *Spiritus adoptionis*, & ubi occurat in hoc Capite *Spiritus* vocabulum, vbique notet *ſenſum* a Deo inditum menti noſtrae. Quis enim ferat, aut concoquat, illum ſenſum & animum dici confirmare animo noſtro, vt teſtem diſtinctum ergo & alium ab animo noſtro, nos eſſe filios Dei, vſ. 15. aut *cum eo, ſimul* hoc teſtari, affirmare? (Nil enim impedit, quominus hic urgeas particulam σὺν in συμμαρτυρεῖ, ut 9, 1. Ebr. 2, 4. ubi itidem manifeſto plures teſtes vel auctores diſtinguuntur;) Animus affirmat hoc noſter & conſcientia, vt Iohannes ait, Epiſt. 1, 3. 20. nos non damnat, vt ſentientes, probantes, cupientes, credentes, agentes, quae Deo probentur, & omnia viciſſim impetraturos a Deo, quae itidem hic Paullus refert vſ. 14. 15. 26. & quod Paullus dicit, vſ. 21. Deum, qui ſcrutetur, qui norit mentium ſenſus, ſcire *ſenſum* noſtrum, a Spiritu S. motum, idem Iohannes ibi ait, Deum ſcire omnia, & probare animum noſtrum, utut nos dam-

damnantem, culpae admonentem, poenae metu terrentem: quem terrorem, certe & ipsum, Paullus vs. 26. vocat ἀσθενείας, infirmitates, vexationes: plane vt haec loca sibi respondeant, & alterum alter illustret. Sed, siue pro simplici acceperis συμμαρτυρεῖν, vt vs. 22. συστενάζειν & συνωδίνειν & si & ibi *omnium* gemitum, omnium dolorem & querelam consentientem notare possit: siue vim reddideris suam particulae σὺν *duo* vtique hic testantur, vel affirmant, aut certe alteri alter: Spiritus ille Dei & noster, vel ille Spiritus nostro. Quis porro autem ferat, Spiritum illum, si sit animus ipse, vel sensus noster, dici, vs. 26. 27. precari *pro* nobis, *pro* sanctis, precandi nescius? Efficitur ergo, vt Spiritus ille testis, auctor, deprecator, non sit vis Dei aut efficientia, sed natura absoluta, cuius *sensum* norit Deus, vs. 27. qui pro nobis intercedat apud Deum, κατὰ θεὸν, vel vt est Ebr. 2, 17. τὰ πρὸς τὸν θεον, vel ad voluntatem Dei, quod placeat Deo, & ab eo annuatur. Per haec ergo omnia *facilem* demonstrat esse nobis & promtam huius tantae utilitatis copiam: *certam* eandem, cum per haec omnia & singula tum ex desiderio, querela & spe τῆς κτίσεως, vs. 19. Quam κτίσιν, impeditum sane est, interpretari vniuersam rerum naturam: eo quidem impeditius, quod & poetica plane fuerit ista prosopopoeia, & nimis figurata, ne dicam, frigida: nec multum solatii ad Christianos redundaturum videatur ex tali iactatione & figura hyperbolica: tum, quod nullo modo dici queant animalia bru-

ta,

ta, nedum lapides aut ligna aut ſidera, deſiderare liberationem filiorum Dei, aut ad illam peruentura. Nam ſi vel maxime *aliquid* exſpectent reliqua Dei opera: quod non poſſint tamen, nonmodo ſine conſcientia & ſenſu, ſed multo minus ſine *notitia* libertatis futurae: *ſuam* nempe exſpectent, non filiorum Dei, ut nec notam iis, neque vllo pacto expetendam. Niſi forte illa verba, ἀποκαραδοκία — — ἐκδέχεται, verti placeat: illa exſpectatio ſignum eſt & argumentum ſecuturae liberationis filiorum Dei & ipſorum: vt argumentum procedat ex vniuerſo ad partem praecipuam, a minori ad maius. Quod vt patiatur forte vſus loquendi: durius tamen verbum, ἐκδέχεται, coëgeris notare, exſpectandum ſignificat; & res ipſa laboret; cui enim vnquam conſtitit aut innotuit de illa deſiderii exſpectatione, qua mouerentur res creatae; quam tamen vt notam conceſſamque Paullus ita ſumit & ponit, vt ex ea repetat colligatque rem velut incertam adhuc, quam inde certam reddat; demonſtratio enim, vt ait Cicero, a *perceptis* ducit ad non percepta: & Paullus, vſ. 22. ait: *ſcimus* enim: conſtat: quod de re tam ignota, tam improprie figurateque dicta, tam dubia, quis putet aut ferat, poni? Nec minus obſtat, quod, liberandam eſſe, ait, κτίσιν, ad *libertatem* filiorum Dei, vt ad eam & ipſa perueniat. Nam & hoc contortum videatur, vt εἰς hic notet, *usque* ad id tempus, ad eum finem: vt explicari poteſt, non tamen debet, Gal. 3, 24. εἰς τὴν μέλ-

λουσαν

λθσαν πίσιν ἀποκαλυφθῆναι, i. e. donec plane adesset & innotesceret euangelii doctrina. Quod autem nuper, (liceat enim, vt campo aperto, excurrere in locum vexatum & grauem,) non sine studio & fauore laeto cognoui ex libello, quem Lipsia ad me misisset Doctiss. Weiskius, A. M. in libello ad Cl. Gurlittum, κτίσιν explicari Iudaeos legi liturgicae subiectos, quae lex ipsa hic dicatur Paullo ματαιότης· in eo ita probo curam atque ingenium Viri sane ad laetam spem eruditi, vt, obstare tamen huic sententiae putem, primo, quod non ausim legem Dei, putare dici *vanitatem*, idque ita simpliciter. Nam etsi Gal. 4, 9. eam vocat ἀσθενῆ καὶ πτωχὰ στοιχεῖα, tamen & lenius hoc est, quam, ματαιότητα dici: & euangelio ibi opponitur: & consilium ibi est Paullo, eam extenuare: quod hic non apparet. Nec vero video, cur Iudaei, qui post Christum natum, id est, iam non valentem illam legem aut tenentem, tamen adeo peruicaciter retinerent, potuerint dici ei subiecti aut semet subieciſſe οὐχ' ἑκόντες, *inuiti*; quis enim cogebat, euangelii libertate iam proposita: ad quam etiam vocati, accedere possunt, simulatque collibuisset? Immo ἑκόντες, volentes, tenebant, nolente Deo, certe non cogente. Aut quomodo tam obfirmatis, sponte sua, ad eam retinendam, tribui possit ἀποκαραδοκία, exspectatio, vt ab ea liberarentur? Quodque vel maximum sit; non de Leuitica lege aut hic, aut in tota Epistola, loquitur Paullus. Nec ratio denique

que

que apparet aut procedit, qua ex illo desiderio Iudaeorum aut exspectatione, si qua sit tamen, quidquam efficiatur ad fidem felicitatis aeternae; prae qua nihili sint omnia mala huius vitae? aut qua solatium inde repetere Paullus & ostendere possit mala ferentibus. Vbi deinde Iudaei simpliciter κτίσις appellantur? Audiui etiam Virum doctum & mihi obseruandum, qui κτίσιν interpretaretur Christianos, seruientes paganis, Romae vtique, & ματαιότητα ludos, spectacula, venationes. Placuit multis modis: nam & res congruit & ματαιότητος appellatio, & solatii ratio, & reliqua omnia: nisi, quod locus non exstat, vbi mancipia κτίσις appellentur. Tecte tamen locutum Ille volebat Paullum consulto: quod sane & 2 Thess. 2. facit de Anti-Christo. Verum ibi apparet voluntas tecte loquendi, quae hic non appareat. Quin ex hoc ipso, quod tecte loquatur, difficultas augetur liquido quidquam tale constituendi, κτίσιν tamen, non seruos, sed Christianos, κτίσιν θεῦ interpreter, si probaro hanc rationem, cetera haud quaquam sane impeditam. Nam Christianos, omnino interpretari, quod mihi olim placuit ipsi, & commendatum a me est amico docto, qui & ipse cognitum probaret, antithesis vetare videatur filiorum Dei; quae & e paganis ad Christum versos, intelligi, vt Iudaei, ex antithesi, dicantur filii Dei, non minus vetat. Sed nimirum, ne temere, & quasi liberalius, abiiciam mihi & per me aliis probatum, quod alioqui non verear, ita valebit

ista

ista ratio: omnes pii, Christiani, κτίσις θεοῦ, gementes miseriam, prauitatis insitae & calamitatum, & cupientes liberari ab ea, ostendunt hoc desiderio, quod irritum pati non possit Deus, fore, vt aliquando, exsoluti illa, perueniant ad libertatem & felicitatem illustrem filiorum Dei, i. e. quae illis ipsis, vt piis & Christianis, reseruata diuinitus ostendatur. Ita non distinguatur κτίσις a filiis Dei, sed alia appellatione signetur: tanquam, si Paullus, ipse apostolus, dicat: *ego* Paullus vti possum iure *apostolorum:* nempe non a me, vt non apostolo, distinctorum; sed qui sim & ipse, & *quia* sim. Haec κτίσις vs. 23. distinguitur, per vocab. ἡμεῖς, ab apostolis, habentibus primitias Spiritus S. i. e. munera eius 1) prima, 2) praestabiliora, quam alii; haec enim duplex primitiarum conditio est. Ita difficultas euanuerit, quod vs. 20. vocabulis καὶ αὐτὴ, *& ipsa* distingui videatur a filiis Dei. Nempe ab apostolis distinguitur: qui, etsi nondum nominati, in mente tamen apostolo essent: vt fere sunt ei, cum ἡμεῖς dicit. Summam ergo vt faciamus: ad vtilitatem 1) magnam, 2) certam, 3) expetitam, 4) promtam, grauis & disertus cohortator vocat apostolus. Iam in cohortando ad bona omnia sequenda & mala vitanda, totus est in extrema, vt solet, Epistola, a Cap. 12. ad 15. idque primo omnino, 12, 1. 2. Hortatur autem per misericordiam Dei, i. e. quia Deus illis tantum beneficium tribuerit, quod antea exposuisset, cui gratos esse conueniat, ne-

que aliter percipere liceat illud beneficium. Quo fundamento nixus, hortatur, vt seſe totos praebeant Deo, ac velut victimam conſecrent: ea de cauſſa, quod hic verus ſit animi cultus, quo ſolo probari Deo poſſint. Mala iidem vitent, hortatur, neque abeant aut fingantur in mores impiorum: & quae ſequuntur: quae iam non attingemus, vt ſimpliciter poſita, ſine vtilitatis argumentis, quae propria ſit huius cauſſae. Cuius tamen argumenta ſubiicit vſ. 19. 20. officio hoſtium beneficiis iuuandorum: quod ita congeſturi ſint pruinas ardentes in capita eorum: quem locum explicare iam ſtuduimus in Log. Paull. p. 213. hic tantum exemplum ponimus cohortandi cum cauſſa, ex vtilitate. Ea vtilitas eſt 1) magna, quia hoſtes vincuntur & molliuntur, vt ita pax, otium, concordia redeat, vigeat: 2) exoptata eadem; quis enim, vt Socrates ait, apud Xenoph. M. S. 1, 2. interficere aliquem, quam viuo vti ad omnia promto? Quis non vel vincere hoſtes cupiat, vel placare, vel, ſi humanis tantum ſenſibus res agatur, intime pungere & pudore afficere? Quod hic liceat, quia fiat honeſte, molliter, ſalubriter; 3) certa itidem & promta; nam, vt idem ibidem Socrates ait, vi ſubacti, vt abſtracti, oderunt: deliniti, (πειθεντες, adducti, inuitati,) vt beneficio affecti, amant; haec eſt vis beneficiorum certa: certior etiam, quod nil periculi habet, vt violentia, qua ſi utamur, vinci poſſimus & ipſi; neque exitu noceat, etiamſi fallat: quod ipſum accidere non ſoleat

ta-

tamen: 4) honesta denique, quia malum vincitur bono, quod habeamus in animo, ostendamus factis, tribuamus inimicis: quo quid generosius? cum, qui vlcisci festinent iniurias, prodant animum leuem, asperum, immitem, malis victum & abreptum ad mala, ad quae inuiti saepe extrahantur. Principibus & magistratibus parere hortatur 13, 1 — 7. a) quia sint diuinitus instituti vs. 2. non omnino modo, aut *obiectiue*, qua *rem* ipsam, ut Deus velit, esse magistratus, homines regi per magistratus; sed & *proprie*, singulatim, *subiectiue*, qua ipsos, vt, *qui* sint principes, vel in magistratu, hoc illoue tempore, loco, αἱ ὔσαι ἐξουσίαι, sint a Deo; quibus qui pareat, ipsi pareat Deo: qui non pareat, Deo repugnet ipsi; quod sit, vt impium, ita pernicioſum peruicaci; 2) quod sint utiles, salutares, vs. 2. 3. ad improborum terrorem, ad bonorum securitatem: unde felicitatis interſit, qua publicae, qua priuatae, coli principes: 3) quod sit exoptabile & iucundum, parere imperantibus vs. 4. quod sic liberi a metu agamus: quid enim metuat, qui ipse nil delinquat, & poenae metu arceri improborum iniurias a vita, fama, re sua, sciat? 4) facile esse & promtum, modo vetita legibus caueantur, iussa peragantur: quae & scire promtum sit, & seruare: 5) quod vectigalia ideo & tributa pendantur partim in confessionem, nos iis esse subiectos, tum vt parte fructuum nostrorum, vt Cic. ait ad Qu. Fr. 1, 1. redimamus pacem atque otium sempiternum: neque essecuturi, si non illa pendamus, & frustra redemturi, si ordinem ipsi turbemus. Quae

omnia, quis non videt, ad *utilitatis* rationem compoſita eſſe? Cui addideris, vſ. 5. conſcientiam ipſam συνειδησιν· quam interpretari liceat vel ſenſum animi & confeſſionem ſentientium, nos ſubeſſe imperantibus, quibus tributa pendamus vel potius cognitionem voluntatis diuinae, cui parere, vt aequum, ita ſalutare ſit: vel vtrumque iungi licet: ſentitis, ſubeſſe vos magiſtratibus, idque & Deo volente, & conſilio ſaluberrimo, grauiſſimisque de cauſſis: quae tria indicantur vocabulis, διὰ τοῦτο, *propterea*, vſ. 6 tributa penditis, a) quia illis ſubeſtis, ideoque parere debetis: b) Deus vult; unde ſubiicitur: ſunt enim Dei miniſtri; c) ſalubre eſt vobis: unde addit: εἰς αὐτὸ τοῦτο προσκαρτεροῦντες, nempe principes, magiſtratus, hoc ipſum attendunt, curant, agunt, efficiunt, vt boni agant ſecuri, mali coërceantur, ne vobis inſultent aut noceant. Ita ſingulis explicatis, ad *omnia* ſimul vocat, vſ. 8. ſequ. & ſummam colligit, *amorem* commendando, praeter quem nil cuiquam debeant: quo reddendo legem ſeruent totam & vniuerſam. Ita & iucunditatem officiorum commendat & promtam conditionem: facile enim & nulla moleſtia ſit, quid quid amor ſuadeat. Addit aliud argumentum, & tempore & conditione Noui Teſtamenti, cum per ſe, tum, quoad illud ſecuti ſint & amplexi Romani, adhuc ſepulti velut ſomno ignorantiae, inertiae, leuitatis, ſecuritatis: quem iam relinquendi tempus ſit, cum & venerit Chriſtus, & ipſis ſit agnitus: unde & turpe ſit, indul-

dulgere huic ſomno, quia iam dies illuxerit, ne in diem ſtertant, & periculoſum, ne excidant & priuentur beneficiis euangelii: unde ait τὸν καιρὸν eos ſcire: id iam temporis eſſe, vt aut nunc aut nunquam expergiſcantur: grauiter addens, ἤδη, iam tempus adeſt: i. e. ſatis diu iam dormiuiſtis ac torpuiſtis: periculum eſt, ne aut nunquam, aut ſero, vos colligatis: tempore autem vti, & honeſtum eſt ſapienti, & utile gnauo ac diligenti; dignum iisdem, vt in luce agere, quibus iam lux affulſerit: induere arma lucis, i. e. veſtes diurnas, lucis celebritate dignas, hoc eſt, ſenſus moresque aſſumere dignos Chriſtiana ſapientia, ſanctitate, ſed & felicitate. C. 14. grauiter hortatur ad commoditatem, lenitatem, facilitatem, qua ferant infirmiores, timidos ac male religioſos, qui vereantur promiſcue vti omni cibo, velut etiam nunc vetante lege. Hos ergo iubet (προσλαμβάνειν,) *recipere*, i. e. non faſtidire aut repudiare, velut non Chriſtianos, ſed carentes cognitione Chriſtiana, quaſi ſemi-Iudaeos; ſed ferre, amare, pati ſuo ſenſu vti, quia non laborent in ſumma profeſſione. Haec eſt ipſa cohortatio, propoſita vſ. 1. cui additur explicatio, vſ. 2. quinam ſint illi infirmiores, non in doctrinae capite praecipuo laborantes, ſed in ritibus. Argumenta inde addit: 1) quod ad nos nil plane attineat aliorum ſenſus, quo illi credant Deum coli a ſe, offendi diuerſo: unde & *gratias agat* quisque Deo, cum vel vtatur aliquo cibo, vel abſtineat: vt hactenus certe

conſentiant in Deo agnoſcendo & venerando: vſ. 5. 6. Deo autem & Chriſto vni ius eſſe in omnes: vſ. 8. 9. vni eidem rationem pro ſe quemque redditurum: quam reddi homini ab homine, aut poſci alterum ab altero, fas non ſit; quia non liceat, ius aſſerere ſibi, quod non ſit, aut Dei & Chriſti iura inuadere; 2) quod noxia ſit futura iſta interpretatio alieni ſenſus morisque, quippe a) nocitura malo exemplo ei, qui ſe paſſus fuerit abſtrahi iſto contemtu aliorum, vt cibo veſcatur, quo tamen veſci, nefas eſſe putet, ſibi; nam delinquere vtique & eum, qui edat διὰ προσκόμματος, vſ. 20. i. e. malo exemplo, quo alliciat alios ad delinquendum: & vero illum delinquere, vſ. 23. qui non fecerit *ex fide*, i. e. vt certo ei conſtet, recte ſe facere, quod faciat: vtrique ergo nociturum, & prouocanti ad culpam, vtut opinatam, at obuerſantem menti alterius, vere peccaturi, quia faciat contra iudicium ſuum, ſententiam conſcientiamque; & huic ergo nociturum, prouocari ſe paſſo. Quod quam indignum ſit & periculoſum committere, docet vſ. 15. quod ſic perdamus, i. e. in culpam poenamque coniiciamus, propter quem, cuius ſaluti, mortuus ſit Chriſtus. En argumentum graue a maiori ad minus: *Chriſtus* ei conſuluit: *homines* vt parcere ei nolimus? *Mortem* ille pro eo ſubiit; tu ne *cibo* quidem careas vel abſtineas, quo leuiter veſcendo commitras, vt in periculum veniat, ne fruſtra pro illo mortuus ſit Chriſtus, & tantum opus peregerit?

gerit? vſ. 20. vbi opus Dei, quod diſſolui vetetur, eſt ipſa mors Chriſti, & fructus eius ſalubres: c) calumniis, rixis, odiis, contumeliis locum datura; vſ. 16. vbi, μὴ βλασφημείσθω, ſign. nolite locum & materiam dare culpandi & inſectandi, nempe iis, qui vos putent leuiter atque inſolenter abuti libertate Chriſtiana: quod *bonum* ibi eorum vocat: quo turpius ſit, rem bonam ipſam verti in malum, & calumniis obiici ſecus ſentientium, qui illos habeant leues, temerarios, contemtores legis diuinae; d) pacem eadem & concordiam turbatura Chriſtianorum, vſ. 20. quibus decorum & vtile ſit, pacem ſectari, & τὰ τῆς οἰκοδομῆς, quae ſint excitando, firmando, augendo ſtudio verae intelligentiae, ſanctitatis, tranquillitatis: e) quod ſumma conditio, vel natura *regni Dei*, i. e. Chriſtianae doctrinae ac formulae, cultus Dei verus, hominum felicitas, non agatur in eiusmodi rebus externis, ſed in vera virtute, qua ſola Chriſtum colamus, Deo probemur; (Deo ergo placet, qui Chriſto δουλέυει·)| & hominibus grati ſimus. e) quod Chriſtus ipſe exemplum praeiuerit huius commoditatis & patientiae, C. 15. init. nec ſibi placuerit, i. e. non ad ſuum ſenſum, ſuam dignationem, dum in terris ageret, omnia retulerit, non *coëgerit* homines in ſuum ſenſum moremque fingi, nec terrorem incuſſerit maieſtatis diuinae, cum poſſet, Phil. 2, 7. diſſentientibus, aut obloquentibus, aut non parentibus, Ebr. 12, 3. ſed vltro patienter tulerit contumelias atque iniurias. Vbi rur-

ſus latet argumentum a maiori ad minus: ſi Chriſtus, Dei filius, patientem ſeſe exhibuit: quid nos miſeri homines? ſi iniurias ille & contumelias pertulit: nos leuem diſſenſionem in re tenui non feremus? ſ) vtilem quoque futuram iſtam commoditatem, vſ. 4. ſpem habituris per iſtam patientiam & cohortationem Scripturae S. etiam per vaticinia repraeſentantis exemplum Chriſti, ſpem ergo habituris, fore, vt omnes vno animo & ore Deum colant, pax & concordia laeta floreat, Chriſto ſimiles reddamur, qui ſeſe praebuerit famulum vel miniſtrum περιτομῆς, vſ. 8. (qui verſus, vt explicatio, refertur ad vaticinium vſ. 3. allatum: vſ. 4—7. ſunt in parentheſi) i. e. α) ſubiecerit ſe legi Moſaicae per circumſectionem, qua non teneretur: tantum in gratiam Iudaeorum, ne offenderet illos, aut opus ſuum inhiberet, quod a non circumſecto non probarent: β) ipſis Iudaeis τῇ περιτομῇ, circumſectis, quibus poſſet rebus, obſecutus ſit, modo vt ſummam teneret. Sed latiſſimus cohortandi locus & vberrimus eſt 1 Cor. 7. tot. & verſatur totus in ſuadendo & vtilitate proponenda. Praecipit autem coniugibus primo, vſ. 1—10. propoſita ſententiae ſumma, vſ. 1. 2. γ) hominem, ſi poſſit, rectius coniugio abſtinere. Quod non diſſuadendo omnino, aut ſimpliciter contemnendo matrimonio ſcribit, ſed ob cauſſas, quas deinde commemorat, cap. extr. tempori datas magis, quam cauſſae. Poſſis & hoc addere, quia vniuerſe tamen loquitur: habere ſane abſti-

nen-

nentiam illam, si sit vera & pura; continentiae ac modestiae significationem & conditionem, & imperii in cupiditates corpori seruientes. Potiorem enim caelibatum Paullo visum, vel per se, vel ob tempora, dubitare non sinat vel hic versus, vel 8. 20. 33. 40. vtut non diuinitus, sed vt suasori cauto & fido. Nam, si quo loco, si qua in caussa suasor exoritur Paullus, hic certe facit, vt diserte prae se ferat, diligenterque ingerat, vs. 6. 12. 25. 35. 40. non Dei legem, quam nullam ea de re habeat, sed consilium tantum, a se afferri, quo & vti & non vti liceat sine culpa, Deo nil vetante, nil iubente: vs. 4. 28. 37. Quo loco mirari conuenit Paulli 1) prudentiam, a) distinguentis consilia sua a praeceptis Dei, b) salubriter suadentis; salua tamen lege diuina: 2) moderationem ac liberalitatem, non obtrudentis vt necessaria, aut pro lege, de quibus nil sanxisset Deus; quod nec posset Paullus. Grauiter enim aut fallitur hic Theodoretus, aut duplici studio & fauori tribuit: partim episcopalis auctoritatis, quae iam tum misere tenderet sibi circumdare ius legislatorium, partim caelibatus studio tum gliscenti, cum scribit ad h. l. νομοθετεῖν apostolum: quod saepius ei tribuit, (v. Glossar. Theodor. voc. νόμος, νομοθεσία, νομοθετεῖν,) & hoc loco: falso & per se, & hic maxime: per se, quia non erat apostolorum haec potestas, sed Christi; quam neque vindicarunt vnquam sibi, vt hic diserte Paullus a Christi lege distinguit consilia sua, libere sequenda vel

non ſequenda, nempe ſine *culpa*, vtut non ſine incommodo, negligenda: vſ. 28. 32. 35. id ipſum faciens diuinitus, & edocente ac monente Chriſto & Spiritu S. vt a Deo praecepta pro legibus iniungat, ſua conſilia vt conſilia afferat: plane vt 2 Cor. 11 & 12. diuinitus ait ſtulte ſe agere, qui glorietur. Falſo igitur & hic vtique, vbi tam clare tam diligenter diſtinguat conſilia ſua a diuinis praeceptis, &, quae ſuaſerit, libere & aliter facienda relinquat: quo ipſo & b) liberalitatem probat ac ſimplicitatem non obtrudendi aliis aut eripiendi probata nobis aut improbata; quam vtinam imitemur! Sed & c) grauitatem ac ſeueritatem in vrgendis Dei praeceptis, qua fidem, qua mores: vt hic in rebus liberis facilem ſeſe ac liberalem in legitimis & a Deo ſanctis inexorabilem, ſeſe praebet: non ego, ſed Dominus iubet! O dignam legato diuino vocem! Videtis, inquit, me ſimpliciter ac liberaliter agere, vt concedam, quae poſſim, nec pro lege iniungam aut impediam, vbi Deus non interpoſuerit ſuam auctoritem: de meis remittere poſſum: nec vos adigo in meam ſententiam; Dei quidem praecepta mutare neque ego poſſum, nec vobis licet: mihi nil aſſumo: Deo idem eripere ſua nequeo. Haec eſt prudentia, moderatio, ſeueritas cohortationis: quae primo verſatur in commendando coniugio, vt probando & neceſſario ad reſtinguendas libidines vagas, turpes, noxias. Nempe non eo vtique inſtituit coniugium Deus, vt libidines vitarentur: non

ma-

magis, quam cibum potumque ad famem ſitimque reſtinguendam. Poterat enim, vt homines efficere non egentes cibi aut potus, ac proinde neque appetentes, ita & homines condere ſimul omnes, aut vnius ſexus; aut non inſerere amorem ſexus mutuum, ſi nollet, iſto vinculo homines copulari, iſto modo propagari. At, hoc cum vellet, debuit idem & voluit impetum inſerere hominibus, non, quo abuterentur, ſed, quo impulſi ferrentur ad legitimum coniugium, non ad *πορνείαν*, aut libidines, aut polygamiam; quod ſibi diſplicere, iam in Adamo & Eua monſtrauit, ſeque velle, vt ſuum *ἴδιον*, maritum vxor, ſuam *ἰδίαν*, coniugem maritus adſciſceret, haberet, teneret: id eſt, 1) vnam & ſolam ſolus & vnus; non plures: 2) ſibi ſoli & vni, non pluribus: 3) perpetuum perpetuamque, non niſi morte diſſociandos. Hanc enim eſſe vim triplicem vocabuli *ἴδιος*, docet & vis eius, & natura, fides, inſtitutioque coniugii: & Latini *proprium* pro *firmo* & perpetuo ponunt: Virgil. Ecl. 2. *Si* PROPRIVM *hoc fuerit*: i. e. firmum: ſi tenuero, non perdidero: Aen. 1. *Connubio iungam* STABILI, PROPRIAMQVE DICABO, OMNES vt tecum — — annos exigat: & Horat. Serm. 2, 6. init. VT PROPRIA *haec mihi munera faxis*, (nempe iam data,) i. e. firma, non amittenda. Non ergo ob libidines data eſt matrimonii conditio, ſed ob hanc inſitum deſiderium, legitime tamen habendum, vt ad conſilium vertatur, cui efficiendo ſit datum.

Qua-

Quare non de ipso coniugio hic loquitur Paullus, quod suo iuri, suo loco, suae dignitati, vtilitati, necessitati relinquit: cuius sanctitatem & hic, vs. 3. 4. 10. & Eph. 5, 22. & Ebr. 13, 4. grauissime commendat: sed, (contra *diuortiorum* leuitatem, qua & Maecenatem quotidiana diuortia fleuisse, Seneca refert,) de monogamia, de vero & simplici ac perpetuo vnius viri & feminae consortio, quod remedium sit, & quatenus sit libidini: ei quidem homini, qui alio modo difficulter eam sit vitaturus aut superaturus; quod si possit: recte eum & sine culpa abstinere coniugio: illo vtique tempore, quo sit periculosum & molestiae plenum. Coniugibus ergo, qui iam sint, praecipit, 1) suam habere coniugem, suum maritum, vs. 3. quod iam explicauimus: 2) mutua officia sibi praestare, quae coniugium poscat, coniugali amore digna: caussa addita, vs. 4. quod neuter habeat ius aut potestatem sui corporis, quod alteri totum & in perpetuum mancipauerit: quod argumentum refertur ad aequitatem: 3) non dissociari interim, aut secubare, aut vsu & congressu mutuo abstinere, (vigente nimirum matrimonio & constante:) nisi α) ad breue tempus: β) neque id ipsum sine consensu vtriusque partis: vt in re libera, & plane ad ritus referenda, quibus essent adsueti: caussa, addita, vt vacare possint, nonnunquam, ad paucos forte dies, precibus magis assiduis & intentis, & ieiuniis, ad meditationes pias & serias, non interpellante aut auocante corporis voluptate, aut cura domi-

me-

meſtica. Haec vt abſtinentiae aſſuetis ex Iudaismo, paganis quoque ex *caſtu*, quem ſeruaſſent ante dies feſtos, vel ſacrificia aliosque ritus, *permittit* tantum, non praecipit, ita abſtinere aut ieiunare: quod nusquam iubet formula Chriſtiana, nec poteſt, vt ritum merum: γ) reddi ſibi eosdem iubet ad vſum & congreſſum mutuum, liberis operam daturos: cauſſa rurſus adiecta: ne, ſi altera pars denegauerit copiam ſui alteri, haec altera pars, ſtimulante ardore, quem ſedare liceat legitimo officio coniugali, prolabatur ad libidinem alia conditione vtendi: quod futurum ſit indecorum, impium, infeſtum concordiae domeſticae tranquilitatique ciuili: ita & hoc reuocat ad vtilitatis rationem, πρὸς τὸ χρήσιμον· id quoque liberaliter & caute, vſ. 6. per συγγνώμην, non κατ' ἐπιταγήν, concedentis & ſuadentis more, non iubentis. Quid autem? vt interdum ſecedant, ac ſecubent: quod & non facere poſſint, vt a Chriſto non praeceptum, qui nec ieiunandi neceſſitatem impoſuerit, quod tamen facere vel ſine iſta ſeceſſione poſſint, ſi voluerint, vt precibus fungi debent & inter medias coniugii curas & gaudia. Nam reliqua, vt vnum unamque quisque & quaeque haberet coniugem, vt ſeſe amarent mutuo, non Paulli erant conſilia, ſed Dei praecepta. Quare & γὰρ, in hoc verſu, poſt θέλω, non ſign. *enim*, nec cauſſam reddit eorum, quae dixiſſet, ſed eſt pro δὲ, vel μὲν, *ceterum*, *ſane*, & transgreſſioni tantum inſeruit. Neque enim continuatur, proxime quidem aut directo,

ſu-

ſuperioribus; ſed ad aliud deducit: vt Pallus optet & ſuadeat abſtinere coniugio caelibes viduasque: duplici vſus argumento: 1) quod ſit καλὸν, decorum, non per ſe, ſed vt continentiae ſignum, & curis, ſaepe humilibus, ſordidis, tenuibus, liberum; tutum idem, tempori aptum, commodum, expeditum: 2) quod ipſe ita viuat, idque commodum experiatur multis modis; non, vt exempli ſui velut legem aut praerogatiuam obtrudat; ſed, vt teſtis exſtet rei & vtilitatis ſuo vſu ſpectatae: ſtatimque addit, alia aliis placere, eaque eſſe χαρίσματα, diuinitus data: ergo & coniugium χάρισμα eſſe, amoremque eius: quo ſi carere non poſſint: quod nec debeant: expetendum vtique eſſe, ne irrita libidine, urantur. Sed iam praefractius exoritur vſ. 10. non ſuae ſententiae auctor, ſed diuinae legis interpres diuortia vetantis plane, aut, ſi facta fuerint tamen, abſtinere alio coniugio feminam, aut redire ad maritum, iubentis: nec magis marito ius diuinitus eſſe repudiandae uxoris: (niſi cauſſae interceſſerint, a Chriſto poſitae, Matth. 19.) Vnde apparet: 1) diuortia & repudia per ſe improbari Deo omnino: 2) cauſſas incidere tamen poſſe, quae neceſſitatis iure & auctoritate illa tueantur; ingratas tamen vsquequaque Deo, quia non poſſint non habere iniuriam ab alterutra parte ortam: 3) uxori repudiatae ſimpliciter ac ſine cauſſa idonea non licere diuinitus, alii nubere: neque ergo viro, repudiatam ducere: ob Matth. 5, 2, 2. 19. 9. Marc. 10, 11. Luc. 16, 18. 4) repudiatam

ta-

tamen repeti posse a marito, redituram in coniugium, vt ne solutum quidem, veluti postliminii iure. Sed ista nunc nihil ad nos, neque ad eloquentiam Paulli: qui iam, ad coniugium veniens diuersorum, Christiani cum pagana, Christianae cum pagano, non vult, tale coniugium solui a Christiano Christianaue, nisi paganus paganaue soluerint ipsi: tunc licere sane, non vtique oportere; immo mansurum tutius ac salubrius, quod sic a) paci & concordiae consulatur. Nam eo videntur spectare verba, ἐν εἰρήνῃ, vs. 15. nempe, vt Deo praeplaceat, concordes viuere, indissociabilesque manere, utut diuersae professionis, quam per discordiam solui. Nisi quis maluerit, *in pace*, interpretari, *ad pacem* vos vocauit Deus; pacem & concordiam vult a vobis coli; quam si tenere nequeat tale coniugium, melius dissoluatur: modo ne a Christiana parte oriatur discordiae vel diuortii caussa. Grauius illud videtur, & diuino consilio dignius, & vero caussis a Paullo allatis, *sanctos* praedicante, vs. 14. liberos ex alterutro Christiano parente natos, i. e. vel iam Christianos, si sint baptismo initiati, vel propiores certe ad coetum Christianorum, in quem facilius recipiantur, quia alterius tantum partis consensio obstet, facile illa impetranda & elicienda obsequio coniugali, vel liberalitate alterius partis: & adolescentes liberi iam fere instituantur ad formulam Christianam a parente alterutro. Nec vero b) quae altera hic est caussa, liberos modo, sed & parentem ipsum alterum, verti posse ad Chri-

Christum, manente coniugio: neque illam tantae vtilitatis ac tam laetae spei conditionem praecidendam esse diuortio. Sed cur & hoc diuinitus praecipi, negat? Aut quid liberum hic reliquit Deus, Paulli consilio disceptandum? Nempe Deus omnino vult, indissolubile esse coniugium, ne sacrorum quidem diuersitate dirimendum: seu duxerit paganus uxorem, quam sciret esse Christianam, & contra; nam, si soluendo coniugio non sufficit sacrorum diuersitas, ne iungendo quidem obstat; seu, inito matrimonio & constante, altera pars ad Christi sacra concesserit. Quia tamen pagani aut ignorabant leges Christianorum, aut non curabant, neque iudicari ex iis poterant, nisi facti essent Christiani: suadet Paullus, vt, quoniam diuortia tum priuatim peragebantur, nulla auctoritate praetoria, vt neque apud Judaeos: (unde alia conditio est & caussa rei hodie, vbi praetor [das Oberamt,] sese interponit, cognituru caussam & probaturus aut improbaturus:) coniugum arbitrio tum relicta, virorum maxime, immo libidini, non cognitioni aut iurisdictioni praetoriae vt hodie, cuius disceptationi, dum recte habeatur, idoneas sequendo caussas, non magis derogatum quidquam velit, quam Christus Math. 19. sed leuitati tantum priuatae repudiandi priuatim, obuiam itur; suadet ergo, & consuetius dicit, pro temporum istorum conditione, vt ne vrgeat iura matrimonii coniux Christianus vel Christiana, neu sese obtrudat parti paganae, tentare illa ac dissoluere cupienti;

par-

partim, quia necquidquam pugnatura sit pars Christiana, in tanta paganorum tum potentia & fauore: partim, quia, si obtinuerit vtique ac peruicerit, turbulentum coniugium sit futurum ac discordiae plenum: vtut, firma stare coniugia, per se atque in vniuersum placeat Deo. Quare haec Dei voluntas est, illa Paulli sententia, temporibus data, quibus ipse interdum aliquid concessit Deus, in patriarchis & Judaeis: non magis soluendae legi simplici atque vniuersae, quam miraculis soluantur naturae leges, aut principali beneficio atque indulgentia ius commune. (Instit. Iustin. I, 2, 6.) Neque aliter explicari res poterat, cum pagani nec praeceptis, nec ciuiliter, cogi possent ad ea obseruanda, quae Christiani scirent Deo placere, & vero scire & pagani, monitu naturae & prudentiae ac securitatis civilis, possent, sed, quae leuitas esset illorum, & diuinarum negligentia legum, minus curarent, alia ostendentibus moribus & libidine commendante. Hac ille occasione usus suadendi ac cohortandi, ab una causa omnes amplectitur, vs. 17 — 24. per analogiam suadens vniuersis, vt teneant suam quisque sortem conditionemque ciuilem & externam, neque ulli aduersari, aut ab ea reuocare, putent, Christo datam fidem, nullo modo afficientem aut mutantem quidquam status externi, dum per se probetur Deo, & officia eius seruentur. Quare & liberos & seruos, & circumsectos & non circumsectos, manere Christianos posse ac debere, quia nil istorum attingat aut faciat ad

Christi professionem & cultum; Libertatis quidem conditione magis vtendum, vt potioris seruitute, si detur seruo Christiano. Fallitur enim Theodoretus, (ad h. l.) referens verba, μᾶλλον χρῆσαι, ad seruitutis conditionem, vt libertate potius amplectendam: nemini probaturus, ne sibi quidem ipsi opinor. Etiam repugnat vs. 23. ne sitis serui hominum: nempe: si potestis vitare ac lucrari, nec vos mancipetis consulto, aut libertatis conditionem aspernemini. Quanquam fateor, haec verba referri etiam posse ad libertatem euangelicam, quam ereptum irent Christianis, qui abstrahere niterentur a conditione ciuili, veluti religione offusa & incussa, & praeputiatos cogere ad circumsectionem, aut circumsectos ad praeputium inducendum, & ad libertatem vocarent seruos, vt pie non seruituros: aut qui, dissolui vtique, vellent, connubia Christianorum cum paganis & impiis: quae omnia, vt mere ciuila, nulla ex parte mutaret Christi doctrina: aut qui matrimonium omnino vetarent, 1 Tim. 4, 3. quae omnia sub legis vincula coniicere velle, quid sit, nisi seruitutis laqueos intendere piis, humana auctoritate, id est, nulla, in rebus diuinis? Ita Paullus ipse appellat Gal. 5, 1. iugum seruitutis & καταδουλῶν, 2. Cor. 10, 19. & libertati Christianae insidiari audentes talia, dicit Gal. 2, 4. Quae tum Iudaeorum, mox Nicolaitarum, dein Montanistarum, & qua alia munera ciuilia & militaria, importunitas fuit. Ad Theodoretum vt redeamus: dubium

bium esse nequit, quin seruitutem cum libertate commutandam, si conditio detur, censeat Paullus: vel, quod per se contra naturam est seruire, vt tum erat: vel, quod liberius ac tutius inhaererent & vacare poterant Christi sacris, si non penderent a saeuitia & iniquo saepius arbitrio dominorum. Sed imposuisse videtur Theodoreto, quod particulam καὶ accepit pro, *etsi, licet*, quamuis: ignarus, immo immemor, norat enim illud καὶ tantum inseruire saepe comparationi & distinctioni, cum, pleonasmo additum alteri membro: vt 2. Cor. 11, 5. extr. 2. Thess. 4, 13. κοιμωμένων καὶ οἱ λοιποὶ, & hoc ipso Cap. vs. 7. καὶ ἐμαυτόν. Xen. Cyrop. 1, 1, 1. τὰς μὲν πλείονας — τὰς δὲ καὶ πεντε ἀλλήλας Ebr. 6, 7. τίκτουσα βοτάνην ἐκείνοις, δι' οὓς καὶ γεωργεῖται. & innumeris locis: Hos nimirum errores vna saepe particula parit non ex vsu linguae notata! Solent interim sermos Paullus, quibus negetur conditio libertatis, non anxie experenda, quasi religione urgente; quod sint tamen liberti Christi, compotes euangelicae libertatis a culpae poena, imperio prauitatis, a rituum lege. Monet idem homines liberos Christianos, vt se sciant & exhibeant Christo tamen addictos domino & subiectos. Argumentum his addit: quod ista eodem modo suadeat, praecipiat omnibus vbique plorium coetibus: vnde sciant, illa ipsi videri certa, salubria, Deo probata, Christi sacris apta; neque a se noui quidquam, aut proprie illis iniungi. Altera pars cohortationis, inde a vs. 25. verti-

tur ad παρθένας, i. e. caelibes, & viros, & mulieres; nam & viri caelibes dicebantur παρθένοι, vt Apoc. 14, 4. & hic vſ. 36. παρθένος poteſt & videtur notare παρθενίαν, caelibatum; v. Gloſſar. Theodor. voc. παρθενεύειν, παρθενία. Hic rurſus agit 1) ſimpliciter, & fidi ſuaſoris pectus nudat, ita negans, a Deo ſe habere praecepta eius rei, vt tamen, ſe ab eo, dicat, ornatum eo beneficio, (πλεπμένον;) vt eſſet πιστὸς, i. e. & promtus ad bona ſuadenda, & rerum intelligens; nam & prudentia fides ſuadendi cenſetur: vt perfidus fallat, qui ſe ingerat ſuaſorem & auctorem rerum, in quibus nil videat; vt mali medici. Ita & fiduciam munit conſilii fidi ac ſalubris, vt tamen neceſſitate parendi eos liberet. Quo quid ſimplicius? Quid liberalius? Quid amantius eodem, aut officioſius? Quod amoris ſtudium curamque idem infra notat vſ. 28. *parcere* ſe illis, profeſſus, i. e. cupere, id agere, vt curis vacent: vt ipſe explicat vſ. 32. Quid ergo ſuadet, aut quomodo? Ambire matrimonium diſſuadet; non vetat, vſ. 27. non, quo delinquat, qui expetat; quod diſerre negat, nec poterat aliter, Deo non vetante; vſ. 28. multo minus, vt, qui habeant coniuges, ſolvere matrimonium tentent; caelibes tamen, aut viduos, vtrosque enim notant verba *ſolutus es a coniuge*, vſ. 27. & per ſe, quia *ſoluti* lege & ii dicuntur, quos nunquam ea extenuerit; & e vſ. 8.) rectius, i. e. tutius ac commodius, non ex Dei lege, ſed e temporum iſtorum conditione,

ab-

abstinere matrimonio, censet, ob instantem necessitatem, vs. 26. i. e. ob pericula imminentia Christianis, a vexationibus & calamitatibus, grauioribus vtique futuris sorti coniugali, praesertim liberis secundae, minus grauibus caelibi atque expedito. Vnde patet, καλὸν hic & vs. 1. esse, commodum, expeditum, minus molestum, curis vacuum, minus idem interpellaturum curam colendi Dei; non ergo per se, sed qua tempus, & ad tempus. Et tamen neminem arcet coniugio, Deo non arcente; incommodi quidem plus habituros coniuges: quibus incommodis eos supersedere cupiat & vacare. Ex qua Paulli ratione, incommoda denunciantis diserte, & tamen, delinquere negantis, eos, qui, istis incommodis spretis, ad coniugium venerint, magnum & firmum solatium ac laetissimum proponatur iis, qui non vereantur aut veriti fuerint munus recipere vel suscipere, quod sciant & videant multis incommodis esse obnoxium: nec quemquam auerti ea cogitatione, aut, quasi religione incussa, perturbari debere, aut minus propitium ac fauentem Deum horrere, qui sese in discrimen tale conieccrit, & his veluti fluctibus immerserit; modo aptus sit ei muneri, & legitime, nullo facto suo, ad id vocatus. Neque enim magis offenderit Deum, quam, qui tum, edocti a Paullo & moniti, & gnari ipsi, quid maneret coniuges, tamen coniugio non abstinuissent; quos ille ἁμαρτεῖν, Deum offendere, idem coniugii dissuasor Paullus negat diligentissime. Quae

disputatio non est praetermittenda in loco de prouidentia Dei, siue a magistro in scholis habendis, siue inter sacra tractetur: vt quem egregie locum instruat, scrupulumque euellat multis, qui me quoque exercuerit, plures male habiturus, maxime in mutanda prouincia; / frustra! Deum vocare, sat est; quod inde appareat, si parem te sentias muneri subeundo, ingenio, ratione & doctrina, vsu & facultate; nam haec mid, cum Cicerone p. Arch. init. sunt spectanda: partim si non abhorreat tibi animus a re ipsa, opera & conditione: tum, si nullo facto tuo vocatus fueris, conditioque feratur. Quae vbi sunt explorata satis; tum vero nil desperandum Deo duce: cuius nec beniuolentiam, neque auxilii spem Paullus negat capessentibus matrimonium vel ipso dissuadente, in ista temporum iniquitate. Saepe enim, (quae & ipsa est disputatio loci de Prouidentia), velut nescios aut immemores securosque incommodorum, molestiarum, discriminum, quibus qui tandem locus, quod operae, muneris aut vitae genus valeat? mediis immergi, capessendo vitae genere adigit Deus, quos illo fungi, consiliorum ministros suorum, velit; e quibus vel incommodis, vel periculis, explicando deinde, vt in mari deprehensos nautas, suae, vt voluntatis, ita opis, rem esse, ostendat. Nullo ergo modo vetat tale coniugium Paullus; vt consultius tamen dicat, eo abstineri, ne consulto sese immergant tot curis, fecturis coniugium illo tempore, quod breui infecundum ait, vs. 29.

ὁ καιρὸς συνεσταλμένος τὸ λοιπόν ἐστιν, i. e. non multum ſuper eſt, cum veniet illud tempus: ἵνα καὶ, rel. quo par conditio ſit futura habentium coniuges & non habentium, ementium & nil habentium, lugentium & non lugentium, vtentium rebus humanis vt non *vtentium*: (ita enim progreſſo, & diſtributionem illam ſecuto, κατεχρώμενοι erit pro ſimplici, χρώμενοι, vt ſaepe *abuti* Latinis eſt vti, & Col. 2, 22. ἀποχρήσει eſt pro ſimplici χρήσει, vſu: vt ſic omnia membra ſibi reſpondeant repetendo verbo, quaſi per oximoron:) quoniam σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου, rerum ſtatus, qui nunc ſit, non ſit futurus diuturnus aut perpetuus, nec tranquilli ſemper victuri Chriſtiani, ſed calamitates ſenſuri. Tum, τοῦτο δέ φημι, ex more Paulli, (de quo v. Log. Paull. p. 17. adde Gal. 3, 17. init.) erit: hoc eo pertinet, hoc ita accipi volo, eo referri; nempe, quod dixi, me parcere vobis velle, vobis conſultum cupere, velle vos expertes eſſe curarum, quas, tali temporum diſcrimine ac metu, augeat matrimonium, leuet ac minuat caelibatus. ἵνα autem *explicandi* vim habeat, quale iam ſit tempus inſecuturum: vt, qui habeant bona, aut coniuges, ſimiles ſint non habentibus, quippe non vſuri firmis, ſed exuendi, a coniugibus & liberis diſtrahendi. Sed enim huic rationi, ſatis alioquin aptae ad continuationem verborum & conſilium Paulli, obſtare videtur, tum, quod καιρὸς dici non ſolet, de χρόνῳ, qua tempore

intermedio: quod hic debeat, cum dicatur συνεσταλμένος, contractum, breue. Quod non magnopere vrgeam tamen, gnarus, illa permutari: vt Act. 3, 19. καιροὶ ἀνάψύξεως, & καιρὸς εὐπρόσδεκτος, 2 Cor. 6, 3. & rursus χρόνον pro καιρῷ Act. 7, 10. χρόνος τῆς ἐπαγγελίας at *relate* semper, non simpliciter de temporis cursu. Deinde, si vellet Paullus, pari loco fore habentes & non habentes, articulum, credo, non omitteret, sed diceret, ὡς οἱ μὴ κτέχοντες, ὡς οἱ μὴ κλαίοντες· tum vero maxime, quod haec interpretatio plane haeret in explicandis verbis, flentes erunt vt *non flentes*, vel non lugentes; quod contra plane diceret, Paullus, si calamitatem respiceret temporum. Nec vero, χήμα τῦ κόσμυ, vt nimis amplum & laxum, intelligi placet de Christianorum statu, qui tunc foret; quem quomodo κόσμον aut χῆμα, speciem, dicere potuerit, non assequor. Quid? An *futurae* eriam tum erant calamitates? Nonne iam aderant? Nam, quod ἐνεστῶσαν ἀνάγκην vocat, & *praesentem* notare potest: vt Gal. 1, 2. si αἰῶνα πονηρὸν ibi sign. homines peruersos, impios; & manifestius, quoniam illo loco & mala futura intelligi possunt, Ebr. 9, 9. καιρὸν τὸν ἐνεστηκότα, tempus, quod tum esset, cum lex Leuitica daretur; addit enim, καθ' ὃν, per quod tempus, quo currente, offeruntur sacrificia; & distinguit a καιρῷ διορθώσεως, Noui Test. (vbi & καιρὸς nota pro χρόνῳ, ad superiora;) in illud ergo tempus, praesens, qua legem vigentem, ei tempo-

pori, per id tempus, in vſum eius, erant παραβολή, figura, pro conditione eius temporis: ita Rom. 8, 38. ἐνεστῶτα opponuntur *futuris*: vt Horat. aliquo loco: *quod nunc inſtat, agamus*: & *imminere* ceruicibus, vrbi, Latini dicunt de re *praeſenti*. Nec vero vnquam de iſtorum temporum incommodis vt *futuris* loquitur Paullus; immo ſemper vt de praeſentibus: Ebr. 10, 32—34. 1 Theſſ. 2, 14. & Petrus, ei aequalis, per totam fere priorem Epiſtolam. Etiam Theodoret. ad h. l. expl. ὁ παρὼν καιρός. Denique voc. καταχρώμενοι, pro quo Theodor. legit, παραχρώμενοι, hoc ipſo, quod haec lectio cum illa fuit permutata, *abutendi* magis ſenſu acceptum videtur: quo ſenſu additum ὡς non ſit *quaſi*, velut, ſed rem ipſam & *veram* notet: qui vtuntur, vt ne abutantur, ſed nil opus, cum & ſimplici notione eſſe poſſit: ſint quaſi non vtentes, non vtentibus ſimilis, i. e. modice, timide, vel quaſi lente, contemtim ac neglectim, vtantur, vt certo, ſubito, hinc facile & aequo animo, carituri. Quare magis amplectar alteram explicationem: Hoc dico, (non, quod praeceſſit, ſed, quod ſequitur: hoc iam dico, praecipio, moneo: (vt ὅτι non explicet, ſed cauſſam reddat, velut in parentheſi interiectam & praemiſſam ei, quod dicturus ſit, & cur dicat:) quia tempus (reliquae vitae, & omnino terrarum orbis, qui nunc eſt,) breue iam eſt; hinc dico & praecipio vniuerſe cunctis, ſingulis, vt modice & animo non addicto habeant, quidquid habeant, neu

nimis fidant, aut gaudeant bonis vitae, neue rursus nimis doleant incommodis, quippe cito abituris vtrisque in vitae fine, vel orbis terrarum denique, minus idoneis aut dignis vel desiderio nimio, vel dolore. Nam & illa transitione, *dico autem*, *hoc dico*, vtitur Paullus non modo, qua explicet a se *iam* dicta, quo pertineant, quomodo sint intelligenda; sed & praecipiendi consilio ac monendi: vt Gal. 5, 16. vt liberum sane illa vox relinquat, interpretisne eam habeamus, an monitoris. Ex hac altera ratione existit noua cohortatio Paulli: ne omnino nimii aut immodici esse velimus in rebus terrestribus expetendis, neue aut vsu earum effusius gaudeamus, aut iactura vel inopia doleamus. Quam quidem ille cohortationem diserte satis instruxit atque exornauit: 1) partitione atque enumeratione rerum atque hominum singulorum, coniugum, emtorum, vtentium bonis vitae, gaudentium, lugentium: 2) antitheſi sane acuta, & oxymoris vocabulorum duplicatorum: habentes non habentes, lugentes non lugentes: 3) aetiologia, & praemissa: breue superesse tempus, per quod frui illis liceat: & subiecta: nullam subito hanc rerum faciem fore, breui abituram: quin subinde iam & in dies mutari & verti: quae omnia signantur vocab. παράγει, abit, mutatur, aliud fit, & certo olim erit nullum; nunc quoque saepe, leui momento, vbique, per omnia mutatur; moribus, turbis, damnis, discidiis, mutantur coniugia, possessio-

nes, gaudia. Quare vti sane iis permittit atque immiscerι, caute tamen & modice, neque vltra, quam sit opus, vt certo, breui, subito, amittendis. Quo nomine & caelibatum potiorem habet, vs. 33. 34. quod a) curis terrestribus magis vacet; cum coniuges multa facere cogantur alter in alterius gratiam, per quae auocentur a cultu Dei & studio pietatis; certe vt non possint animo satis libero & vacuo meditari diuina, quippe districti curis & molestiis domesticae vitae, rei familiaris rite habendae, liberorum educandorum, ipso studio obsequendi sibi mutuo, in vestium cultu, in coetibus hominum celebrandis, quorum celebritas vel grata sit alteri parti, vel necessaria etiam, marito vtique, cum forte altera pars secessum & solitudinem magis amet, neque expetat munditias urbanas, aut officia curet leuis ambitionis. Quae omnia non damnat Paullus, quippe nec per se turpia, & vero necessaria in vita ciuili; curis tamen plena esse, monet, quibus supersedere qui possit, illo vtique tempore, rectius sibi consulat. Accedit, quod hic vel maxime spectandum est: quod in ipsa professione disciplinae sacrae & cultu sacrorum multa saepe sint negligenda, leuiusue habenda, in alterius partis gratiam, vel ciuiles necessitates, *mercenaria vincla*, quae Horatius vocat; aut quod ista non curet altera pars, aut ab iis auocet atque arceat per interpellationes varias, blandimentis quoque forte adhibitis, & coniugali ambitione, cui difficulter resistatur; quod & hodie fieri, plus,

plus, quam velis, experientia docet inter coniuges, quos ſtudiorum diſſimilitudo diſtineat, non ſine acerba nonnunquam diſſenſione, aut dolore alterius partis. Quid, ſi, vt hoc vtar, e Cap. ſequi religioni ſibi maritus non duceret, veſci carnibus victimarum paganarum aut ad ſacras epulas paganorum venire, vxor autem horreret? Nonne aut doleret haec leuitate coniugis, aut etiam abſtraheretur ad idem faciendum, mariti exemplo, precibus, imperio, minis? Quid, quod vitia ſaepe alter alterius, iracundias, errores, faſtidia, alia, perpeti cogebatur; quae maxime vis eſt vocab. ἀρέσκειν, vt 1 Cor. 10, 33. inſeruire, obſequndare; προσαφορᾶν, vt Rom. 15, 1. 2. Quorum omnium ſecurus vacaret caelebs, & ſuo iure ageret. Ita caelibatum commendat; liberaliter tamen, nec pro imperio: quod diſerte negat vſ. 35. non, quo, inquit *laqueum* vobis iniiciam; i. e. legis neceſſitatem vobis imponam; *vtilitatem* a ſeſe illorum ſpectari, profitetur, eique conſuli, vt expediti agant curis, ſaepe humilibus & acerbis: decori idem, vt poſſint vacare ſacris, ſine interpellatione: quod rurſus (adeo caute agit,) neceſſarium eſſe vtique, negat, vſ. 36. vt, ſi quis ſibi videatur flagitium admiſſurus in ſuam παρθένον, i. e. aut in filiam ſuam virginem, (quod alienum tamen eſt ab uſu loquendi, *mea virgo*, pro, filia mea virgo;) aut potius, in ſuammet παρθενίαν, virginitatem, (concretum pro abſtracto,) *qua* caelibatum, (non *in* caelibatum: neque enim, qui ſit caelebs, & maneat in

cae-

caelibatu, delinquat *in* caelibatum suum, aut *in eum* indecore agat; immo in coniugium, ab illo spretum; sed *qua* caelibatum *per* caelibatum *in* semet *caelibem*, quoad agat caelebs p). si iam sit (vel puella, vel ipse,) ὑπέραντος, nubilis, & si res & vsus, quin ipsum animi desiderium, ruleritu posse eum inire coniugium sine culpa; immo debere; a quo rursus tamen abstinere liceat ei, qui α) sit alienus a cupiditate coniugii; β) melius hoc esse rebus suis, statuerit, vt abstineat: γ) sui iuris sit, nec parentum auctoritati subiectus, subiectaue, qui velint, eum eamue matrimonio iungi: posse eum iure suo agere; non ergo a) contra animi sui sententiam, si propior sit coniugio appetendo, nec b) temere aut leuiter, nec festinanter: tametsi periculum non erat festinandi, relintegra, nondum facta aut commissa, velut dilato consilio, aut sepositio: vi enim coniugio licebat, etiam per aliquod tempus spreto: nec c) sine auctoritate parentum, vel aliorum, quorum sint aliquae partes in tali caussa. Quid liberalius aut simplicius, & cautius tamen, diligentiusue, potuit? Summam ergo iam colligit praeceptorum, vs. 38. *bene* facere, qui sese aut liberos suos coniugio tradiderit: *melius*, pro temporum quidem conditione, qui abstinuerit, *se.* quidem, non alios, aut liberos: quod, Deo non cogente, nec Paulo cogere auso, aliis nullo iure liceat. Viduas quoque rectius, i. e. tutius, commodius, abstinere, ait, coniugio repetito: caussa addita vtilitatis, beatiorem sic fore dicens, i. e. tutiorem, tranquil-

lio-

liorem, magis vacuam curis, in *hac* vita; neque enim ad coelestem felicitatem quidquam faciat, cum vtrumuis liceat, & sine culpa fiat. (Recte enim monet Theodoretus: si *beatior* altera sit: relinqui, vt *beata* tamen altera sit & ipsa; quia *comparate* loquatur Paulus. Nec de coelesti felicitate intelligi ista Theodoreto, vllum vestigium loquitur: alioqui grauiter peccasset, reprobanda plane locutus: cum neque ad ipsam conditionem vitae olim coelestis, neque ad gradus eius & discrimina quidquam faciant, (vt mere ciuilia & libera.) Fiduciam tamen sui consilii atque auctoritatis addit, vt. 40. quod diuinitus *monear*, non iubeat, (neque enim id fecerat, vs. 9. 28. 35.) libere ergo vel sequenda, vel negligenda non temere tamen, vt rectius sibi consulturus, ipso monente Deo: cuius spiritum se videri (sibi aliisque) habere, ait, i. e. *vere* habere: vt Ebr. 4, 1. nec quis δοκῇ ὑστερηκέναι) videatur excidisse (promissi copia,) i. e. vere exciderit excidatue; & 1 Cor. 11, 16. videtur esse φιλόνεικος, contentiosus, i. e. vere est: (v. in Periphrasi, n. 3.) *videri* tamen dicit, quia & ipse, & alii sciant, diuinitus promiq; quae promat: vnde leuiter habenda non sint consilia ab ipso proposita simul nos tangit, qui sibi placeant diuini monitus asseueratione; vnde addit, *& ego*, nempe, non minus aliis: fere vt nos: ich denke doch auch, etwas zu verstehen.

Ad Coenae S. vsum cautum & verecundum hortatur 11, 23. proposita & culpae grauitate, quae

quae oriatur e contemtim habito corpore & sanguine Christi, in quem grauissimum piaculum committant, qui parum meminerint, se *illo ipso* imperiri in Coena S. *non signis* tantum eius; minus enim & leuius hoc fuerit, quam pro tam graui denuntiatione, ac plane horribili, qua culpae, qua poenae, non in Christum simpliciter, quod satis tunc foret diuisse, sed proprie, separatim, in corpus eius & sanguinem committendae: cum praesertim addat, vt neget, tales homines (διακρίνειν,) *discernere*, a cibo externo & vulgari, non in honore habere, aut *praeferre*, (sic enim & hic ponitur διακρίνειν, & 1 Cor. 4, 7. init.) non reuerenter accipere corpus (& sanguinem) Christi, sed videri sibi aliquem profanum & promiscuum cibum potumque capere: (sic & ad *demonstratiuum* genus pertinet hicce locus, & magnitudinis causſam habet;) & *poena* terret, quod κρίμα vocat, poenam Dei iustam, aeternam, grauem ac terribilem; (semper enim tale quid infert voc. κρίματος & κρίνειν, Rom. 2, 3. 3, 8. Ebr. 13, 4.) quae & *certissima* sit, tum ex culpae atrocitate, (non futura tanta, si sint illa signa tantum memorialia mortis Christi; sed, quia, sicut, qui apostolos sperneret, ut fallere) tentaret, Spiritum S. & Christum violabat, non *signatum* per apostolos, sed praesentem in illis, ac per eos agentem; cum praesens in iis foret, ita & in pane & vino eucharistico neglectim habito ipsum corpus Christi, ipse sanguis eius, negligenter habeatur, non signatus modo, i. e. in-

memoriam reuocatus, sed praesens, iis iunctus, per ea exhibitus;) & *exemplis* iam monstrata, morborum, & mortium subitarum. Vnde aliam cohortationem addit, vs. 31. semet *iudicandi*, i. e. explorandi, spectandi, (e vs. 28. δοκιμάζεται) ne a Deo puniantur, damnentur; (est enim antanaclasis in voc. κρίνειν, vt, repetitum duo noter, sicut Rom. 14, 13.) & ferendi aequo animo poenas vel castigationes in hac vita diuinitus immissas: partim, quia sint παιδεία, disciplina, correctio, emendandi sensus morisque auxilium: partim, quia, sic acceptae & in vsum conuersae, liberent ab improborum 1) consortio, 2) poena aeterna: vs. vlt.

Ad προφητείας studium cohortatur C. 14. vtilitatis commendatione vsus, vs. 1—5. quae sit vtilitas 1) vera, quia promat res & vtiles, pertinentes ad cultum Dei, ad doctrinam, mores, solatia hominum, & intelligendas audientibus; quod auget comparatione linguarum, quas nemo intelligat: 2) ampla eadem sit; late pateat, vniuersum coetum instituat, hortetur, erigat. Vniuersam deinde praeceptionem subiicit, Cap. illo extr. inde a vs. 26. vt 1) omnia vertant ad (οἰκοδομὴν) vtilitatem, augendae & roborandae cognitionis, excitandi & fouendi sensus moresque probos, doloris sedandi: 2) linguis ne vtantur effusius, ne omnes loqui pugnent, aut sine interprete loquantur, quod intellectu & fructu careat: 3) vt alter alteri cedant: hactenus, vt, a) altero diuinitus moto ad dicendum, desinat prior,

prior, neque illi obſtrepat: b) alterius examini & iudicio ſe ſubmittat alter, & a ſe prolata cenſeri, firmari, probari, patiatur, ab altero, eiusdem muneris conſorte, eiusdem rei perito; 4) vt feminae inter ſacra ſileant: cauſſa addita, quod *turpe* ſit iis, vt minus modeſtum; quod ſit generis demonſtratiui. Quae omnia ſalubria, aequa, decora firmat per aetiologiam, vt, turbas placere Deo, neget, ordinem, modeſtiam, concordiam gratam illi eſſe, affirmet. Grauiter idem Corinthios monet, immo corripit, ad modeſtiamque coërcet, quaerendo ex iis, grauiter ſane & oratorie: num ex iis, ex eorum vrbe, aut coetu, ad alios propagata & prodita fuerit euangelii doctrina? ſolis tradita & quaſi propria ſit? nempe, in cuius veluti poſſeſſione dominentur, ſe iactent, ſuperbiant, qua vtantur iure ſuo ac modo, ordinis ac praeſcripti impatientes. Ita ad abſurdum deducendo corrigit. Addit nouum auctoritatis ac fidei firmamentum, vſ. 37. prouocando ad teſtimonium & iudicium aliorum prophetarum, monitus diuini peritorum eaque in eo ſibi placentium. Vnde ait: ſi quis (ſibi aliisque) *videtur* eſſe diuinus: quaſi dicat: ſunt inter vos, qui ſe iactent vſu virturis propheticae & promendi ſubiecta diuinitus: hi ergo iudicent, ſat'in & haec mea ſint diuina? Hic ipſe facit, quod antea praecepiſſet: diuinorum iudicio ſubeſſe diuinos; ſua & ipſe ſubmittit illorum iudicio: vt tamen addat, velut indignabundus, cum contemtu vanorum hominum ac temere in-

flatorum, memor, apoſtolum ſe eſſe tamen, & guarus ac certus, quis per ipſum, quo auctore ipſe loquatur: ſi quis ignorat, ignoret: i. e. ſi quis, inſcitia aut conſulto, improbat a me dicta, aut calumniatur: nil ego ſane moror aut curo aſſenſum hominum peruerſorum, ψυχικῶν, (2, 15. 16.) mihi ſufficit, quod vera ſint iſta, ſalubria, aequa, decora, a Deo mihi ſuggeſta: ſuo ille periculo negligat, damno ſenſurus ſuo.

Ad conſtantiam hortatur C. 15. extr. vtilitatis argumento, quod opus & labor, vtut difficilis, ἐν κυρίῳ, Chriſti cauſſa, ob eius profeſſionem cultumque ſuſceptus, fructu non ſit carituras: Quem fructum & certum, & magnum, & exoptatum oſtendat ante demonſtratus mortuorum in vitam reditus.

Neque vero altera ad Corinth. Epiſt. vacat cohortationibus, immo plena eſt tota, & paraenetica paene omnis: idque morate plane, ipſo proponente Paullo ſuum exemplum, ſuum animum moremque, Corinthiis imitandum. Ac primo quidem in conſtantia atque alacritate, Cap. 1. vbi oſtendit, quibus incommodis ac periculis ſit defunctus, & a Deo liberatus: vnde & ipſi ſpes ſit firmata diuini auxilii, & vero aliis affulgeat, non exemplo modo, ſed & doctrina, cohortatione & conſolatione; cui multum ponderis inde accedat: vſ. 4—6— vbi notes & auctoritatem fidemque, adhibentis ea ſolatia, quorum vim ſit ipſe expertus; & pectus amore plenum, geſtientis conferre ſolatia ſibi percepta

ad

ad alios erigendos, quin plane atque vnice referentis ad vsum illorum, nec tam sua, quam illorum caussa gaudentis isto solatio. Ait enim: seu malis affligimur: hoc ad vos erigendos pertinet, documento firmandos constantiae nostrae; siue erigimur a Deo: hoc rursus atque itidem vos solatur, valiturum in vobis, sicut in nobis valuit: qui, hoc vsu edocti nostro, adhibere vobis & possimus, quia sensimus, & vero debeamus, quia Deus ipse nos ea conditione & exercuit aerumnis, & liberauit rursus, vt vos solaremur exemplo doctrinam firmante. Dicit enim, vs. 4. qui Deus nos erigit, vt possimus solari afflictos eodem solatio, quo ipsi simus firmati: & vs. 6. vtrumque fit (a Deo) propter solatium vestrum, eo Dei consilio, vt vos inde solatium capiatis. Vnde noua vis huic cohortationi accedat, ex Dei ipsius voluntate, eo ipso consilio & affligentis apostolos & solantis, vt ad aliorum solatium vertant: quae Dei voluntas & sanctam reddat illam consolationem, amplectendam ex officio plane & reuerentia Dei sistat, praesentissimam eandem validissimamque efficiat. Quam consolationem ponit, vs. 5. in eo, quod sint illa παθήματα τȣ̃ χρισȣ̃, i. e. toleranda, immissa & suscepta a) ex eius voluntate, in eius cultu & professione, propter eius doctrinam, eius honori data: b) cum Christo communia & consociata, eius exemplo toleranda, similes ei nos redditura: quorum vtrumque, vel vtrumuis, iam satis sit honorificum; vtrumque autem iunctum

longe longeque honorificentissimum ac laetissimum: nec minus longe saluberrimum; vnde addit: ob salutem vestram. Quam salubritatem, hic nomine tantum positam, explicat ac persequitur inde a 4, 16. ad 5, 8. vt paullo post videbimus: deinde, quod, quae, quae patiamur Christi caussa & exemplo, cum eo, carere non possint, nec sint caritura solatiis, per Christum, vs. 5. a Christo exspectandis, suggerente illa per Spiritum S. excitantem, iuuantem, monentem, firmantem, 4, 13. 5, 5. per promissa rerum maximarum, 4, 17. 5, 1. sua quoque vi sustentante ipso, (Phil. 4, 13.) Ac tandem in hoc ponit vtilitatem, quod, perpessi ista mala, ipsum adeo mortem, cum Christo, venturi sint iidem per hanc coniunctionem atque similitudinem, ad eandem vitam, felicitatem, laetitiam, qua nunc Christus fruatur, malis ac morte defunctus; 4, 10. 11. (Rom. 8, 17.) Quae omnia late exsequitur inde a C. 4, 8. ad 5. 10. Vbi primo exponit ipsas calamitates, 4, 8. — 11. non sine solatio tamen; quod per elegantiam suauitatemque summam antithetorum subiungit: premimur, inquit, ita tamen, vt non laboremus aut deficiamus in angustiis: inopia premimur, vt non tamen plane destituamur: vexamur, at auxilio non caremus; deiicimur, at non perimus; mortem Christi circumferimus, i. e. Christi caussa & exemplo versamur vbique in perpetuo periculo mortis: verum ea conditione, vt & vita Christi appareat in corpore hoc mortali, i. e. vt etiam nunc sen-

ſentiamus vim & auxilium Chriſti in vitam reuerſi, & olim ab eo, propter eum, reuocati in vitam, cum eo aeternum felices viuamus. Tanta eſt ſimplicitas ſimul atque hilaritas memorantis incommoda ſua, quibus tot ac tanta ſolatia opponere poſſit: quae ſtatim, quia in *cohortando* verſatur ad Corinthios, refert finite ac proprie vſ. 12. mors in nobis efficitur, vel vim ſuam exercet: nos in quotidiano mortis periculo ac praeſenti verſamur, vita autem in *vobis* efficitur: i.e. 1) doctrina noſtra, quam vel cum mortis periculo vobis adhibeamus, vobis eſt ſalutaris, ad vitam ſanctam, laetam, beatam, 2) conſtantia noſtra, qua nos toleremus mala, ne mortem quidem veriti, firmat vos, partim fiducia doctrinae ad vitam ſalubris, quam certam eſſe ac diuinam, ex hac ipſa conſtantia, & alacritate diſcatis, & exemplo noſtro, quod imitandum vobis eſſe, moneat & doctrinae praeſtantia, ob quam videatis nos tam conſtanter ſubire ac perferre triſtiſſima quaeque, & ipſa haec conſtantia noſtra, quae vobis oſtendat, & poſſe iſta tolerari, & vero ſubeſſe aliquid ſolidi oportere, quod talem alacritatem & conſtantiam addat & roboret. Hinc apparet, Paullum iſta omnia dediſſe cohortandis Corinthiis ac firmandis, quibus quaſi cedat & totam, velut ſolis deſtinatam, relinquat vitam, quae & in ipſo eſſet, ipſique & nunc fruenda per fidem, virtutem ac ſpem, & olim in coelo exſpectanda; ſed eam totam, adeo fertur amore & cura coetus ſui; transmittit ac deriuat a ſeſe in illos: in-*vobis*,

inquit, (quasi *solii*,) efficitur illa vita vestra per nostra pericula; vestra nos caussa vexamur, iactamur, mortis periculo obiicimur, tantum, vt vos viuatis hic sancti, laeti, olim beati. En pectus! En fidem & curam cohortantis, nil vt videat, nil cogitet aut moliatur, praeter vtilitatem eorum, quos cohortetur isto exemplo suo! Quid autem magis cohortationem commendet aut roboret *fide*, i. e. vt & a) ipse scias, vera & salubria esse, quae promas, & b) velis ac cordi habeas consulere saluti eorum, quos cohortere, nil tua caussa labores, ad illos omnia referas? Qua de re plura, vbi loquemur de *pectore* Paulli. Sed hanc alteram fidei partem vt satis probauit illa deriuatione ac veluti transcriptione: vita illa nostra ad vos pertinet: ita priorem illam, scientiae firmae, iam probat vs. 13. rel, posito vniuerso fidei fundamento: Vultisne, inquit, scire, cur tam laeti agamus inter tot mala ac pericula? Cur vos tam alacriter alloquamur, & in eandem alacritatem vocemus? Nimirum, quia scimus, vera esse ista; quia Deo credimus & confidimus. *Fides* ergo est, quae veluti linguam soluat nobis, alacritatem subdat & alat. Quis enim eloqui cunctetur, quae sciat esse a) vera & certa, b) magna, exoptanda cunctis, salubria, c) a se vtique & proprie, vt doctori vt diuino interpreti ac ministro, quales apostoli sumus, promenda, non re tantum ipsa, sed munere exigente? Quae coniuncta esse in hac re, & fidam habere caussam alacriter loquendi, vt res ipsa docet, ita Dauidis exemplo firmat, profitentis, Ps. 116. se loqui,

li-

libere & *alacriter*, quae vera & magna sentiat: (Emphasis enim & vis accessionis e contexto hic est in vocab. *loquendi*;) ita & se, cum Timotheo, aliisque apostolis, tanta vti alacritate loquendi, quia habeant eandem fidem: (Spiritus fidei hic possit esse periphrasis fidei ipsius:) vel Spiritum S. eundem, qui Dauidem implerit atque impulerit. Ad Dauidem enim commodissime referri videtur τὸ αὐτὸ, eundem Spiritum vel sensum, quo Dauides ferretur: vt Dauidis nomen & mentio repetatur e verbis: sicuti scriptum legitur, sicut loquitur Dauid. Nam, ad societatem referri illud τὸ αὐτὸ, ad consensionem, quae iungat, vel apostolos inter se, vel ipsos cum Corinthiis, eiusdem fidei & Spiritus S. consortio, oneret contextum, qui nil tale praemiserit, nil tale poscat. De sua enim & apostolorum Fide loquitur, non, quod *vna* sit; cuius conditionis nulla hic omnino ratio habeatur; sed, quoad sit firma & alacris. Ad Dauidem ergo redit τὸ αὐτὸ, vtut non memoratum ante, memorandum tamen: unde subiicit, καὶ ἡμεῖς, nos & ipsi, mempe, sicut Dauides. Sed enim, quia non patitur aut subtilitas docendi & disputandi ac diligentia, aut dicendi copia & verum pectus oratoris, rem simpliciter poni ac nominari; vbi praesertim & magna res agatur, & diligenter sit inculcanda; sed eam rem & explicari vult & probari: iam & argumentum fidei huius & firmamentum affert Paullus, vs. 15. Scimus enim, (i. e. nempe, nimirum,) inquit, fore, vt Deus, qui Christum a morte reuocarit, nos quo-

que *vobiscum* (en statim ad Corinthios suos refert) sistat, i. e. in iudicio olim ad tribunal Christi (5, 10.) prolatos, aeternae felicitatis praemio beet: *sistat* ergo, ad tribunal primo, non damnandos, sed ornandos, ac deinde cum Christo collocet in coelesti sede felicitatis, (Semper enim fere vocab. παρασῆναι habet notionem rei probandae & placiturae: (Act. 24, 13. 2 Cor. 11, 2.) Habemus & *quid* sciat & credat Apostolos, quid sperare nos velit: 1) Christum a morte in vitam rediisse: quae est summa doctrinae euangelicae: 2) nos cum illo, ob illum, volente Deo, eius caussa, in vitam redituros. Quid maius, quid laetius scire aut confidere possimus? Aut quid potentius erigat alacritatem, quaeuis perpetiendi in vita? Sed & *firmamentum* huius fidei apparet: quia certum est, rediisse Christum in vitam; quia Deus illum reuocauit in vitam; qui & in nobis facere & possit, quod fecerit in Christo & velit, quia Christus pro nobis commodo nostro, vt mortuus, ita in vitam sit reuocatus: quia denique arctissime coniuncti simus cum Christo, vt nostro fratre Ebr. 2, 10. domino, 2 Cor. 5, 15. vicario, 1 Cor. 15, 20. 22 exemplo, vt agendi & patiendi ita & felicitatis, Rom. 8, 18. rel. Haec rursus ad Corinthios, & omnes omnino Christianos, amanter & fideliter confert vl. 15. *Omnia enim propter vos*, τὰ hic est pro δὲ, vel γὰρ neque enim caussam reddit eorum, quae praecesserint; nec vero sic cohaereat. Nam *omnia* hic notat & quae tolerent mala apostoli, & per quae solatia erigantur; ea ad vos, inquit, re-

fe-

feruntur; quia nos non priuatim, sed publice, aliorum causſa, vt missi a Deo, agimus, quidquid agimus. Nempe semet haud excludit, vt facile appareat; quod & ipse erat Christianus, eademque sperabat. Sed, quod erat apostolus, id est, persona publica, aliorum vsibus missa, ad hos omnia retulit, muneris sui memor. Quae *moratu* plane est oratio, & munere & pectore diuini interpretis digna. Hoc fundamento posito fidei & constantiae malorum tolerandorum, iam *effectu* quoque horum malorum salubria addit. Primo iam in hac vita, vs. 16. Si exterior homo corrampitur: at interior magis in dies instauratur: i.e. si mala patimur, ipsam mortem, in corpore & sorte externa: si amittuntur omnia, vexantur, destruuntur, pereunt, quae pertineant ad hanc adspectabilem vitam, sensus oculosque incurrentem: aut si externa specie ac conditione perimimur: mens tamen, homo interior, pars & conditio hominis non adspectabilis, in qua Deus agit suum opus, internum, quae tota quasi in se contracta & conuersa, negligat illa externa, mens ergo, diuinitus edocta, emendata, erecta, firmata, fructum etiam & incrementa capit ex istis incommodis; quippe unde discat, auocari a rebus externis, corporeis, terrestribus, fluxis, quarum leuitatem & fragilitatem edoceatur ex istis casuum commutationibus: unde admonita, quasi circumscissis undique & amotis, quae impediant illum nouum sensum ac turbent, circumspiciat & appetat meliora, solidiora, maiora, se digniora, diuina

ac coelestia: in quibus deinde vnice acquiescat, solis gaudeat, Deum tanto cupidius amplexa, eius fauore laetetur, auxilio promissisque fidat, vni probari studeat, a quo solo ac certissime veram, perfectam, aeternam felicitatem, ac tranquillitatem exspectet: quam in hac vita, in his rebus minime quaerendam, tot mala & pericula, mors ipsa maxime, doceat, postquam demum illa felicitas ostendatur in coelo: cuius spei alacritate instauretur animus sanctus & Dei amans, reficiatur, firmetur, nouas quotidie vires, incrementa, consilia, conatusque capiat ad veram virtutem, oriundam ex fide in Christum, felicitatis aeternae praerogatiuam: cuius vnice memor, negligat terrena illa, fluxa ac temporaria. Ita fit, vt iam in hac vita prosint calamitates, animo corrigendo, a prauitate & pugnarum studiis auocando, ad Deum, virtutem & coelestis felicitatis spem curamque vocando & vertendo. Sed multo magis prosunt & faciunt ad illam alteram vitam: quam cum iis contendit vs. 17. & illa secuturam ostendit, per elegantem antithesin & argutam: τὸ παραυτίκα ἐλαφρὸν τῆς θλίψεως vbi triplex est elegantia: 1) adiectiui in praecipuam notionem conuersi, τὸ ἐλαφρὸν, i. e. ἡ ἐλαφρότης, leuia calamitatum, i. e. leuitas; vbi est abstractum pro concreto: acute & graphice; quia non calamitas ipsa est spectanda, sed leuitas eius: 2) aduerbii pro adiectiuo, τὸ παραυτίκα, pro τὸ παρὸν, praesens, temporarium: 3) argutis-

simae

simae breuitatis, aduerbii ita iuncti adiectiuo & intexti, vt duo attributa reuocentur sub vnam notionem, simul iunctimque spectanda: in praesens breuis vexatio, i. e. & temporaria tantum, & leuis: quasi, *in* breuitate leuis, *in* (cum) leuitate breuis: qua antithesi & epanodo haud incommode vertatur molienti interpretationem Latinam. Haec ergo calamitas, & breuiter leuis, & leuiter breuis, (κατεργάζεται,) efficit, non vt caussa aut conditio, per se, sed vt meditatio constantiae ac fiduciae salutaris, consequens habet & post se futurum ostendit, cui & nos aptos, cuius cupidos, memores, studiosos efficiat, *aeternum pondus gloriae.* Hic rursus argute & antithetis vtitur, *pondus* opponens *leui*, quod pro substantiuo positum Genitiuus, θλίψεως, habet & docet: αἰώνιον autem τῷ παραυτίκα, quod & ipsum fuisset pro adiectiuo, παρὸν δόξης denique vocabulo θλίψεως & plures in vnam colligit notionem: aeternum gloriae pondus, i. e. felicitatem ac laetitiam aeternam & magnam; & ludit in etymo vel origine Ebraici vocabuli, & ponderis, (כבד,) & gloriae (כבוד,) notionem complexi. Haec ergo ac tanta felicitas excipit huius vitae calamitates, a quibus monstretur, per quas ei aptentur plurimi, qui sine istis incommodis forte excidissent spe ac copia eius; cuius & praerogatiuam habeant & afferant illa incommoda, quibus, si non ipsam salutem, quod non possit, at *gradus* eius & discrimina, iungere & accommodare placuerit Deo: Matth. 5. 12.

Cur

Cur autem sequitur? Causſam subdit Paullus: quia non praesentia, sed futura, spectamus. Futura quippe, aeterna, coelestia, spectare ac sequi moneat illa incommoda huius vitae: ita vocant ad fidem Deo habendam, ad virtutem, ad fiduciam salutarem, ad spem in Deo vnice reponendam, sed & ad sensum moremque illa spe dignum; (7, 1. 1. Pet. 1, 13. 17. 1. Ioh. 3, 3.) non, qui illam impediat aut euertat atque intercipiat, sed qui foueat, firmet, vt signum atque efficientia fiduciae saluaris: & sic vere nos ducunt ad illam felicitatem, qua excidant, qui terrena tantum, aut maxime, spectarint, amarint, curarint, a quorum studio auocent illae calamitates, & ad rerum diuinarum studia vertant, quibus promissa & coniuncta sit illa felicitas, prae qua, vt aeterna, facile, sordeant praesentia ac terrestria, vt fluxa & abitura. Quae ratio subiicitur causſae illi, cur non curent praesentia Christiani. Ita causſam causſae Paullus subnectit, accurate probat omnia, sine causſa nil ponit. At haec felicitas & *corpori* obtinget, quod maxime laboret istis incommodis, faciatque, vt cum molestia sentiantur, & metuantur: sic plane iam non timenda, vt ne corpori quidem nocitura. Quod iam disputat & probat C. sequ. 1—9. Hoc corpore, inquit, velut terrestri habitaculo, destructo per mortem, propositam cum omnino hominibus, tum vero Christianis vtique & apostolis, in illa vexatione, scimus, (diuinitus edocti, Christo auctore,) nos habituros habitaculum coeleste,

cor-

corporis ab omni labe puri, nec morbis, nec moleſtiis, nec morti denique expoſitum. Hoc enim eſſe intelligendum, apparet ex antitheſi, τῦ σκήνους; quo vocabulo corpus notari, patet ex 2 Pet. 1, 13. 14. & hic e vſ. 4. nec non ex vocabulis *induendi* ac *ſuperinduendi*; adiuuante ſimili loco, 1 Cor. 15, 53. 54. vbi eadem verba corpori tribuuntur: habituros ergo pro illo corpore, quo nunc premamur, corpus *e coelo*, i. e. coeleſti vitae aptum, a Deo mutatum & purgatum, ἀχειροποίητον, i. e. aeternum, cui vis externa noceri nequeat, (quae maxime infeſta ſoleat eſſe *manu factis*,) πνευματικὸν, leue, tenue, vigens, alacre, aptum menti purae, & quaſi propius accedens ad eius naturam, non moleſtum ei, aut officiens, ſed fauens atque inſeruiens. De quo ſenſu huius vocabuli v. Log. Paull. p. 94. 95. Adde, quod ſic & baptiſmus dicitur circumſectio manu non facta, i. e. menti apta, deſtinata, vtilis, non occupata in corpore fluxo & mortali, ſed in conditione ſenſus ac morum; nam & baptiſmi opus externum ſane eſt χειροποίητον· at non vis eius & conditio. Quod non eo pertinet, vt corpus olim fore credatur menti ſimile, inconcretum; quod nec poſſit, nec futurum ſit; ſed, vt appareat vis vocab ἀχειροποίητος, notantis rem liberam ab omni labe corporea & mortali. Qua conditione & idola paganorum dicuntur, *manu facta*, manuum opera, quod ſint infirma, diſſolubilia, inertia: quae omnia afore dicat Paullus a corpore noſtro in illa altera vita.

Cuius

Cuius quidem memores, ait, iam nunc ita se parare, vt sciant, se ἐνδημεῖν in hac vita, in hoc corpore, remotius interim agere a beata Dei sede, ad quam, in quam cupiant ἐνδημεῖν, peruenire, vt domum, atque ibi habitare, *mutato* corpore; quod *deponere* sane nolint; quasi vestem notam, sed *superinduere* immortalem eius naturam, mutationem tantum subire corporis, sine morte, nec diuelli aut solui corpore coacti: a quo liberos mansuros ait Paullus, 1 Cor. 15. extr. quos superstites oppresserit iudicis Christi aduentus: dum ne nudi deprehendantur, i. e. turpes, destituti sanctitatis decore, ceu veste, qua non velatos, pudeat Christo offerri. Haec enim vis est nuditatis in Script. S. vt adiunctam semper habeat *turpitudinis* notionem. Nam, de corpore ipso explicari, vt nolit animus ac refugiat ipse velut nudus corpore deprehendi, etsi per se verum esse potest, tamen vix conuenit, & hic, nescio quomodo, friget: & quid fieri dicas tot hominum mentibus, ante Christi aduentum corpore exutis, & in coelo apud Christum agentibus & acturis, donec veluti postliminio redeant in corpora? Quare potius est, vt *moralem* animi nuditatem, cum Theodoreto ad h. l. aliisque intelligamus. Hac tanta ac tam felici exspectatione erectus, vt mala a se fortiter tolerari, grauiter ac diserte adhuc ostendit, idem facere Corinthios adhortatus: ita iam, & *sancte* ac *caute* agere se, professus, eodem Corinthios vocat, inde a C. 5, 9. ad 7, 1. molli admodum transitu ac

pro-

prono, cum ſit eadem cauſſa, eademque ſpe nixa. Id quale ſit, vniuerſe primo ponit; vt placeant Chriſto, vſ. 9. ſiue ἐνδημοῦντες, ſiue ἐκδημοῦντες. Quae vocabula hic non ſignificant idem, quod antea. Nam, ſi ἐνδημεῖν hic notet, vt vſ. 8. agere in coelo, apud Chriſtum: quid tandem ſit, aut quorſum addatur, *ei placere?* Quaſi metus aut periculum ſit, ne in *coelo* non placeamus Chriſto. Ergo hic, per Antanaclaſin & alluſionem, notat: vbicunque locorum agimus, ſeu vobiscum, ſeu apud alios. Cauſſam addit & certam, & grauem, iudicium Chriſti publicum, & mercedem factis huius vitae reddendam. Hunc *timorem Domini*, i. e. hanc cauſſam pie & caute agendi, hanc pietatis ac Dei colendi formulam ac neceſſitatem, veram omnino religionem ac doctrinam, quae ſaepius (*obiectiue* qua rem & formulam ipſam,) vocatur *timor Dei*, vt vſ. 19, 10. Prou. 1, 4. rel. hanc ergo, inquit, edocti, huius per omnia memores, homines πείθομεν, i. e. ad eandem Dei profeſſionem cultumque vocamus & vertimus, docendo, demonſtrando, cohortando, vitae exemplo: Deo autem πεφανερώμεθα, i. e. Deus ſcit, & nos operam damus, vt videat, nos eſſe & vti ſenſu ac more probo. Quod & Corinthios, dicit, agnouiſſe; ſed hic de ſua vnius ratione loquitur, quam & Corinthiis probatam confidat, partim qua inceſtum illum, (1 Cor. 5.) & eiectum, & reſtiturum, immo iam reſtituendum: de quo egiſſet iam C. 2, 1—10. & quaſi proluſiſſet, 1, 17.

vbi

vbi rogasset: ecqua leuitate aut inconstantia vsus esset aut videretur? nempe, vt eundem nunc eiiceret, nunc reuocaret; etsi ibi & de veniendi consilio, capto & mutato, immo dilato, agebatur. Sed de incesto agit rursus 7, 8. sequ. partim qua auctoritatem ac fiduciam sui muneris muniendam, & a falsorum doctorum iniuriis & calumniis vindicandam: quod facit C. 10. 11, 12. cui rei & ipsi praeludit C. 5, 12—14. vbi loquitur de commendatione sui, & de *stultitia*; nam hoc ibi est, ἐξέστημεν, ex opposito, σωφρονοῦμεν & ex 11, 16. 17. 21. 12, 11. Sed de hoc alius erit disputandi locus, vbi ad *mores* Paulli, & epicheremata, vel accessiones, ventum fuerit. Illam autem cohortationem constantiae sanctitatisque studio rei pulcherrimae ablati, totam huc notauimus, vtut multa habentem, quae essent *alius* loci, vt mores Paulli ac pectus, aetiologiam, concinnitatem. Sed enim facilius ista clariusque notentur, vbi non, quasi excerpta aut reuulsa, separatim ponantur, sed, ex vniuersa continuatione, loco posita appareant suo: Et sane exemplum hoc erat *cohortandi* vere, excertis sententiis ac iudiciis, accurate, cum caussarum disputatione, amanter & cum studio vtilitatis aliorum, grauiter, & vt magnitudo rei necessitasque appareret, nec sine verborum grauitate ac luminibus: quorum nil abesse huic cohortationi, partim viderimus, partim, repetendo omissa, agnituri simus.

In-

Inceſtum illum, antea eiectum ex coetu Chriſtiano, 1 Cor. 5. poſtliminio recipere ſuadet & cohortatur, C. 2, 1 — 11. Quae & ipſa eſt cohortatio vera, vtilitatis conſiliaria. Hunc ergo hominem recipi iam, monet ac probat: primo, quod, diligenter re ponderata, hoc optimum iudicauerit; quod fidem & auctoritatem addat cohortanti & ſuadenti. *Suadet* enim Paulli modeſtia, hortatur, non imperat. Nam vſ. 8. ait, παρακαλῶ, & vſ. 10. cui vos ignoueritis, vel aliquid indulſeritis, & ego idem eidem tribuo. Ergo Corinthiorum voluntatem facit praerogatiuam ſuae: vt tamen, quid melius velle & ſtatuere videantur, idoneus auctor conſilii, id eſt, & intelligens, & fidus, praemonſtret. Deliberatam ergo ſibi rem penſitatamque, oſtendit, 1, 17. vbi negat, ſe hac in re, (cui velut ex occulto ibi molliterque praeludit,) lenitati quidquam dediſſe, aut varium eſſe & fluctuare in affirmando ac negando, decernendo vel ſtatuendo & mutando ac reſcindendo: aut κατὰ σάρκα βουλεύεσθαι, i. e. ambitioni quidquam dare, vt intempeſtiue parcat cuidam, aut precibus mollius cedat, aut cuiquam aliquid condonet ob cauſſas & neceſſitudines rerum externarum, aut ſuis opibus vel gloriae ſeruiat. Vnde negat, 1, 21. ſe poſſe aut velle dominari eorum fidei, aut cogere eos ad aliquid ſtatuendum vel reſcindendum, & hoc Cap. vſ. 1. praemittit vocab. ἔκρινα, quod Graecis notat, re diu diligenterque penſitata, ſtatuere tandem, quod mutari

iam nolis, neque oporteat: vt ille apud Plinium, qui constituisset (ἀποκαρτερεῖν) media vitam finire, (vt Atticus apud Cornelium,) pronuntiabat, κέκριται, stat sententia, fixum est ac deliberatum. Sed & argumenta allata docent, diligenter ei rem ponderatam: vt quam *vtilem* ostendat 1) sibi 2) homini illi, 3) Corinthiis ipsis. Sibi primo, ne cogatur venire ad Corinthios ἐν λύπῃ, quod 1 Cor. 4. extr. dixerat ἐν ῥαβδῳ, cum rigore & seueritate, castigandi consilio: ἐν λύπῃ, ergo, si & ipse doleat, (ἐν pro σὺν, vt ἐν ῥάβδῳ.) punire coactus, aut poena semel afflictum non liberare: quod non sit facturus, nisi aegre & cum dolore: (en pectus fidi patris, non animi caussa castigantis, sed necessitate cogente:) sed & Corinthii doleant, (qua conditione σὺν erit πρὸς, εἰς, vt 1 Thess. 2, 6. ἐν βάρει εἶναι, *oneri* esse, vel pro βαρεῖς, & hic, ἐν λύπῃ, pro λυπηρὸς·) nec laeti excipiant venientem tristi consilio. Vtriusque enim partis dolorem intelligit, & auerti cupit. Sed caussam dolendi ostendit, & afferri ex Corinthiis, & per eosdem auerti, quos dolere coëgerit; poena infligenda incesto, ab illis retento & tolerato; id tamen ipsi esse dolori, quo liberari non possit, nisi ipsis dolore liberatis: quibuscum dolendi caussa exstiterit: iam & laetandi rursus materiam habituro eosdem liberandos vtique esse, vt sincere laetetur, quod non possit, lugentibus illis, quos amet, quibus vnice gaudeat. En pectus & amorem non sustinentis gaudere, nisi illi gaudeant, quos

quos non sine dolore summo afflixisset per illam priorem epistolam, non sine angore animi & multis lacrymis scriptam, nec dolori mouendo datam, sed amori suo significando, quo commotus & admonitus, nollet eos dehonestari & inficiexemplo & impunitate hominis flagitiosi. Ita ostendit, & illud animaduertendi consilium fuisse fidele, probum, amori atque vtilitati eorum datum; quam vtilitatem quando effectam teneri iam videat poenitentia & hominis illius, vs. 7. & ipsorum, C. 7, 8. sequ. tempus iam esse mitius agendi, neque vltra, quam par sit, vtendum seueritate, vt ipsi molesta paullo, quia sit Corinthiis molesta, atque adeo periculosa, vt iam tollatur salubrius, ipsi illi homini, iam diu satis grauiterque notato & castigato a coetu vniuerso, a quo sit electus, vs. 8. Inutile autem est, quidquid est vltra τὸ ἱκανὸν, plus, quam satis sit, iam consilio poenae effecto: cuius vltra conditionem porrectam vigere poenam, non modo nihil attineat, sed iniquum etiam sit, & vero periculosum, ne nimio luctu (καταποθῇ.) quod vocab. ad Ebr. בלע, signa interire, deficere in periculo,) vs. 7. absorbeatur, conficiatur, pereat, aut ad desperationem agatur, cui sit inflicta: cui malo & periculo occurrendum esse parcendo, & poena ac nota demenda: quae vt inutilis iam sit, consilio effecto, iniqua eadem, quia iam mutauerit animum, periculosa, desperationis metu: ita veniam vtilem iam esse, quae laetum, alacrem, firmum reddat meliori vitae. Nam, si,

perire illum, Paullus non vult, viuere vtique vult, ſancte quidem: recipi ſi vult: dignum iſto reditu viuere vult, & victurum confidit. Sed & Corinthiis ipſis vtile demonſtrat, recipi eum: partim, vt liberentur dolore, quem ceperint iam ex ipſo flagitii exemplo, ipſis & turpi & ingrato; vnde ait, vſ. 5. non tam ſe, aut ſe ſolum, iſto eſſe dolore afflictum, ſed *ex parte omnes*, i. e. plerosque Corinthiorum; aut, quia non omnes dolebant: quod tamen vix raptum videatur additis verbis: ἵνα μὴ ἐπιβαρῶ, ne quid grauius dicam. Quae verba ſunt in parentheſi; neque, πάντας ὑμᾶς, pendet ab ἐπιβαρῶ· vt & Theodoretus diſtinguit atque exponit. Neque enim *grauius* dixerit, qua Corinthios quidem, ſi, omnes indoluiſſe, dixerit; immo laudi hoc illis eſſet. Nec vero ſatis congruerit, *ex parte omnes*: quorum altero, vt diuerſo, alterum plane tollatur. Quare ἐπιβαρῶ non ad Corinthios retulerim, non magis, quam ἀπὸ μέρους, ſed vtrumque ad inceſtum illum: non me tantum dolore percuſſit ille, ſed ex parte, i. e. *quodammodo*, quia non id tamen egit, quod tamen ex eo facto conſequeretur ac redundaret, ne quid (in eum) grauius dicam, aut acerbius eum inſecter, coëgit tamen vos omnes dolere, vtut non id agens; re tamen ita ferente, ſin conſilio facientis, at exitu facti. Nam ὑμᾶς quidem ad Corinthios ſane pertinet, non ad reliquos coetus, vt cenſet Theodoretus, plane contra vſum Paulli, nunquam *vos* appellantis alios

ab

ab illis, ad quos proprie & proxime ſcribat. Hos ergo iam vtiliter leuari ac liberari vult hoc dolore, qui ad illos peruenerit, partim, vt dixi, ex illius exempli flagitio, partim ex poena a Paullo irrogata: quae vt non potuerit non dolori eſſe illis ac ſollicitos illos habere; ita iam tempus eſſe, vt ea liberentur & per ſe, quippe conſilio effecto, poenitentiae fructu, &, ne a Satana decipiantur, cuius νοήματα, conſilia infeſta, quid iis incogitet, haud quaquam ignorent. Quaenam ſunt iſta νοήματα Satanae? Quem quidem alium intelligi, praeter eum, quem diabolum ſoleamus dicere, nil attineat; cum ſi homines intelligeret, dicturus fuerit, ὑπὸ τῶν ἀντικειμένων, neque vſurus Ebraico vocabulo, vt proprio nomine. Conſilia autem intelligit Theodoretus ἀπόγνωσιν, deſperationem, in quam protrudere Satanas tentaret inceſtum. At enim hoc iam dixerat aperte, vt nil attineret, tam velut tecte hic loqui: non ignoramus, quid agat: nec vero *nos* dixiſſet, ego & vos. Ad coelum ergo ipſum pertinere, apparet: periculum eſſe nimirum, ne acerbitatis aut ſeueritatis nimiae arguantur, idque vel ab aliis coetibus, vel a paganis, ad quos verti poſſit ille homo, vel, vt Chriſti ſacra relinquat, vel, vt, implorato paganorum auxilio, per vim reſtituatur: vnde ius iis adimatur, talia deinde ſuo iure ſtatuendi aut mutandi: aut etiam variis criminibus inceſſat Corinthios, odio exaſperatus, odiis paganorum eos obiiciat, forte & calamitates illis inducat. Potentem

enim fuisse, nobilem, diuitem, credibile faciat tum Corinthiorum in eo tolerando facilitas, tum, quod Paullus, aut loquens ea de re, aut certe ad eam alludens, 1, 17. negat, se quidquam κατὰ σάρκα βεβλεῦσθαι, ambitioni dare: doloris itidem magnitudo, qui *ad omnes* peruenisset, coniicere sinat, non in obscura persona, vt Cicero loquitur, Epistol. Fam. 3. rem esse actam, sed in ea, cuius exacerbatio nocere Corinthiis posset. Tanta prudentia, tanta fide, tanto amore colligit omnia Paullus, & refert ad vtilitatem, magnam, certam, exoptatam. Quae tria inesse illi vtilitati, res doceat: magnam, & per illos, ad quos pertineat, Paullum, Corinthios, ipsum hominem illum, & ob liberationem doloris, laetitiaeque sinceritatem, incommodorum quoque fugam, desperationis, inuidiae, criminationum, turbarum: certam eandem: quia incommoda, ex negato reditu oritura certo, non praesentius tollantur & auertantur, quam concedendo reditu; exoptatam denique, quia tam diu, tam grauiter doluerint omnes, Corinthii, Paullus, homo ille; cui laetissimum atque exoptatissimum accidisse reditum illum, appareat ex metu desperationis, qua ne absumatur, negato reditu, vereri se, Paullus ostendat; vnde & ait ὁ τοιοῦτος, talis, nempe, sic animo iam affectus. Per haec omnia suadet vs. 8. vt sanciant in eum *amorem*, i. e. vt decretum condant instaurati in eum amoris signum, quo reuocatus, redditum

tum ſibi videat illorum amorem, qui iam dignus fruatur.

Ad liberalitatem & beneficentiam in pauperes, nominatim Iudaeos Palaeſtinos, fame laborantes, (de qua Act. 11, 25.) cohortatur C. 8—10. Quae cohortatio, vt ſi qua vnquam, oratorie inſtructa, compoſita, exornata, prudentiſſime proficiſcitur a laude Macedonum atque Achaeorum: quorum munificentiam, exquiſitis laudibus ornatam, (quas ſupra notabamus, Cap. 3. de Gen. Demonſtr.) quid aliud, quam imitandam Corinthiis, velut ex vicinia, ſtimulo admoto, incutit? Qua quidem fiducia, vt, eadem facturos, certum haberet, Titum ad Corinthios a ſe miſſum, demonſtrat. Itaque non directo poſcit aut praecipit, idem vt faciant; ſed proludit exemplo Macedonum; quo ſe commotum, dicat, miſiſſe Titum, qui, quod apud iſtos proſpere geſſiſſet, vt collectam faceret, idem apud ipſos non minus felici ſucceſſu experiretur, perficeretque & apud Corinthios (εἰς ὑμᾶς, qua vos, in vobis, a vobis,) τὴν χάριν ταύτην quam blande ſane χάριν vocat Corinthiorum comitatem, humanitatem: niſi intelligere maluerimus, e vſ. 1. C. 8. Dei fauorem, quem Titus *expleret* apud Corinthios, a Corinthiis, i. e. vt, eo ſequeſtro atque interprete, idem facerent Corinthii, diuinitus, vt Macedones, moti atque molliti. Haec iam non poterant non mouere Corinthios: fauor Dei, & motus, cui tribueret Macedonum liberalitatem: quid aliud innuens, niſi, vt & ipſi

se praeberent Deo, eiusque Spiritu plenos atque incitatos, non minus sese illis ferri promtos ad optima quaeque, ostenderent, non sine pudore aut periculo carituri aut vacuos sese exhibituri illo motu diuino? Exemplum deinde Achaeorum, popularium Corinthiis ac vicinorum, quod imitari nolle, cum melius possint, indignum Corinthiis sit futurum; res tam feliciter coepta: quam apud Corinthios abrumpi atque obhaerescere, tam opulentam ciuitatem, adeo visum ipsi sit absonum atque incredibile, vt iam, velut explorata re, nil cunctatus, nil antea percunctatus, miserit Titum cum alio, qui velut paratam auferrent pecuniam, nempe a collaturis haud dubie, & paratam habituris prius, quam illi veniissent. Quod facturos confisus, ipsa hac laude & fiducia, vt faciant, cohortatur. Plenos enim se, ait, scire illos fide, quam profecto & factis sint probaturi, λόγῳ, doctrina, scientia rerum diuinarum, cui facta minus congruere, e qua illos agere nolle, credibile non sit: γνώσει, vsu & prudentia iudicandi ac decernendi, quid aptum sit caussae ac tempori cuique, quid ergo & nunc statuendum in ista egestate ac necessitate Palaestinorum, ex ista praerogatiua exempli vicini: non sine spe & conditione mutui quandoque ab illis auxilii, si contra casus dederit, exspectandi: quin & σπουδῇ, studio, ad alia officia, & ad hoc ergo; nam & voluntatem, & facta eorum dudum sibi perspecta: vtrumque & nunc exhibituris confidere. vs. 10. Liberaliter

tamen,

tamen; more ſuo, agens, non iubet aut cogit; experiri ſe velle, ſignificat, aliorum exemplo adhibendo, qui probauerint ſuam δοκιμὴν, i. e. ſe eſſe vere Chriſtianos; per hanc ergo aliorum δοκιμὴν, proponendo illis aliorum exemplo laudabili, experiri velle ſe, profitetur, ſpecimen capere, materiam illis offerre, quaſi campum aperire, vbi oſtendere poſſint, & ipſis ineſſe fidem γνήσιον, (vel γνησίων,) veram, factis & officiis ſe probantem: cui materiae ac ſpecimini defuturos, haud credat, praelucente vtique ac trahente finitimorum exemplo. Satis valida illa; ſed longe validiora admouet; immo longe validiſſimum, Chriſti, Domini ac Dei, exemplum, qui, cum eſſet diues, omnium rerum potens, vt Dominus ac Deus; (neque enim expediuerint, quibus homo merus & tantum ſuo tempore natus homo Chriſtus videatur, quomodo diuitem fuiſſe illum hominem & doctorem interpretentur;) omnibus tamen iſtis ſua ſponte relictis, pauperem vitam egerit, eamque *propter nos*, commodo noſtro, (non *exemplo* ſane; vbi enim iubemur pauperes eſſe ſponte, neque id eſt, ὑπὲρ ἡμῶν;) dictaturus nos iſta ſua paupertate: id eſt, virtute, merito, patientia vitae ſine commodis voluntario actae paraturus nobis & effecturus veras diuitias fauoris diuini & aeternae felicitatis; & hic enim friget & languet, quidquid de mera doctrina exemploque Chriſti homines afferre nituntur, qui merum hominem illum doctoremque habent; neque aut cum Domini ap-

pellatione, aut cum addito, πλήσιος ὤν, aut vocabulo χάριτος, aut cum υἱὲς ἡμῶν, aut Dativo, τῇ κάτω πτωχείᾳ, concilietur. Quod si hic Dominus ac Deus diues nos ditarit paupertate voluntaria, nobis salutari: veris apud Deum diuitiis cumularit; quin & ipsa copia & conditione fruendi & terrenis copiis ac commodis recte & tranquille; quia & corporis bona & commoda externa debeamus fauori Dei per Christum reddito: aequum esse, demonstrat Paullus, vt iam & Christiani, vt Corinthii aliquid erogent ex opibus suis in pauperum vsum: non carituri plane opibus, vt Christus in terris, sed partem inde in pauperes erogaturi, quibus fauere Christum, voluntaria eius paupertas loquatur. Haec omnia ad *vtilitatem* diserte reuocat (εἰς τὸ χρήσιμον ἄγει,) vs. 10. hoc enim, inquit, vobis *prodest*. Quo nomine & γνώμην, consilium dari a se, profitetur, vt manifesto hic versetur in caussa *deliberatiua*. Vtilitatis autem rationem repetit ex hisce fontibus: 1) quod illis futurum sit dignum ac decorum, qui iam ante promtos se praebuerint & in volendo, & in peragendo: vt in hac tanta caussa, vbi & alii promptos sese ostenderint, deficere a semet ac discedere posse non videantur; 2) quod liberalitas, non facultate spectetur, sed animo promto ac voluntate; vt grati sint Deo aliisque futuri, si dederint quantum potuerint; vs. 12. 3) quod non modo non molestum iis aut graue sit futurum, quasi ipsis solis incumbat θλῖψις, erogandi onus iniquum,

in

in aliorum ἀνέσει, laxamento, immunitate; quod nec posse exigi, neque vero posci re ipsa; immo aequabiliter rem describi, nempe pro facultatum modo ac ratione: quam ἰσότητα vocat, vs 14. in eo positam, vt plus conferant, qui plus habeant, minus, qui minus; aut, qui *nunc* plus contulerint, *alio* tempore minus conferant. Quod alterum innui videtur his verbis: vt nunc vestra abundantia, i. e. quod nunc plus reliquis vos contuleritis, γένηται, cedat, εἰς τὸ ἐκείνων ὑστέρημα, in illorum defectum, i. e. cum illo pensetur, quod illi dederint minus; vt nunc tamen summa confiat ἀξιόλογος, idonea & suffectura huic necessitati explendae: vt, si rursus inciderit talis conferendi vsus, plus conferant alii, vos laxamento leuemini, minus collaturi. Ita interpretari, aptum videatur tenori: vt ἐκεῖνον sint alii Christianorum coetus, maxime in Achaia, qui nunc minus Corinthiis contulerint. Nisi ἐκείνους malueris interpretari Iudaeos Palaestinos, in quos nunc eroganda pecunia esset: rursus daturos & vicissim collaturos, si quid acciderit illis, qui nunc dederint. Vix satis apparet, vtrum aptius sit tenori: ita vtrumuis congruit: Nisi, quod ἰσότης, vs. 14. magis fauet priori rationi, quae, conferendi aequabilitatem intelligens, opponat Corinthios, in praesenti plus collaturos, aliis minus conferentibus in eadem ipsa caussa. Nec minus illa verba fauent: ἄλλοις ἄνεσις· quae trahi vix possint, immo plane non possint, nisi ad immunitatem & vacationem conferendi.

Nam,

Nam, ſi opponantur Iudaei & reliqui, vt accipientes & dantes: leuius ſane & parcius dicatur ἄνεσις, quam quae cadat in accipientes. Quis enim, *laxamentum* tantum habere, dixerit eum, qui *accipiat* ab aliis collatam pecuniam? Alioquin, ſi probari ſatis haec interpretatio poſſit, nouum emerſerit argumentum vtilitatis; magnae vtique, quod res docet, & certae ac ſperandae, quia aequum erat, ita fieri, ſed & exoptatae, quia, quod in aliis recte & benigne feceris, idem in te fieri, velis. Quod quartum fuerit argumentum, mutui quandoque auxilii exſpectandi. Sed ita demum, vt dixi, fuerit quartum, Paullo nempe afferente, (nam per ſe vtique valet;) ſi quidem ἐκείνους intellexeris Iudaeos, nunc (collectam) accipientes. Quos tamen intelligi, praeter alia, vetant & Moſis verba, allata & propoſitae cauſſae accommodata: Qui plus collegiſſet, non ideo plus habuit; nec minus habuit, qui minus collegiſſet. Quod, huc translatum, ſignificare debet: Qui plus contulerit, non ideo praeſtabit reliquis, qui minus contulerint; quia & plus potuit, & alio tempore minus dabit; &, qui minus contulerit, non ideo deterior erit; quia nec potuit & alio tempore, plus dabit. Addit cohortationi Paullus nouam opportunitatem, negotii commiſſi viris certis, idoneis, peritis, probis, fidis, impigris, notis ac laudatis, Tito & alii, cuius nomen reticuit; vt tamen, haud dubie non minus notum Corinthiis, commendet a fide & ſtrenuitate, vſ. 16. rel. Tito quidem &

σπε-

σπουδὴν, ſtudium, amorem, ardorem, alacritatem tribuit rei gerendae, quam oſtenderit, ſua ſponte (αὐθαίρετος) ſuſcepto itinere. Quod ne cupiditate aut ſpe praedandi in eo negotio ſuſcepiſſe credatur, etſi iam norant animum viri moresque, addit, vel praemittit: eum admiſiſſe (ἐδέξατο) & accepiſſe cohortationem ſuſcipiendi negotii; ab ipſo ergo haud expetiti; immo hortatus erat eum Paullus, vſ. 6. vocauerat, negotium illi dederat, quo iam eſſet functus ad alios Macedones atque Achaeos; quare ab ipſo rogatum, ſcribit vſ. 6. vt cum fide & ſucceſſu inceptum apud alios, perficeret apud Corinthios. Rogatum ergo! Quid hoc ſignificat, niſi, dextre, fideliter, proſpere functum negotio? Neque enim rogamus, aut mandatum damus, cui vnum ex his tribus deſit, qui aut ſiniſtre, aut perfide aut infeliciter verſatus ſit in rebus gerundis, aut verſaturus videatur. Vno ergo vocabulo *rogandi*, velut per enthymema aut oratorium ſyllogiſmum, notat Titi fidem, dexteritatem, ſtrenuitatem, ſucceſſum & felicitatem: non rogaturus, ſi vel absque *vna* harum laudum foret. Cur ergo, αὐθαίρετον, ſua ſponte, excurriſſe, ſcribit? (vſ. 17.) Nempe currentem, vt Cicero loquitur, incitabat; iam ante exierat, cum accipiebat Paulli cohortationem; nam aoriſtus, ἐξῆλθε, poteſt eſſe pro plusquamperfecto ἐξεληλύθει· & nouum ſtimulum eius alacritati ſubiecerat cohortatio apoſtoli & mandatum. Vnde dicit, σπουδαιότερος ὑπάρχων, cum eſſet *tanto* promtior. Quem com-

comparationum ita, licet, intelligas: sua sponte iam promtus, mea cohortatione fuit, factus est alacrior. Vel sic: qui iam esset, cum esset, per se promtior, quam qui indigeret mea cohortatione, iam ante illam excurrerat ad vos. Ita & alterum laudat & commendat, Titi comitem, eo nomine, quod iam fuerit probatus ab ipsis Christianorum coetibus ac designatus, qui cum Paullo (συνέκδημος, itineris socius,) perferret illam munificentiam ad Palaestinos: vs. 19. His omnibus fidem auget sua ipsius, quem nossent, cura firmanda, vs. 20. 21. qua vereatur ac vitet, ne vel leuissima aut tenuissima suspicio in se aut comitibus haereat rei vel minus fideliter gestae. Vnde addit, grauiter & prudenter: ea spectamus ac prouidemus, non, quae Deo modo, sed &, quae hominibus probentur. Quid? hominibusne seruiebat Paullus, aut magis, quam Deo? Quod longe a sese amoliretur, Gal. 1, 10. Quid, si cui in mentem venerit Terentiani illius ex Phormione: Parumne est te tuum officium facere, si non id vulgus approbat? Sed enim ex recondita plane morum & prudentiae disciplina depromtum hoc ponit, pluribus edisserendum, vbi ad *mores* Paulli & sententias (noëmatici generis,) ventum fuerit: nam ab huius loci disputatione est alienum, quae versetur in utilitate: cuius noua argumenta serit c. 9. vbi quasi nouam disputationem videatur exordiri, ac de alia re loqui; quia incipit: Nam, de collatione in usum Christianorum scribere, nil attinet rel. Ecquid,

aliam

aliam hanc esse, dicamus, ab ea, quae in Palaestinos erogaretur? Eundemne, de qua 1. Cor. 16. init. vbi singulis diebus dominicis aliquid seponi iubet, nempe in vsum pauperum? Suadeant sane verba: περὶ μὲν γὰρ τῆς λογίας, rel. quae alius vel nouae rei exordium denuntient, similes tamen priori & cognatae, ob partic. μὲν γάρ· nam nouam plane & aliam per δὲ solet ordiri. Et verba, εἰς τοὺς ἁγίους, videntur alios signare a Palaestinis Iudaeis; quos tamen & ipsos, 8, 4. simpliciter vocat τοὺς ἁγίους· vt per epanalepsin redire hic ad eandem caussam dici possit: partim, quia antea non directo collectam rogasset Corinthios, sed laudendo exemplum Achaeorum: partim, quia degressus fuerat ad commendandum Titum & comites: vt sensus sit: nam, quod ad *ipsam* collectam attinet. Neque enim obstat, quod, ipsum sese illam petiturum & ablaturum, dicit, cum antea, Titum & comitem, dixisset, venturos. Immo curaturi veniebant illi & ordinaturi, petituro Paullo, & in Palaestinam secum ablaturo: Rom. 15, 26 — 28. Sed tamen, si vel maxime de alia collecta, velut ordinaria, loquatur; quod non videtur: argumenta tamen hic allata & ad illam valeant, grauia sane: 1) quod iam praedicauerit Macedonibus studium Corinthiorum. Quo loco prudentiam Paulli diuinitus suggestam, admirari iubet Theodoretus, vna eademque opera & Corinthios stimulantis Macedonum exemplo, C. 8. & Macedones vicissim Corinthiorum laude; quos quidem rogat & monet

net, ne patiantur ad irritum cadere aut in pudorem ſuum verti hanc gloriam ſuam, i. e. & ipſius & ipſorum; quos, receperit ipſe Macedonibus, promte facturos aut iam feciſſe; non ſine pudore teſtes habiturus Macedones ſecum, venientes falſae laudis & gloriationis, ſi paratam a Corinthiis collectam non offenderint: quod & ipſis pudori ſit futurum, quos pati non conueniat, fruſtra ſeſe laudatos. Vnde addit, non prudentia minore, quam comitate: ne pudore afficiamur nos, ego, qui vos falſo laudarim; ne dicam *vos*, vt falſo laudari. Addit, *ne dicam*, quaſi molliter & ſublimide, vt maiorem ac praecipuam pudoris partem ipſe laturus. Vere tamen & prudenter, *vos*, addit; quia etſi iniuſſus laudauerat Corinthios, (qui & nondum recepiſſe, tum videantur, ſeſe collaturos,) credibile tamen erat Paullo, fore, vt ſibi conſtarent, 8, 7. 10. nec vinci ſeſe paterentur exemplo vicinorum ac popularium, aut ſpem deſtituerent Paulli, fidemque de ipſis datam, aut tam honorificam ipſis praedicationem & beniuolam, cui & grati eſſe deberent, cum poſſent, quae omnia facerent, vt in ipſos recideret tamen pars magna pudoris, ſi eorum officium defuiſſet, aut ceſſatum a ipſis foret. Sed nouum addit vtilitatis argumentum: quod 2) eo largiorem a Deo mercedem ſint habituri, quo largius contulerint, parciorem, quo parcius. Quod eleganter proponit imagine meſſis & ſementis, vſ. 6. τῦτο δὲ, *hoc autem*, ſcil. dico, vel, certum eſt. Quod ita con-

continuatur superioribus. Etsi non conueuit, benefacere lucri caussa, per πλεονεξίαν, vt Deus vobis remuneretur, sed per φιλοτιμίαν, humanitate motos, & ipsius virtutis per se amore; (id enim notat φιλοτιμία vt φιλοφροσύνη v. Glossar. Theodor. voc. φιλοτιμία) tamen & hoc vobis affirmo, largam fore mercedem liberaliter conferentibus: Quod illa ipsa imagine firmat & probat. Nam, sicut larga sementis est praerogatiua largae messis, quae sequatur illam, nec sequi sine illa possit: parca autem sementis habere nequit conditionem largae messis: ita benefacta comparantur ad remunerationem sui; quam quia, benigne quidem ac libere, non necessario, constituit tamen tribuere Deus: non potest non sequi modum beneficentiae; atque ita plane faciet. Quod & firmat, vt *certa* quoque illa vtilitas ostendatur, ex potentia Dei, vs. 8. facturi vtique, cum promiserit: non promissurus, si non & posset & vellet. Promisisse autem, probat vs. 9. Salomonis verbis. Quam sementis imaginem, velut telam exorsus, ita persequitur vs. 10. vt simul votis laetis, immo promissis apostolicis, auctoritate diuina porro excitet dandi alacritatem; aequum idem esse, moneat, Deum coli per liberalitatem & munificentiam, ipsi adeo gratam, qui semen praebeat conferentibus agros, in rerum natura, & rerum copiam benefacientibus in vita ciuili, pecuniam, bona, unde erogent in pauperes. Summam denique addit cohortationi, vt, omnia cessura,

dicat, ad Dei maiestatem illustrandam, cum cosendo eo per liberalitatem, ab ipso praeceptam, ipsi gratam, tum gratiis laete agendis, & ab iis, qui dederint & contulerint in pauperes e copia diuinitus subministrata, & ab iis, qui acceperint, grate sane futuri, vt in datores, Dei ministros, ita multo magis in Deum ipsum, qui & copias praebuerit daturis, & consilium dandi mouerit & seruarit. Cuius quidem spei ita certum sese ostendit, Corinthios simul excitaturus ista sperandi alacritate, vt iam nunc Deo gratias quasi repraesentet, vs. vlt. pro ineffabili fauore & beneficio, quo & egentes recreet, & daturos moueat, & dantes remuneretur.

Huic tam illustri cohortationi, ob similitudinem causae statim alia suggeratur, Gal. 1, 9. 10. vt breuior, ita grauis sane & elegans: vbi itidem suadet, benefacere, cum vniuerse omnibus, tum vero consortibus eiusdem professionis, tanquam οἰκείοις; domesticis, cognatis, propinquis; vt vocat, πίστεως, i. e. *qua fidem*, (v. Philol. Thuc. Paull. p. 45. extr. lit. β.) qua Christi professionem: idque duplici de causa: 1) quia adsit iis καιρὸς, occasio, materia, locus, copiae, temporis opportunitas: qua non vti, & turpe sit, & vero nociturum; quippe & mercede carituris, vel praemio virtutis, & Deo non placituris. Nam etsi verba, ὡς καιρὸν ἔχομεν, verti possunt pro occasione & copia, vt sese obtulerit, vel, vt possumus, nempe & a) pro materia ex egentibus data, & b) pro facultatum copia; nam & hoc di-

ci-

citur, καιρὸν ἔχειν, vel εὐκαιρεῖν vel sic tamen vti monet & copia & occasione a Deo data & monstrata: certe ὡς & *quia* notat, & *prout*: & quem iubeas aliquid facere *pro* occasione & copia, eum *vti* profecto illa velis, ob id ipsum, *quia* habeat. Vt, quem hortare literis operam nauare pro viribus ingenii, ei non *modum* tantum, sed & *causſam* proponas hoc ipso, ne frustra acceperit, quidquid habeat. 2) quod larga merces maneat munificos: quam & hic *messem* vocat. Vbi vtitur longe elegantissima antistrophe & inuersione vocabuli ἐυκαιρεῖν cum synonymo, ἐκλύεσθαι, fatigari, deficere: Nolite, inquit, fatigari, aut taedio vinci beneficiorum erogandorum; neque enim olim fructu, mercede, praemio unquam fatigabimini, sed usque, velut de integro, gaudebitis. Neminem enim vnquam fructus aut mercedis taedium cepit; nec satiari eius dulcedine quisquam solet. Hoc si aequum censetis: neque operae taedium vos vincat, quae illum fructum pariat. Quid elegantius aut suauius? Quid autem potentius? Impudentiae plane improbae metum incutit, pudoremque offundit. Non pigebit, inquit, olim fructu ac mercede perpetua frui: & tamen operae pigeat? Liuii verba apponere libet e 5, 14. simili pudori incutiendo: *An, si ad* CALCVLOS *eum respublica vocet, non merito ei dicat: annua aera habes: annuam operam ede? An tu aequum existimas, militia semestri solidum te stipendium accipere?* At hic potentior etiam ratio est. Temporaria enim benefacta aeternis commodis remu-

neraturus est Deus; Quae commoda quem non pigeat nunc sperare, olim percipere, operae eum pigere, improbi profecto animi sit & grauiter impudentis.

Addere liceat, vt statim subiectum illi loco, neque alibi commodius notandum: quod ibid. vs. 11. hortatur Galatas, parere suis praeceptis, qua dogmaticis, qua ethicis, (illis tamen maxime, vt e. vs. sequ. apparet;) quia scripserit ad illos *tantis* literis, idque sua ipse manu. Cohortationem esse, patet, & huc referendam. At qualem? Aut qui valituram? Si literae γράμματα, hic epistolam notant: magnitudinem epistolae respici iubet. At longiores scripsit epistolas, altero tanto & vltra, ad Romanos, Corinthios, Ebraeos! Nisi priorem hanc ad Galatas scripsit, cum illis nondum conferendam, & quae tunc esset longissima, nondum exstante prolixiore, quasi per se satis longa. Nec tamen est adeo breuis: & sunt aliae vel dimidio breuiores. Sin literarum ductum, modum, scripturam intelligamus, quibus exarata esset grandiusculis & oculos ferientibus: verba quidem patiantur, res ipsa tamen leuior sit, ne dicam, frigida atque puerilis, nec multum moueret animos. Theodoretus ait, accipi a nonnullis male exaratas, inuenustiores, velut ab aegrotante & laborante. Valiturum sane mouendis animis; at nec vocab. πηλίκοις id patiatur; neque vllum aegrotantis Paulli signum epistola praefert. Ne Acta quidem Paulli, vnquam aegrotasse, loquuntur; & pluribus huc tan-

ge-

geret atque vrgeret. Maneat ergo sane, vt intelligamus, modum epistolae grandiorem. Comparate enim intelligitur magnitudo, vel ad rei vsum, vel hic ad alias epistolas, breuiores, ante scriptas. Ostendit ergo, & animaduerti iubet, multis, diligenter, non perfunctorie, se scripsisse: idque *sua* ipsum manu; quod alias non soleret, sed scriptore vti, vel librario, cui dictaret. Ex vtroque ergo intelligi & attendi iubet & grauitatem caussae per se, & quam sit cordi ipsi: & ipsis ergo esse debere, quibus sit scripta, & quorum caussa. Quam & *vtilitatis* demonstrationem esse, quis dubitet, rei grauitatem monstrante scribentis cura? Extremum huic epistolae cohortationem imponit eod. Cap. vs. 16. manifesta vtilitatis commemoratione: habituros pacem & misericordiam, i. e. Deum propitium & benignum, animo vsuros tranquillo, & concordia inter se laeta ac felici, qui tenuerint formulam a se in Epistola illa propositam, ritibus sepositis, quibus nihil efficiatur aut ad Deum placandum, aut ad sapientiae rationem, aut ad recte beateque viuendum: Christi vnice tenaces, per quem Deo vere ac solide reconciliemur ac probemur, & vires auxiliumque Spiritus S. accipiamus ad recte sentiendum atque agendum: virtutis iidem verae memores atque studiosi, de qua proxime dixisset, fiduciam Christi salutarem ostenderint & amore Dei & hominum, vs. 15. Ita & felices fore, & Dei Israëlem, i. e. verum Dei populum, in partem venturos & co-

pia vſuros beneficiorum per Meſſiam ex Iſraëlitis natum, omnibus propoſitum; quae beneficia dentur veris Abrahami poſteris, id eſt, fidei eius aemulis, quales ni ſint vel fiant Iudaei, fruſtra ritibus operentur. Nam καὶ hic eſt pro τοῦτ ἐστιν, & explicandi vim habet, non, qua *diſtinguat* Iſraëlem Dei, vere gratum Deo & probatum, eius fauore beneficioque felicem, ab iis, qui agant ex iſta formula; ſed qua *eosdem* plane cum illis faciat: vid Log. Paull. p. 17.

Quae ſequuntur, Epiſtolae, praeter Epiſt. ad Ebraeos, omnes ſunt plane, maxime & proxime, (*formaliter*, deſtinatione ſua & conditione,) ad cohortandum compoſitae, & verſantur in cauſſa deliberatiua. Nam, etſi & dogmata immiſcet, maxime ad Epheſios, more ſuo, de quo diximus in Log. Paull. p. 375. conſtitutio tamen, formula conſilii, quo proxime & aperte referantur & compoſitae ſint, in quo magis ex inſtituto, praecipue frequentiusque verſentur, eſt haud dubie, haud obſcure, cohortatoria paraenetica, &, quia ad vtilitatem vocat, cuius locis argumentisque frequentius pugnet, *deliberatiua*. Cuius generis & cauſſae, quando omnia affere nec licet, vt multa nimis, nec vero attinet, vt promta fatis, potiora certe delibentur, de quibus moneri aliquid, quibus cauſſam noſtram inſtrui, attineat.

In Epiſtola ad Epheſios, poſt dogmaticam vel didacticam diſputationem & contemplatiuam, de Chriſto vniuerſae ecclaeſiae capite, Iudaeisque &

pa-

paganis iam ſub vnum illud caput reuocatis, orditur cohortationem, ſatis clare quidem & certo, 4, 1. per ipſum vocab. παρακαλῶ. Quam cohortationem, more ſuo, ſuperſtruit doctrinae antea tractatae. Cohortatur ergo maxime ad concordiam & amorem mutuum: Quorum officiorum ratio lateat partim in conſociatione omnium populorum omnium ad Chriſtum & ſub Chriſtum, partim in amore Chriſti, per hanc ipſam ad ſeſe conſociationem exhibito. Fidem autem praemunit & adſtruit huic cohortationi, a ſua conditione, qua iam ſit captiuus in domino, i. e. ob Chriſti doctrinam & profeſſionem: Quod iam de ſe praedicaſſet, 1, 3. 14. (vbi, *precando* Deum, hortaretur Chriſtianos; de quo eius more mox plura:) addita etiam cohortatione 3, 14. ne animum deſpondere vellent *in* calamitatibus ipſius, i. e. ob eas, aut metu, ne idem ipſis eueniret: aut *pudore* doctoris vincti. Et *metum* quidem auertit oſtendenda alacritate animi ſui, orſus ipſam Epiſtolam a gratiis Deo agendis 1, 3—16. celebrando multis verbis & grauibus beneficium Dei: cuius magnitudine plenum ſeſe, vacare, oſtendat, omni alia cura, incommodorum omnium immemorem ac ſecurum, prae tanta felicitate ac laetitia; nec cordi ſibi quidquam eſſe, niſi, vt eadem laetitia imbuantur atque efferantur Epheſii & ipſi aliique Chriſtiani. Quem ſenſum preces quoque eius loquuntur, 1, 16. iteratae 3, 1. vbi, geſtiens plane illa laetitia, & abundans admiratione, reuoluitur, velut auerti ne-

ſcius, ad recolendam magnitudinem eius beneficii, ſeque felicem vnice praedicandum, vt miniſtrum illius atque interpretem: ita, vt repetat preces, vſ. 1. coeptas, per epanalepſin, ex longa parentheſi, animi pleni & geſtientis indice. Quae omnia loquantur animum rei magnitudine plenum, hortenturque Epheſios, & exemplo Apoſtoli, & re ipſa explicanda, vt eodem ſenſu impleri velint. A quo ne *pudor* eos auertat vinculorum Paulli, hunc quoque auertit vſ. 13. honorifica eſſe, dicendo, ipſis Epheſiis: multo ergo magis ipſi apoſtolo, in vincula coniecto Dei & Chriſti cauſſa, ob rem ſaluberrimam praeclariſſimam, ſanctiſſimam, ob fidei conſtantiam: quae vincula ſignificent animum veri certum ac tenacem, qui nulla vi abſtrahi queat a profeſſione rerum, quas ſciat eſſe veras & magnas, i. e. praeclaras & ſalubres: idque certis argumentis, diuinitus edoctus. Quae quidem vera eſt fortitudo, non omittere prae aliis rebus certo cognitâ, ſi quidem ſint certa & potiora illis aliis rebus. Alioqui, ſi aut parum certa res ſit, aut leuior, vtut certa, pertinacis animi ſit, non conſtantis, inuictum illam retinere. Ipſi ergo honorifica vincula profitetur, vocando ſeſe captiuum, ſaepius, libere, ſecure, alacriter: &, ipſis Chriſtianis pulchrum eſſe, dicendo. Neque enim, quod decorum eſſet ſuſcipienti aut perferenti, indecorum eſſe poterat his, quorum cauſſa ferret; nec pudoris cauſſa redundare in ipſos ex eo, cuius non puderet ſuſtinentem. Sed quomodo

de-

decora erant vincula Paulli? Ante omnia & fidem miremur oratoris diuini, non ſuam, ſed legentium, gloriam dignitatemque ſpectantis; & prudentiam, ipſorum gloriae ſtimulos adhibentis, quo validius moueat! Quomodo ergo decora ipſis apoſtoli vincula? Non vno illa quidem modo. Primo oſtendebant illa vincula, eos habere doctorem ſapientem, vera certo ac diuinitus edoctum, ita firmiter, vt nullis incommodis auertatur ab iis profitendis. Decorum autem eſt diſcipulo, ſapiente vti magiſtro; ita enim ſapere & ipſe per illum non immerito iudicetur. Deinde conſtantiae ſignum erant vincula illa. Pulchrum autem eſt diſcipulo, habere doctorem non leuem aut mobilem, ſed firmum atque inuictum. Vtrumque porro, & ſcientia doctoris tam firma, & conſtantia adeo inuicta, oſtendebat doctrinae veritatem, tam conſtanter & ex cognitione certa defenſae; quam ſcire ac tenere, decorum ſane diſcipulis habeatur. Amorem denique Paulli in ſuos diſcipulos loquebantur iſta incommoda, ideo illi tolerata, quod non ſuſtineret aut reticere vera, & ſalubria, aut fidem doctrinae labefactare leuitate atque inconſtantia. Amari autem a magiſtro diſcipulos, quomodo non decorum eſſe illis non poſſit? Sed hac argumentatione ſuperſedere liceat, ſi ἥτις retuleris ad μὴ ἐκκακεῖν, vt decorum eſſe dicatur Chriſtianis, non deficere animo. Simplicius hoc quidem eſt; (nam genus articuli femininum datum eſt ſequenti, δόξα; quod & Latini ſolent:) vbe-

rius illud & grauius, quin & aptius commemorationi τῶν θλίψεων. Ita firmata fide sui, promit cohortationem concordiae, 4, 1 — 16. superstructam fundamento doctrinae de *vno* Deo, *vno* Christo omnium capite, *vno* Spiritu S. omnibus dato, *vna* formula salutis omnibus proposita; cui vnitati, vt hoc vocabulo vtar, & consociationi ad vnum, conueniens sit, *vno* animo agere ita coniunctos ac velut in vnum coagmentatos. Quod deinde firmat & iuuat beneficiis datis a Christo in coelum euecto; Quem, demonstrat, eo consilio venisse in terram ac descendisse, & rediisse in coelum, vnde venerit, vs. 9. 10. (coll. Ioh. 3, 13. 6, 62. 16, 28. quae loca προϋπαρξιν Christi in coelo, aeternam ergo, & Dei, loquuntur:) vt omnia impleret, vbique se vnum eundemque (vt omni tempore, Ebr. 13, 8. ita & loco,) ostenderet, omnia regere vnum, omnia omnibus tribuere: vni ergo domino subiectos, ab vno habentes eadem omnes omnia, conueniens esse, vno sensu vti. Quod *vtile* iis esse, firmat imagine corporis, vs. 12 — 16. quod, in varia conditione membrorum, vnum tamen sit, altero alterum iuuante. Ex eadem consociatione ad Christum, sub Christo, hortatur eos & sancte honesteque agere, vs. 17. sequ. quia iam non sint pagani, a Christo alieni, 2, 12. sequ. sed Iudaeis adiuncti, sancto Dei populo, eidem subiecti Christo, cuius imperio, doctrinae & beneficiis apta & decora sit morum sanctitas. Cuius singulas partes persequitur, eas maxime, eaque con-

conditione, qua referantur ad illam ſocietatem, vt vſ. 25. veracitatem, quia ſint membra inter ſe; membra autem ſeſe fallere mutuo, fraudi ſibi & noxae eſſe, haud conuenire. Eodem modo vocat ad placabilitatem, vſ. 26. ad furta vitanda, ad operam probam, vſ. 27. ad humanitatem, ſalubritatem, ſuauitatem & honeſtatem ſermonis, vſ. ſeq. ad manſuetudinem & miſericordiam, vſ. vlt. Dei exemplo, qui & ipſe benignum ſeſe iis praebuerit per Chriſtum, propter Chriſtum, in cuius neceſſitudinem venerint per hanc ipſam Dei benignitatem: ad laetitiam idem ſanctam vocat, ſignificandam hymnis & gratiarum actione, 5, 19. 20. pro tot ac tantis beneficiis, quorum copiam habeant per illam conſociationem cum Chriſto, ſub Chriſto. Coniugalis maxime amoris & fidei argumenta repetit vſ. 22. ſequ. ex intimo amore Chriſti in eccleſiam, & intima conſociatione cum Chriſtianis, cuius imaginem habet illa coniugalis neceſſitudo: hactenus, vt vnus ſit cum Chriſto quilibet homo pius, & vniuerſus Chriſtianorum coetus, intime ametur ab illo, qui ipſe factus ſit homo propter nos, ſimilis per omnia nobis: vt omnia accipiamus ab illo, quaſi communia & conſociata, quae ipſe habeat; nec quidquam vtile aut iucundi habeat a nobis diuiſum; quae vis eſt vera & ſancta coniugalis fidei & amoris, ſine qua non adſit nec teneatur vera & *moralis* conſociatio animorum, ſtudiorum, officiorum; reliqua corporis ſunt, cuius nulla hic ratio eſt, nec ſine furore impio trahi

huc

huc poteſt; quod vel eo nomine ſtolidum ſit & vanum, quod multi coniuges, in arctiſſima corporum conſociatione, quam & prolis fecunditas loquatur, liberorum pignora firment, tamen ſe non amant, non curant, non iuuant, non gaudent alter alterius felicitate. Haec cohortatio & honeſti conditionem demonſtrationemque habere videtur. Nam, Chriſti exemplo parere & conſiliis inſeruire, honeſtum ſit idem ac decorum. Sed quia in omni cohortatione, qualis & haec eſt, vtilitatis maxime ratio habetur, quae & hic teneatur Chriſti exemplo imitando & conſilio efficiendo, cum ſalutem noſtram vtrumque ſpectet: non incommode huc retulerimus, omnia colligentes ſub cohortationis nomen cauſſamque, quae ad agendum ſpectent. Sed manifeſtam ſatis adiungit rationem vtilitatis C. 6. filiis iniungens pietatem in parentes, vſ. 1—3. ob promiſſum vitae felicis, adiunctum praecepto quarto: ſeruis, vſ. 8. 9. quin & liberis, ob praemia olim & poenas certo ſecuturas: dominis item vel heris, vſ. 9. quod & ipſi habeant dominum, futurum vindicem vel remuneratorem, nullo hominum vel perſonarum diſcrimine, facta ſecuturum. E quibus omnibus intelligatur, non abhorrere ab officio Chriſtianorum verae vtilitatis rationem. Quippe & Moſes, Ebr. 11, 26. μισθαποδοσίαν ſpectabat. Modo ne ſit vnica aut ſumma ratio, ad quam omnia referantur. Immo, ob Dei voluntatem fieri vel non fieri oportet, quae ſint facienda vel omittenda. Qui

cum

cum vtilia tantum iubeat, inutilia vetet, praemia insuper arbitraria poenasque adiunxerit: incitari aut auerti homines ista spe vel metu voluit & patitur; non vt *ideo* tamen faciant vel non faciant, vnice certe aut primo loco, *quia* sint vtilia vel nocitura. v. Log. Paull. p. 218 *Quae* sunt vtilia vel nocitura, facienda sunt vel vitanda, *quia* iubet vetatue Deus; non contra, *quae* iubeat vetetque, facienda vel vitanda, *quia* sint profutura vel obfutura. Fallit enim consilii discrimen, vbi duo consilia eadem re teneantur: quorum vtrum vtri subiiciat, conscius esse sibi quisque debet, ne vtilitatis studium pro obedientia & officio imputet Deo.

Eodem pertinet fortitudinis ac diligentiae cohortatio, C. 6, 10—18. Cuius *modum* primo describit, colligere iubens animi robur, conseruare atque exserere; induere thoracem Dei, i. e. firmare animum ad colendum profitendumque Deum, ope eius, auxiliis ab eo monstratis ac suppeditatis, cognitione, fide, alacritate, sanctitatis studio, contemtu rerum terrestrium, spe auxilii diuini & felicitatis aeternae; nam his rebus & sensibus censetur ac firmatur verum animi robur. Vult itaque, eos velut accingi cognitione veri, & armari iustitia, vel sanctitate & virtute, & promtos esse, velut milites expeditioni, ad tuenda atque efficienda euangelii praecepta salubria; tegi eosdem velut scuto fidei ac fiduciae in Deum, ad reuincendos aduersarios, ad contemnendas & illecebras, & calamitates: spe quoque

que ſalutis, ut galea, muniri: quam enim hic *ſalutis gulcam* vocat, eam, 1 Theſſ. 5, 8. ipſe ſui interpres, vocat galeam *ſpei ſalutis*; quo munimine tuti agant & ſecuri a metu hominum & incommodorum, nil nocere valentium certis aeternae felicitatis, non magis, quam plagae capiti tecto galea & munito incuſſae; apprehendere porro, tenere atque adhibere velut gladium ac telum ſcripturae S. & doctrinae diuinae, a Spiritu S. ſuppeditatum, quo pugnantes & cominus rem gerentes, reuincant dubitationes atque errores, delinquendi aut deſciſcendi illecebras repellant, incommodorum & vexationum terrores debellent: precibus denique vti & pugnare, per quas ipſis ſibi primo, aliis deinde, Paullo maxime, impetrent auxilium diuinum, conatusque omnis vim & progreſſum. Ita deſcripta fortitudine ac diligentia, quas coniunctim habendas, & res ipſa docet, quia fortitudo ſine cautione in temeritatem abit, & vis conſilii expers, vt ait Horatius, mole ruit ſua, & Paulli ipſius deſcriptio loquitur, non *tela* modo & gladium, commendantis ad fortitudinis vſum, ſed *arma* quoque & munimenta, thoracem, galeam ſcutum, cautionis ac diligentiae inſtrumenta: quorum imaginibus ſignata munera & eſſe velint cautos, & reddant, & cautum poſcant vſum; preces vero & robur firment & curam acuant: ita ergo expoſitae *vtriusque* praeſidia & *auxilia* monſtrat, vnde petantur, quo *certiorem* oſtendat eorum vtilitatem. Quam demonſtrationem cum ipſo

modo iungit, immo ei intexit. Dicit enim: in Domino (Iesu Christo,) & robore eius efficaci. A Deo ergo petendum & exspectandum est auxilium. Vnde omnia, quae deinde recenseat, vocat παναπλίαν θεȣ̃, i. e. omnia Dei arma, a Deo data, monstrata, diuinitus valida praesidia. Hinc & *preces* facere iubet ad Deum: *veri* studium commendat & noscendi, & defendendi, & profitendi, & probandi sermone & factis: cum studio sanctitatis: vtrumque petendum e Scriptura S. quod praecipue commendat & telum in hostem & armorum munimen ac tegumen; ex qua eadem petatur & fides, cuius formulam proponat & spes, quam ostendat & efficiat. Ita descriptae fortitudinis ac diligentiae, his auxiliis firmatae atque instructae, iam & *causas* affert longe grauissimas: 1) hostium a vim & potentiam: quos, per *negationem* oratoriam, negat esse *carnem* & *sanguinem*, i. e. infirmos, facile vincendos; sed ipsum primo diabolum, vs. 11. quem alium intelligi, quam ipsum illum spiritum maleficum, frigeat profecto, in tanto armorum apparatu: deinde κοσμοκράτορας, ἀρχὰς, ἐξȣσίας, principes Iudaeorum & paganorum, pontifices, imperatores, reges, praesides: τȣ̃ς σκότȣς τȣ̃ αἰῶνος τȣ́τȣ, plenos ignorantia, erroribus, prauitate naturali huius vitae, a Dei & Christi cognitione cultuque remotae, superstitione, philosophorum fastu & nugis plenos peruicaciterque pugnaces: πνευματικὰ τȣ̃ς πονηρίας, i. e. vel πνεύματα πονηρὰ, & daemones ma-

malos, & hominum ſenſus improbos: vel πονηρίαν πνευματικήν, prauitatem, improbitatem iactantium πνεῦμα, monitum diuinum, ſenſum ſapientem & ſanctum, volentium ſeſe eſſe πνευματικούς, diuinos, diuinitus ſapientes & ſanctos, cum ſint πονηροί, σαρκικοί, corrupti, erroribus & prauis ſtudiis pleni: ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, in eccleſia ipſa, inter Chriſtianos: vel qua ipſam religionem & formulam Chriſti: neque enim commodius explicetur: & fauet vſus loquendi, Eph. 1, 3. Col. 2, 20. Apoc. 12, 7. 8. Sed & b) calliditatem hoſtium memorat, artes, fraudes: μεθοδείας enim vocat, petitiones, captiones, ſophiſmatum laqueos, ſapientiae ſanctitatisque ſpeciem, ad fallendum compoſitam: illecebras item & terrores: magicas quoque artes ac praeſtigias, quibus turbare ealleant & ſtudeant mentes. Eorundem notat c) violentiam ac ſaeuitiam. Tribuit enim illis tela *ignita*, ſalaricas, i. e. impetus graues, infenſos, acres, ad perniciem compoſitos: a quibus induci, aiat, ἡμέραν πονηράν, tempora triſtia, calamitates, vexationes acerbas: d) multitudinem: plurali enim numero omnes dicit: & 1 Cor. 16, 9. de iisdem Epheſiis loquens, ad quos hic ſcribat, *multos* ſibi, ait, aduerſari in illa vrbe. Et ſane ſenſerat Epheſi omnia iſta, Act. 19. quod caput inſeruiat ſingulis hic & explicandis & firmandis. Iam ipſam vtilitatem ſubiicit cohortationi, *victoriam*, praeclaram & glorioſam, ex hoſtibus tam validis, tam callidis, tam multis: felicem & ſalutarem, ſucceſſu operis diuinitus dati, vſ. 13.

19.

19. certam denique, auxilio Dei, & natura praesidiorum tam multorum, tam validorum.

Ad Philippenses Epistola tota est & ipsa cohortatoria, ad concordiam maxime, & constantiam firmitatemque, cum doctrinae retinendae ac profitendae, tum incommodorum perferendorum; sed & ad modestiam. Quae proponuntur & commendantur partim precibus ad Deum 1, 3. 11. partim Paulli exemplo, 1, 12. sequ. 3, 4. sequ. sed multo maxime Christi ipsius, 2, 8—11. partim directo & praecipiendo. Ad concordiam profitendae doctrinae hortatur 1, 27. 2. init. ad amorem mutuum, modestiae iunctum, 2, 3. sequ. Quae cohortatio simul referatur ad retinendam puritatem doctrinae; quam qui vitient, homines sint arrogantes, sibi placentes, Iudaicae doctrinae iactantes, turbarum amantes, suo tantum commodo seruientes, aliorum salutem & vtilitatem insuper habentes: 2. init. 3, 19. Radicibus ergo exscindendis malum ipsum tollit, & amore modestiaque inductis, id est, odiis & fastu arrogantiaque sublatis, etiam doctrinae tuendae concordiam inducit ac firmat: *verae* nempe, quam veram esse & ipse sciret, & Christiani, ab eo docti; ab hac enim ne latum vnguem discedebat; adeo, vt ne incommodis quidem auerteretur, 1, 17. & omnia prae ea duceret nihili, quisquilias, 3, 8. sequ. nec suos abire ab ea vellet, 1, 28. 3, 15. 16. falsae enim doctrinae & prauae & ipse resistit acriter, 3, 2. 8. & resisti iubet. Sed enim nihil obscuritatis aut difficul-

ficultatis habent. iſtae cohortationes: &, quod *oratoris* in iis eſt, ad *mores* redit: vbi reddemus: vnum hic addituri, vt plenum & ſolidum conſtet epiſtolae argumentum, & numeri praeceptorum: quod ad laetitiam tranquillitatemque vocat, 4, 4 — 7. grauiter ſane repetita cohortatione *gaudendi.* Eius autem laetitiae & *modum*, & *cauſſas*, & *praeſidia*, vno verbo deſcribit, ἐν κυρίῳ, i. e. vt gaudeant tanquam Chriſtiani, pie, ſancte, caute, non ex rebus terreſtribus, externis, vanis, fluxis, ſed diuinis Chriſti beneficiis, quibus & nunc fruantur, & olim ſint beandi: ob Chriſtum ipſum, per eius virtutem; unde addit: Dominus prope adeſt, nempe vobis: adeſt vobis aequus, propitius, adiutor: firmat eos, olim in vitam euocaturus, ſecum beaturus. Quae omnia gaudendi incitamenta iam attuliſſet 1, 6. 28. 3, 15. & maxime 20. 21. Vnde & *curare* quidquam vetat μεριμνᾶν, angi re ulla aut turbari; non φροντίζειν, ſtudere, agere; quippe quod etiam μετὰ φόβου καὶ τρόμου facere iubeat 3, 12. ἀγῶνα ἔχειν, 1, vlt. διώκειν, 3, 12. Et clarius praecipit, cohortando ſimul & fidem faciendo rei efficiendae, cuius *modum* oſtendat: in omni re, cauſſa, neceſſitate, tempore, loco, deferte ad Deum, γνωριζέσθω· non, quo neſciat, ſed quod ita agamus cum hominibus, quos precibus adeamus, vt iis loquamur & ſignificemus deſiderium noſtrum: deferte ad Deum deſideria veſtra, *per* adorationem: μετὰ hic eſt pro διὰ, vt ſaepius, & modum deſiderii deferendi

no-

notat: per *preces*: προσευχὴ ad Dei cultum refertur, δέησις ad ipsorum necessitatem & egestatem; cum gratiarum actione: partim pro beneficiis iam perceptis, partim ob spem copiamque porro percipiendorum: vt Dauid in omnibus fere Psalmorum precationibus, velut in antecessum, addit repraesentatam gratiarum actionem. Quam & apostolus ponit optimam, certissimam, vberrimam conditionem semper gaudendi, qua fidem adstruat cohortationi suae. Nam preces cuncta delegant Deo, & curas a nobis *amoliuntur*: vt est Ps. 37, 5. volue, deuolue, amolire גלל, in Deum causas & necessitates tuas. Quod cum LXX. ibi verterint, ἀποκάλυψον, *significa*, aperi: potest eo respexisse Paullus suo vocabulo, γνωρίζεσθω, illius synonymo. Etsi Ebraicum illud est a גלל, *voluere*: sed confusa est verborum similitudo, non illis modo Interpretibus, sed & Ebraeis ipsis: vt Ierem. 32, 11. גלוי est *volumen*, liber, tabulae, a גלה quidem, *patefecit*, sed h. l quasi a גלל, *voluere*; unde ibi LXX. reddunt, ἀνεγνωσμένον, *lectum*, i. e. librum, volumen. Vnde & Deuter. 29, 28. הנגלות, *patefacta* possunt esse *scripta* in illo volumine: vt הנסתרות, *occulta* ibi sint, non *scripta*: vt. c. 28. dixerat Deus, se plura mala immissurum, (de quibus malis sermo & hic est) quae non essent scripta in hoc libro. Sed & in illo loco psalmi 37. Aquila & symmachus habent, κύλισον, ἐπικύλισον, *volue*, deuolue, & Theodor. illud ἀποκάλυψον expl. ἀνάθε.

Haec obiter, vtut non inutiliter, nec praeter rem. In Deum ergo amoliri curas ac deriuare, cum per se iucundum laetandique materia est, vt molestia libereris, tum vero certum ac praesens, vbi Deo deleges, id est, ei, qui omnia curare & velit & possit: cuius fides & maiestas agatur, quia nos iussit precibus se adire; non commissurus, vt frustra fiat, aut spes destituatur, quam ipse a nobis concipi voluerit de sua potentia, sapientia & benignitate: quam spem professi & dicto eius audientes, non possint non ei commendari ad euentum precibus annuendum: quae iam laetandi materia certa, promta, perpetua proponatur. Semper enim, vbique omni in re, ἐν παντὶ, aditus patet precibus. Iam gratiarum actio quid est, nisi animi *laeti* signum? Quis enim tristis agat gratias? Immo & efficientia est gaudii gratus animus, & caussa, e sensu contemplatione beneficiorum diuinorum, quae tristes esse non sinant. Quin & ad plus dandum, vt est in prouerbio, Deum quoque inuitet gratia ps. 50. extr. & porro recte sperandi, id est, laetandi, vt praeteritis, ita futuris, locum & praerogatiuam habet: Ita & *facilem* modum praebet: facile enim est, precibus nixum supersedere curis & opera propria: quod & *certam* rationem ostendat, ex fiducia potentiae & voluntatis diuinae, nil curandi, nil metuendi, semper ergo liquidoque & sincere solideque gaudendi. Addit *pacem Dei*, quae superet omnem cogitationem, i. e. tranquillitatem animi diuinitus datam, ful-

tam

tam beneficiis Christi, fiducia, auxilio, promissis Dei, incredibilem iis, qui ea fruantur, neque exspectandam aut efficiendam ab humana sapientia, constantia, virtute; Ioh. 14. 27. quia vnice nititur Deo per Christum, ob Christum, reconciliato, propitio, benigno, Rom, 8. 31. 32. quod humana ratio plane ignoraret; tum Spiritus sancti auxilio, quod nec nosse, nec sperare detur, nisi a Deo demonstratum, promissum, oblatum, adhibitum. Hanc seruaturam, demonstrat, animos piorum, munituram & vindicaturam ab omni metu, angore, sollicitudine, discordia quoque & asperitate; *pacem* enim vocat, etiam ob concordiam; quae, sicut iam cum Deo hominibus intercedat, per Christum reconciliatis, Rom. 5, 1. ita inter ipsos intercedere debeat; tum, quia vna iam formula, vno capite, Christo, teneantur, sic quoque diuinitus pace inducta, Eph. 2, 14. — 17. Col. 1, 23. tum, quia par sit, laetos fauore diuino, Deoque placato, & ipsos esse placabiles aliis, & ab ipsa laetitia molliri & in placabilitatem effundi; asperi enim esse non solent, ne possunt quidem, qui ex animo gaudeant. Hanc quidem concordiae pacem vel maxime hic intelligi, patet ex locis similibus, quae iam attulimus, tum e simillimo loco, & plane germano, Col. 3, 11. — 16. vbi, locutus vs. 11. de discrimine nationum sublato per Christum, qua Christum, cohortatur ad placabilitatem, vs. 12. 13. ad amorem, vt perfectissimum vinculum, vel totius summae & corporis (πληρώματος.) nexum;

vſ. 14. ſubiectis iis verbis, quae his plane reſpondeant: pax Dei dominetur in animis veſtris, omnia regat, & quaſi in certamine, iudex & arbitra ſedeat: i. e. omnia permittitote amori & ſanctitatis ſtudio diuinitus excitato, cuius cauſſas habeatis in Chriſto & ſummas & plurimas: omnia amanter conſtituite & agite. Cauſſamque addit: *ad quam* pacem & concordiam (colendam) *eſtis vocati*, Chriſtiani facti, in *vno corpore*, in quod coalueritis per Chriſtum, ſub vno capite. Nil euidentius tali locorum velut neceſſitudine, & vi vera *pacis diuinae*. Accedit in hoc ipſo textu, quem nunc tractamus, quod iubet monſtrare τὸ ἐπιεικες, vel τὴν ἐπιείκειαν, lenitatem, moderationem, facilitatem cedendi, ignoſcendi, tolerandi, obſecundandi commoditatem. Haec ergo concordia, inquit, haec pax *cum Deo*, (neque enim hoc omitti velim, ob genitiuum, *Dei*, & quia concordia Chriſtianorum nititur pace, qua gaudeant cum Deo & cum aliis,) ſeruabit (vel ſeruet: futurum pro imperatiuo:) vos intactos ab omni cura & moleſtia *in Chriſto Ieſu*. Haec & *cauſſa* eſt cohortandi; quia Chriſtus eſt auctor & conciliator pacis vtriusque; quia Chriſtiani eſtis, quos, Deo reconciliatos, inter ſe pugnare non deceat: & *auxilium* monſtrat formulae huius tenendae: ſi eſtis Chriſtiani, ſi confiditis & paretis Chriſto, interpreti & auctori pacis cum Deo, concordiae & amoris auctori, datori, magiſtro, exemplo. Ita & *magnam* affert vtilitatem, pacis cum Deo & hominibus, & *expetitam*;

tam; quid enim carius pace ſolida, integra, firma, tali vtique? & *certam* ac ſperandam, quia adſint modi & praeſidia eius tenendae.

Talia & Coloſſenſibus praecipit, 2, 7. 3, 10. rel. 4. tot. Vbi nil admodum eſt, quod moneamus: praeterquam 3, 1 — 4. vbi iubet τὰ ἄνω ζητεῖν, coeleſtia ſpectare & quaerere. τὰ ἄνω opponuntur terreſtribus, τοῖς ἐπὶ τῆς γῆς. Haec ſunt, ex tenore capitis ſequentis, res corporeae, ritus externi, tenues, animum nil afficientes, nil corrigentes, tranquillantes aut beantes, ſed, ex contexto huius Cap. vſ 5. more Paulli, tranſeuntis a ſimilibus ad ſimilia, vt 1 Cor. 6, 9. ab vno ad omnia, a parte ad ſummum, vt itidem, quin & a leuioribus ad potiora, vt Gal. 3, 16. ſimul aſſumuntur & comprehenduntur omnia ſtudia rerum leuium, terreſtrium, corpus & hanc vitam vnice & praue ſpectantium. Quae vſ. 5. vocat *membra terreſtria*, in terris haerentia, terrae addicta. *Membra* enim hic eſſe cupiditates ipſas, in *animo* ſedentes ac vigentes, adiecta docent, cum vocat libidinem, auaritiam. Quae ſtudia iubet νεκρῶν, interficere, i. e. frangere, vim & efficientiam eorum compeſcere, vt, nil valeant, nil efficiant, velut mortua, aut in mortuis, vt ipſe deinde loquitur. Ergo τὰ ἄνω ſunt *coeleſtia*, vt ipſe addit, vbi eſt Chriſtus, ſedens ad dextram Dei: i. e. a) digna coelo, vbi nec ritus externi, corporei, ciborum diſcrimina, rel. quidquam valeant, nec cupiditates rerum terreſtrium, aut praua ſtudia locum habeant: b) aptatura

nos coelo, vt, puri a prauitate, possimus euehi ad Christum, & per sensum, fiduciam, meditationem felicitatis coelestis, auocemur a studio rerum terrestrium, & imbuamur dulcedine coelestium gaudiorum, exspectatione & spe. Haec est cohortatio officii, *vtilitatem* proponens verae felicitatis in coelo, *magnam*, honestam, dignam homine Christiano, perfectam, ἐν δόξῃ, vs. 4. *expetitam* eandem; quia, Christiani facti, Christum professi, ostenderint, se non hic exspectare veram felicitatem, sed in coelo, apud Christum, ex coelo, a Christo. Vnde addit: mortui estis, vs. 3. i. e. amplexi mortem Christi salutarem, fiducia & imitatione, deposuisse debetis omnem prauitatam sensus, studiorum, morum, omnem admirationem rerum leuium, tenuium, terrestrium, nec magis iis moueri, quam mortui soleant aut possint; at iidem συνηγέρθητε, vs. 1. reuocati estis in vitam, cum Christo, per Christum, eius exemplo, auxilio; accepistis & suscepistis vires & studium sancte sentiendi, cupiendi, agendi; certi estis, in vitam vos redituros, qua corpus quoque, & animo & corpore aeternum ac felices victuros, per Christum, ob Christum, exemplo & consociatione intima Christi: Rom. 6, 1—11. Haec commoda, sicut expetiuistis & speraſtis amplectenda Christi doctrina, ita tenete sequendo eam doctrinam; *certo* adepturi commoda illa, (quae est tertia commendatio vtilitatis,) sicut Christus habet rediuiuus, in coelis agens, vestra causſa habens, & (vt homo,)

con-

conſecutus, quae vobis daret: (Eph. 4, 8.) daturus idem, quia vobis effecit, parauit, promiſit: eoque ipſo conſilio olim rediturus; vſ. 4. ſequ. illuſtraturus, & vitae auctorem exhibiturus per veſtram felicitatem: Quae quidem ita certa eſt vobis, vt eam iam habeatis. *Occulta* enim eſt, inquit, vſ. 3. vtpote iam nunc reuocatorum in veram vitam, vſ. 1. ſanctam, laetam, aeternae praerogatiuam; occulta tamen κέκρυπται, i. e. nondum ſatis apparet, dum hic agitis, obnoxii, qua irritamentis & occaſionibus rerum terreſtrium, internis animi, externis vitae, qua incommodis & periculis. Adeſt tamen, ſeruatur vobis; nam & haec eſt vocabuli κρύπτειν, ex Ebr. *Zaphan*, Pſ. 31, 20. vnde *Zephünim*, theſauri;) *recondita* ergo eſt, repoſita; (Latino quoque vocabulo ineſt vtraque notio, & abſcondendi & ſeruandi; vnde Virgil. iungit, Ecl. 2. *condita ſeruo:*) certo illa, olim, plane velut eruptura. Eodem cap. vſ. 24. ſeruos ad officia cohortatur aperta commendatione μισθαποδοσίας, mercedis, vtilitatis ergo, exſpectandae a Chriſto, cui ſeruiant & vt Chriſtiani, & ut memores officii erga heros, per Chriſti doctrinam iniuncti. *Vtile* ergo eſt, Chriſto domino ſeruire; ſed & glorioſum, cum ſit Deus; ſicut longe aequiſſimum; cui enim plus iuris in nos ſit, quam Chriſto? (1 Cor. 7, 23. 2 Cor. 5, 15.) qui & omniſcius, videat, non, *quid* faciat modo quisque, ſed &, qua *mente*. Vnde vetat illos, vſ. 22. in ſpeciem tantum ſeruire ambitioſe, ſed, vſ.

23. ex animo, vero consilio parendi & placendi Christo Deo. Obseruemus hic etiam, Dominum esse Christum, cui pareamus, non *hominibus*, qui & hic opponantur Christo, vt Gal. 1, 10. Deum ergo esse Christum, ad quem sint omnia referenda, cuius caussa omnia facienda. Ita & aequi, & decori, & commodi rationem habet haec cohortatio. Nec minus

Ad Thessalonicenses Epistolae plenae sunt & ipsae cohortationibus, ad constantiam a) fidei ac doctrinae tuendae, Epist. 1. C. 1. tot. 2. init. calamitatum perpetiendarum, 2, 2, 14. ad sanctitatem vitae, nominatim ad castitatem vitae & industriam probae operae, 1, 4. 1—12 ad moderationem luctus in morte piorum, ibid. vs. 12. rel. ad exspectandum sancte & caute Christi aduentum; 1, 5, 1—11. ad alia officia propria & singula, vs. 12. rel. Sed enim his notandis locus aptior reseruatur, quia partim magis *dehortatur*, *consolatur* quoque, partim cohortationem peragit non directo, sed *exemplo* suo & comitum, & *laudandis* Thessalonicensibus. Nec *secunda* absimili est argumento aut oratione, aliis & ipsa locis notanda; nisi quod ad *preces* hortatur, C. 3. init. Quarum primo *materiam* ponit se & socios, eo nomine, vt libere & cum fructu doceant euangelium. Quae ipsa precum materia *caussam* quoque habet vtilitatis, longe grauissimam, Dei doctrinam salutarem atque illustrem. Quam vult δοξάζεσθαι, illustrari, agnosci, quam sit vera, sancta, praeclara, salutaris. Addit aliam materiam

riam eandem & cauſſam: vt liberentur apoſtoli, vel ipſe aliique doctores, i. e. non impediantur in curſu docendi euangelii, ab hominibus abſurdis, improbis, peruerſis. Quos quidem, ex Epiſt 1, 2, 14 — 16. haud dubie *Iudaeos* intelligit, obtrudentes aliis atque impingentes legem ſuam Leuiticam, abſurde & praepoſtere (ἀτόπως, vnde ipſi ἄτοποι,) contra euangelii conditionem. Satis cauſſae ad precandum! Cauſſas tamen & proprie ſeparatimque addit: primam, quod fides non ſit *omnium*, i. e. res difficilis, eoque rara, ideoque multi ab ea alieni, vel ei iniqui: quos aut ipſos verti in meliorem ſenſum, aut cere aliis non officere, vel propoſituris, vel accepturis formulam Chriſti, digna ſane precibus res ſit: alteram, quod ratae ſint preces futurae, vſ. 3. quia Deus ſit *fidus*, i. e. benignus, promiſſi memor, liberaturus precantes ab omni malo. Sapientiam Paulli miremur, aduertentis pios, vna inflexione vocabuli, ὑμᾶς, pro ἡμᾶς, quod vſ. 1. (ἡμῶν,) poſuiſſet, monentis, non ipſius modo & adiutorum, ſed & Theſſalonicenſium ipſorum, rem cauſſamque agi. Summa enim doctrinae euangelicae agebatur: quam non impediri, integramque ſeruari, non docentium magis referret, quam auditorum, quorum cauſſa emiſſi pugnarent doctores. Talia non obtrudi a nobis Paullo, aut affingi, ſed, ab ipſo poſita, notari, res ipſa docet. Extremo Cap. vſ. 14. monſtrat, egregie, i. e. prudenter & cum ſeueritate liberaliter, quomodo ſeſe gerant aduerſus con-

23. ex animo, vero consilio parendi & placendi Christo Deo. Obseruemus hic etiam, Dominum esse Christum, cui pareamus, non *hominibus*, qui & hic opponantur Christo, vt Gal. 1, 10. Deum ergo esse Christum, ad quem sint omnia referenda, cuius caussa omnia facienda. Ita & aequi, & decori, & commodi rationem habet haec cohortatio. Nec minus

Ad Thessalonicenses Epistolae plenae sunt & ipsae cohortationibus, ad constantiam a) fidei ac doctrinae tuendae, Epist. 1. C. 1. tot. 2. init. calamitatum perpetiendarum, 2, 2, 14. ad sanctitatem vitae, nominatim ad castitatem vitae & industriam probae operae, 1, 4. 1—12 ad moderationem luctus in morte piorum, ibid. vs. 12. rel. ad exspectandum sancte & caute Christi aduentum; 1, 5, 1—11. ad alia officia propria & singula, vs. 12. rel. Sed enim his notandis locus aptior reseruatur, quia partim magis *dehortatur*, *consolatur* quoque, partim cohortationem peragit non directo, sed *exemplo* suo & comitum, & *laudandis* Thessalonicensibus. Nec *secunda* absimili est argumento aut oratione, aliis & ipsa locis notanda; nisi quod ad *preces* hortatur, C. 3. init. Quarum primo *materiam* ponit se & socios, eo nomine, vt libere & cum fructu doceant euangelium. Quae ipsa precum materia *caussam* quoque habet vtilitatis, longe grauissimam, Dei doctrinam salutarem atque illustrem. Quam vult δοξάζεσθαι, illustrari, agnosci, quam sit vera, sancta, praeclara, salutaris. Addit aliam materiam

riam eandem & cauſſam: vt liberentur apoſtoli, vel ipſe aliique doctores, i. e. non impediantur in curſu docendi euangelii, ab hominibus abſurdis, improbis, peruerſis. Quos quidem, ex Epiſt 1, 2, 14 — 16. haud dubie *Iudaeos* intelligit, obtrudentes aliis atque impingentes legem ſuam Leuiticam, abſurde & praepoſtere (ἀτόπως, vnde ipſi ἄτοποι,) contra euangelii conditionem. Satis cauſſae ad precandum! Cauſſas tamen & proprie ſeparatimque addit: primam, quod fides non ſit *omnium*, i. e. res difficilis, eoque rara, ideoque multi ab ea alieni, vel ei iniqui: quos aut ipſos verti in meliorem ſenſum, aut certe aliis non officere, vel propoſituris, vel accepturis formulam Chriſti, digna ſane precibus res ſit: alteram, quod ratae ſint preces futurae, vſ. 3. quia Deus ſit *fidus*, i. e. benignus, promiſſi memor, liberaturus precantes ab omni malo. Sapientiam Paulli miremur, aduertentis pios, vna inflexione vocabuli, ὑμᾶς, pro ἡμᾶς, quod vſ. 1. (ἡμῶν,) poſuiſſet, monentis, non ipſius modo & adiutorum, ſed & Theſſalonicenſium ipſorum, rem cauſſamque agi. Summa enim doctrinae euangelicae agebatur: quam non impediri, integramque ſeruari, non docentium magis referret, quam auditorum, quorum cauſſa emiſſi pugnarent doctores. Talia non obtrudi a nobis Paullo, aut affingi, ſed, ab ipſo poſita, notari, res ipſa docet. Extremo Cap. vſ. 14. monſtrat, egregie, i. e. prudenter & cum ſeueritate liberaliter, quomodo ſeſe gerant aduerſus con-

contumaces: Quos iubet 1) per literas demonſtrari (διὰ τῆς ἐπιϛολῆς· vbi nota, articulum redundare, nec *certam* epiſtolam, ſed *aliquam*, notare;) ipſi quidem Paullo, monendos ab ipſo priuatim, proprie, ſeuerius: 2) congreſſum eorum vitari; non vt hoſtium, ſed vt, pudore admoniti, colligant ſeſe; 3) moneri tamen, meliora edoceri, corrigi, vt a fratribus fratres, i. e. *quia* ſint tamen fratres. Ergo errantes non deſinunt eſſe Chriſtiani, &, tanquam fratres, monendi ſunt comiter, amice, diligenter tamen; neque enim ambitioſe parci fratribus a fratribus ſolet, iuris fiducia. Ecquid hic monſtrat viam, quam inſiſtamus & nos cum Chriſtianis a vera ſententia alienis? Nempe in re graui; nam, in leuiori quomodo ſit agendum, docet 1 Cor. 8. Rom. 14. & hic in grauiori cauſſa ita ferendos comiter, monet, vt res ipſa tamen ambitioni ne condonetur.

Ad Timotheum vero Epiſtolae totae ſunt cohortatoriae, & in *vtilitatis* cauſſa verſantur: ad ſalubritatem gerendi muneris ſacri, cui praeeſſet Timotheus, quid aliud, niſi vt conſuleret vtilitati gregis ſibi commiſſi? Quod ei cum alibi ob oculos ponit, tum vero 4, 16. hoc ſi feceris, & te *ſaluum* praeſtiteris, & eos, qui re audiant. Cohortationis autem ſummam ponit 1, 3—5. primo doctrinae ſinceritatem: μὴ ἑτεροδιδασκαλεῖν, ne aliena, alia doceantur: nempe, quae non ſint a) vera: qualia notat 4, 1. rel. b) neceſſaria ad Deum & Chriſtum recte agnoſcendum,

dum, ad verum Dei cultum, ad officia erga alios. Haec tria proponit 1, 5. amorem verum & probum, conſcientiam puram, fidem, quae ſit in animo, non in ſola profeſſione. Ad *amorem* autem omnia reuocat ibid. nempe in lege; de cuius vſu vero & abuſu maxime agit: vt patet ex vſ. 7—11. rel. Nam & haec, etſi non ſola, ſocia tamen cauſſa & materia eſt huic epiſtolae ſcribendae, vt & ipſe obſiſtat, & Timotheum obſiſtere doceat atque hortetur, Iudaeis, vel e Iudaiſmo ad Chriſti ſacra transgreſſis, qui legem aut male intelligant atque calumnientur, aut praepoſtere vrgeant: ignorantes & 1) *ſummam* legis, poſitam in amore Dei & hominum, qui oriatur ex animo puro, liberali, ſui commodi non ſtudioſo, omninoque prauis ſtudiis aut libidinibus non infecto: e conſcientia laeta, quae, Deo fiſa propitio, alacritatem addat amandi Deum & homines, nec quidquam admittat, quo turbetur alacritas iſta, aut imminuatur: ex fide non ſimulata, e fiducia Dei & formulae ab eo proditae, maxime qua Chriſtum: ſine ſimulatione: i. e. quae ſedem habeat in animo, per cognitionem perſpicuam, certam, aſſenſu & fiducia praeſentem, & efficiens ſit vitae ſanctae, ex vero animo oriundae, vſ. 5. & 2) verum *vſum* legis, non ad percellendos & terrendos probos & vere Chriſtianos, vt qui partim ſint liberati per Chriſtum, a minis & poenis legis, partim, ſua ſponte, impulſu & auxilio Spiritus S. amore & grato animo in Deum incitati, odio prauitatis,

ab-

abſtineant prauis, ſtudeant rectis: non horrore legis, aut poenae metu, ſed ex euangelio: quod diſerte addit vſ. 12. repetens cauſſas ſancte viuendi ex aduentu Chriſti, vt improbos ad ſe vocatos ſeruaret & ſanctos beatosque redderet, vſ. 15. venia data, fauore Dei reconciliato, ſanctae vitae ſtudiis incitandis, ſpe oſtendenda & firmanda aeternae felicitatis; quorum omnium compotes, vere ſanctos, vere Chriſtianos, negat eſſe ſub lege, Rom. 6, 14. 15. ita quidem, vt ex hoc ipſo colligat, prauitatem iis non dominari, ergo nec legis metum incumbere, vt improbos terrentem ſolos, auertentem a prauitate, poenas intentantem. Haec tenere monet Timotheum, vſ. 18—20. vt iam coeperat vſ. 3. ſicut te hortatus ſum, docui, rel. ſed vſ. 5. ad 17. inſeruerat parentheſin, more ſuo: poſtquam, a vſ. 18. per Epanalepſin reprehendit filum: *idem*, nunc te hortor, rel. Summa ergo huius eſt cohortationis, vt teneat veram ſummam conditionemque doctrinae legitimae (*legalis*) & euangelicae, nec patiatur eam corrumpi nugis & additamentis Iudaeorum, quibuscunque tandem. Theodoretus intelligit curam quaerendi de ſtirpe Ieſu. Haud ſatis placet. Fabulas quidem Paullus vocat, & genealogias infinitas, inexplicabiles: quae & nobis ergo maneant inexplicabiles, potius, quam aut de Gnoſticorum ſomniis ſomniemus, nemini in mentem venturis hoc loco, niſi effundere aut intrudere geſtienti doctrinae copias alieno loco, & contorte interpretari, quae ſimplicius poſſit:

aut

aut etiam ad veteris Testamenti historias, vereor, vt satis pie, referamus. Quid enim attinet, velle omnia scire? aut, vbi nescias, aut probare nequeas, falsa aut incerta suggerere? Satis erat, Timotheo notas esse; cui notos & Hymenaeum atque Alexandrum vs. vlt. nobis non notat: *scienti* scribens, vt bene monet Theodoretus; & nobis satis sit, vnde moniti, ita abstineamus a contentionibus rerum leuiorum, aut inexplicabilium, aut ad summam rei non facientium, vt *summam* rem tamen teneamus, neque ad inutilia reiiciamus: quod non obscure multi nostrorum moliuntur in doctrina de Deo, de Christo: quae hic edisseri nil attinet. Causas autem subiicit cohortationi, huic primae: 1, quod ita consentaneum sit Christi doctrinae, vs. 10. 11. quam vocat salubrem doctrinam ὑγιαινόντων λόγων, & per se puram & sinceram, nullo commento humano, aut re leuiori contaminatam; & efficientem nostrae salutis: cui immiscere aliena, aut diuinitus traditis addi humana, vel repugnari Deo, aut quasi corrigi formulam eius, minime deceat, & vero periculosum sit, tum, quia Deo repugnet, tum, quia conditio relinquatur felicitatis tenendae, id est, salus ipsa prodatur. Vocat idem euangelium de maiestate beati Dei, eodem consilio, vt &, mutandi conatum nefarium esse, moneat &, beatos nos eo reddi, quia sit a Deo, ipso beato. Eius porro Apostolum sese, ministrum atque interpretem constitutum, laetus & gratus praedicat, v. 11—17. cum ma-

gna

gna asseueratione, vt exemplo sui sensus ostendat, quam sit carum, quam caute habendum: memor & memorans, qualis fuerit, ante quam illo bearetur, ignarus rei tam illustris, tam beatae, impius, vexator idem formulae saluberrimae, insectator: quod porro autem nunc sit exemplum diuinae misericordiae *primum*, id est, longe maximum atque luculentissimum, interpres doctrinae felicissimae, a se ignoratae, sprretae, conuitiis inceſſitae, vexatae. Quo sensu plenus, & elatus laetitia, summam ponit eius doctrinae, vs. 15. vocans doctrinam certam, summa assensione ac laetissima dignam, excipiendam cupide ac tenendam. Gratesque Deo agit, vt ab initio, vs. 12. ita in extremo, vs. 17. (vbi δὲ est pro γὰρ,) eo consilio omnia, vt monstret, quam diligenter tenenda sit ista doctrina. Cuius vtilitatem, vt per *magnitudinis* locum explicauit, ita nouo argumento commendant Timotheo, vs. 18. κατὰ τὰς προαγούσας ἐπί σε προφητείας, vt 4, 14. 1 Cor. 14. init. & suo modo 2 Pet. 1, 20. quae tibi iam ante, priori tempore, tradita sit: (2 Tim. 3, 15.) quam, scias, esse & veram, & illustrem, & salutarem: a qua desciscere, quam ab aliis, pati, vitiari, te sit plane indignum: & vero periculosum. Est ergo nouum argumentum: quod 2) iam diuinitus ista sit edoctus Timotheus: cui simul hoc inest, quod 3) iam in Veteri Testamento sit perscripta ista formula & sacrata, & legis, & euangelii. Cui adiungit argumento, quod 4) periculum ingens adierint

ne-

negligentes-istorum, vs. 15. Quorum & nominat duos, fidei faciundae, & ad euidentiam rei; qui, laesa conscientia & contaminata, vel cura eius in docendo neglecta, fidei quoque iacturam fecerint, immo in doctrina ipsa errarint. Magis enim videtur de doctrina ipsa hic esse sermo, quam de delictis, aut culpa commissa; tum, quia de doctrina hic vnice loquitur, e vs. 3. tum, quia dicit, eos castigandos esse, μὴ βλασφημεῖν, ne impie loquantur, i. e. doceant falsa & nocitura, Deo quoque indigna: nempe, fidem posse teneri, aut tenendam esse solam, neglecta pietate; quae duo diuelli ac dissociari non magis possunt aut debent, quam mens vel pectus & lingua vel eloquentia; quarum rerum discidium Socrati, scimus, grauiter improbatum ac reprehensum. Itaque ἀπωσάμενοι hic idem est, quod vs 6. ἀμελήσαντες· cum non vidissent, non tenuissent, rati ac docentes, fidem ac professionem teneri posse sine conscientiae cura; quo ipso violarint & euerterint summam doctrinae, cuius partes necessarias dirimendo, totam dissoluerint. Ergo ναυαγεῖν, naufragium facere, hic pertinet ad *errores* capitales: quas *ruinas*, (Epicuri,) alia imagine, vtut non absimili, nec minus apta, aut eleganti, Cicero vocat, id est labem & vitium graue formulae vniuersae, per quae stare non magis possit, quam ruinosa domus. Horum ergo errorum doctores & grauem iacturam fecisse, perhibet, & a sese eiectos esse coetu, forte & morborum incommodis diuinitus oppressos, do-

nec (vt) reſipiſcerent. Quod ne quis trahat ad violentiam errantibus inhibendam, obſtat, quod & *feciſſe* quoque impie intelligi iſti queunt, & diuinitus ac mirifice facta imitari datum nobis non eſt, quippe & vi, δυνάμει, & poteſtate, iure, ἐξουσίᾳ, deſtitutis idem patrandi, cum praeſertim, *Satanae tradere*, ſignificare hic poſſit (*poſſit*, dico, non, debeat,) eiicere coetu piorum: (ſecus ac 1 Cor. 5, vbi profecto poenae corporeae, ſimul certe, intelliguntur:) ita tamen, vt Satanas relinquatur, iis libere nociturus: Sic & Theodoretus iungit duo iſta, immo tria: vt 1) eiecti coetu piorum, 2) carerent (tum certe, vigente poteſtate mirifica: neque enim ad alia tempora trahi debet:) praeſidio Dei, & ſic 3) infeſtarentur morbis, aliisque incommodis. Satanae autem tradi, &, eſſe, notat, cui traderentur: & alium, cui traderentur, ſuggeri non poſſe. Hebraiſmum quidem hic merum comminiſci, vt nec *tradendi*, nec *Satanae*, vlla ratio habeatur, aut vis vlla conſtet, quid eſt, niſi, inanes verborum ſonos Paullo affingere? Nec vero vocabulum παιδεύειν ſoli exterminationi congruerit, cum *erudiendi* & in melius vertendi conſilium notet, non Satanae quidem, ſed Dei & apoſtoli, Satanae permittentium illos eo conſilio, quo & in Iobum Deus poteſtatem Satanae permiſit, alio longe animo, quam quo illam poteſtatem arripuit Satanas.

Ad alia iam conuerſus Paullus, iuncta tamen & cognata illis, & qua fidem profeſſionem-

que

que doctrinae, & qua amorem Dei & hominum, & qua conſcientiae puritatem, *preces* facere iubet, C. 2. Quae quidem, dubium non eſt, quin referantur, vt diximus, & ad fidem, vel doctrinae integritatem; quia vſ. 4. dicit, precandum eſſe ob eam cauſſam, quia ſit *vnus* Deus, *agnoſcendus* ergo ab omnibus & colendus, qui velit omnes ſaluos, *intelligendo vero*, id eſt, Chriſti formula amplectenda: quam ipſam ſubiicit vſ. ſequ. vnum eſſe Chriſtum, Dei & hominum reconciliatorem atque interpretem, ea conditione ergo agnoſcendum & tenendum: quo nomine & *grates* agendae ſint Deo: & ad conſcientiae puritatem, quae non conſtet, neglecto officio precandi tam ſancto, aut ingrate habitis muneribus Dei: & ad amorem Dei hominumque, cuius amoris ſignum habeant preces vel euidentiſſimum. *Ante omnia* ergo precari hortatur, quia nil boni teneatur ſine auxilio Dei & Chriſti, (1, 12—17.) nec vero id auxilium obtineatur ſine precibus & gratiarum actione; Pſ. 50. extr. Harum ergo precum, quarum hortator exoritur, primo diſcrimen facit: quod recte notari hoc loco, & ſic notari, vt προσευχὴ ſit adoratio Dei, δέησις, qua noſtra commoda, ἔντευξις qua aliorum, (nam εὐχαριστία nil habet obſcuri, quin oſtendit, varia precum genera, variam conditionem notari,) monuimus in Log. Paull. p. 16. & 399. Quo exemplo ibi inſtrui potuit, forte debuit, definitio per *partes*, de qua diximus ibi, p. 34. Recte autem ita notari hoc diſcrimen, &

notatio docet vocabulorum, & quod diſerte memorat triplicem illam precum materiam, adorationis, cum dicit: vnus *enim* (quae ſit *cauſſa* precandi,) eſt Deus, vnus interpres Dei & hominum, venerandus ergo cunctis: precationis pro nobis: vt viuamus tranquilli, modeſti: intercedendi & deprecandi pro aliis, cum ait: pro omnibus, nominatim ac praecipue (id enim hic eſt καὶ, vt Eph. 6, 18. 19.) pro regibus & principibus: gratiarum agendarum, cum memorat Dei benignitatem & Chriſti beneficium: cuius ſeſe interpretem factum, *gratus* praedicat, vſ. 6. 7. Ita accurate notato precum diſcrimine, non eſt dubium, quin *materiam* quoque notarit. Quod clarius etiam facit, (quando alioqui non ſatis fido diſcrimini ſynonymorum, ab ipſo promiſcue ſaepius poſitorum, ſed concedam vltro, quod ſentiam ipſe, haberi poſſe pro cumulatione & exergeſi:) clarius ergo ac certius vſ. 2. vt agamus pie & tranquille. Nimirum ſanctitas & tranquillitas ſummam habent noſtrae felicitatis. Nec minus vſ. 5. 6. vt Deum & Chriſtum cuncti agnoſcant, colant, atque ita ſint ſalui. Cum enim eam afferat cauſſam precandi pro aliis, (ea enim hic profecto eſt ἔντευξις, non, vt Theodoretus explicat, aduerſariorum incuſatio apud Deum, (qua profecto nil ſit alienius vel ab hoc loco, vel omnino a ſenſu Chriſtiano: neque ὑπὲρ, ſed κατὰ addi ſoleat, vbi *accuſare* notas ἐντυγχάνειν·) quod Deus ſit vnus, vnus interpret Chriſtus, quorum *hic* ſe deuouerit pro *omnibus*,

ille

ille velit, omnes ſeruari, idque agnita vera doctrina de Deo & Meſſia (vt Ioh. 17, 3. cuius precationis Chriſti velut compendium exhibet haec cohortatio Paulli:) quid aliud innuit, niſi, precandum eſſe illum Deum & Chriſtum, vt ſalutaria conſilia eius efficiantur, & in nobis, & in aliis? Quae ipſa eſt & δεήσεως materia & ἐντεύξεως. Gratiarum autem agendarum materiam ſilet, vt promtam. *Modum* idem precandi declarat hoc ipſo, cum variis appellationibus precum, tum materia varia; nam, qui ſciat, *quid* precetur, eum, *qui* precetur, haud fugiat: tum diſerte vſ. 8. praeſcribit precari 1) vbique, i. e. & publice, & priuatim, omni tempore, quauis occaſione, ſaepe, certis itidem temporibus, ne vnquam omitti, haec ipſa aſſuetudo temporum patiatur: 2) ſublatis manibus, i. e. non animo tantum, ſed & voce ac geſtu religioſo: ne ſuſpicio ſit, pudere eos precum: 3) pie & ſancte, vt velint placere Deo, nec conſulto illum offendere, quem precentur: hinc *manus* dicit ſanctas, factorum quoque & vitae ſanctitatem poſcens precaturos; Ieſ. 1, 15. Ioh. 4, 31. 4) absque iracundia, animo placabili, & amante eorum, pro quibus precentur. Qui enim precentur pro iis, quos oderint? Aut quomodo propitium ſperent & precibus aequum Deum, qui diſerte negauerit delicta ſe remiſſurum, ergo & preces auditurum eorum, qui recuſent aliis ignoſcere? (Matth. 6, 14. 15. 18, 38.) 5) absque dubitatione: non ſuſpenſo animo, aut fluctuante, an ſint ratae pre-

ces futurae: sed cum fiducia certa; cuius tamen conditionem caute suggerit demum puritati mentis ac vitae ac placabilitati, vt sine his locum haud habituram, cum his autem legitimam & ratam, ac necessariam plane, quia dubitandi diffidentia Deum a nostris precibus alienat: Iac. 1, 6. 7. Iam *caussas* subdit, immo intertexit, cohortationi: ita quidem, vt ipso initio ostendat, grauem esse rem ac necessariam; quia praemittit, vs. 1. *primum omnium*, ante omnia; quod ei maxime cordi sit res, quam prae reliquis commendatam cupiat, vt fundamentum omnium officiorum. Et quia de *publicis* sacris maxime loqui videtur, vt qui & omnino instituat Timotheum ecclesiae curatorem, quomodo sacra publica habeat, doctrinam, lectionem publicam, 4, 13. creationem episcoporum, presbyterorum, viduarum vel diaconissarum, C. 3, 5. & quomodo se gerat erga illos illasue, C. 5. & alia praecipiat, publicum spectantia Dei cultum, & 2, 9. sequ. *tacere* iubeat mulieres inter sacra publica: vnde & vs. 8. *in omni loco*, intelligi possit, in omnibus sacris locis & conuentibus: recte sane hanc primam & praecipuam commendat publici cultus partem. *Materia* quoque precum satis valeat ad cohortandum. Cui enim cordi non sit, tranquillam vitam & placidam agere sub principum moderamine? Id vero tum Christianis vtique erat expetendum, gnaris, quibus & quantis calamitatum periculis ac terroribus vrgerentur a paganis principibus, Nerone maxime, & prouinciarum praesidibus.

Aut

Aut cui Christiano optabile non sit, cum per se, tum quod Deus velit, seruari cunctos, veri cognitione salutari imbui, Christianos fieri, vel, quod per se sit egregium, vel, quod Deus velit, vel, quod sui similes fieri & esse alios, quisque cupiat? Vnde καλὸν vocat, pulchrum, decorum, vtile: cum per se, tum & apud Deum, illigatum, probatum; nam καλὸν etiam ab ἐνώπιον θεοῦ pendere potest. Addit Dei voluntatem, vs. 3. 4. aliud per se argumentum ac nouum: cui voluntati parere, & aequum sit, & salubre. Quid enim non salubre Deus velit? Vnde σωτῆρα illum vocat, &, velle, ait, vt salui sint omnes. Accedit Christi amor & opera, liberandis sua morte hominibus impensa, vs. 6. Quae ne sine fructu sit in hominibus, quis precari Christianus non pugnet? Aut, hoc insuper habere, quid sit, nisi, Dei consilia & voluntatem, Christi amorem, operam, mortem, vanam, leuem, insuperque habere? Nec minus *vnitatem* adhibet, & Dei, & Christi: proxime quidem & directo ad salutem omnium hominum: v. Log. Paull. p. 153. extr. quia *vnus* sit omnium Deus, quem agnoscere omnes debeant, qui omnes velit saluos: quia *vnus* sit reconciliator omnium Christus ad Deum, cuius mors pro omnibus valeat, omnibus ab vno destinata Deo, ab vno oblata Christo. Sed si materia precum, tam grauis, tam commendabilis, nititur vnitate Dei: profecto & ipsae preces ea nituntur, *vni* reddendae Deo. Adiicit & munus suum apostolicum, vs. 7. paganorum

quoque vſibus deſtinatum. Neque id affert ſine magna aſſeueratione: verum dico, in Chriſto, per Chriſtum: ita me Chriſtus amet ac iuuet: vel, vt Chriſtianus, vere ac pie; non mentior: diuerſum negat, quo grauius illud firmet. Cur autem addit? Nempe, vt appareat, quam ſit magna res, cuius cauſſa ad paganos ſit miſſus; quam ſibi ſit cordi, vt ratio & auxilium muneri ſuo conſtet.

Sed & *feminis* praecipit, vſ. 9. ſequ. *precari*: (quod ſupplere ego auſim vocabulo, ὡσαύτως, & ante κοσμεῖν intelligere καί, per aſyndeton; quod ſit aliud & nouum praeceptum:) Nam & feminae precabantur in ſacris publicis, 1 Cor. 11, 5. vbi & προφητεύειν, *docere*, dicuntur: aut domi certe, inter priuatos; quia ibi, (ad Cor.) tacere mulieres iubet, 14, 34. priuatim ergo, vt Priſcilla, Act. 18, 26. quin Hanna quodammodo ipſa, Luc. 2, 38. vtut in templo, non tamen inter ſacra, ſed per occaſionem, quaſi priuatam, colloquendi eum iis, qui, ſinguli pluresue, ſuo quisque vſu & conſilio, commearent ad templum, vbi illa ſemper verſaretur. Altera eſt praeceptio *cultus* & veſtitus *modeſti*, & inter ſacra & in aliis coetibus: argumento addito, quod ita deceat mulieres profeſſas pietatis ſtudium, non placere ſibi rebus externis & ad pompam compoſitis, ſed pudore & modeſtia commendari. Tertio loco *quietem* & modeſtiam praecipit, tum tacendi in ſacris, & abſtinendi celebritate publica diſputandi, vſ. 11—13. tum

pa-

parendi viris: cauſſa repetita e lapſu hominum, per mulierem inducto: qui non fuerit ſecuturus, ſi aut Eua paruiſſet Adamo, qui haud dubie ſaepius illam monuiſſet, vt caueret tangere fructum vetitum, aut Adamus illi non paruiſſet, ad veſcendum vocanti, quo ipſo ius omne, ſi quod fuerit tamen, amiſerint feminae, ipſo adimente Deo, immiſcendi ſeſe publicis rebus. Iam

Epiſcoporum & Presbyterorum, qui tum iidem eſſent, (neque enim ſeorſim his illisque praecipit,) ſpectationem diligentem commendat. Cui cohortationi pondus addit grauitate rei commendanda & inculcanda, per ſententiam, quaſi locum communem: Qui epiſcopatum appetit, ſane rei pulchrae imminet. Quae verba & *conformationem* habent oratoriam plane, 1) praemiſſae aſſeuerationis: verum hoc eſt, fide dignum, dubitatione caret; quo praemiſſo, curam excitet atque aduertat, vt aliquid magni denuntiaturus: 2) ſententiae, vel gnomes, & loci communis: 3) repetit, in vtroque membro vocabuli, non qua formam quidem, ſed qua ſenſum ὀρέγεται & ἐπιθυμεῖ. Sed & *vim* oratoriam, magnitudine rei & praeſtantia, vt diximus, inculcanda, quod attentionem curamque moueat, mentemque aduertat. Ita commendatae rei & ornatae *modum* praeſcribit virtutibus poſitis, quibus cenſeri, e quibus ſpectari, conueniat epiſcopum vel presbyterum: vitiis item, quibus illum vacare velit. Quae conſociata integros pla-

ne mores conficiant boni episcopi. Quem ille vult carere omnino omni reprehensione. Quod ille genus vel summam ponit, explicandam deinceps per partes & singula: Primo, vt sit monogamus, i. e. ne plures *simul* vxores habeat, neu aliam duxerit post repudium prioris. Vtrumque enim Deo improbatur: & vero in episcopo vel presbytero turpitudinem exempli & noxam habet maiorem: & quae porro memorat: de quibus moneri nil sane attinet. Mores quidem hominis sacra curaturi, dubium non est, quin ita hic describantur, vt neque omissum sit, quod requiri in eo possit, neque abesse ex positis vnum possit. Quorum vt *sine caussa* pleraque ponit, quia res ipsa loquitur: quid enim attinebat, causas ingeri, cur eum non deceret esse violentum, (πλήκτην, plagosum, rixosum,) ebriosum, lucro deditum, libidinosum, contraque castum, modestum, commodum, abstinentem? Ita *caussis* instruit, quae instrui opus sit: instruit, vt minus fortasse promta: tanquam, vt suam domum bene regat, vs. 4. Quod, ne quis quaerat, quid ad episcopum? instruit argumentatione a minori ad maius: quod si quis (vs. 5. δὲ est pro γαρ,) suam domum regere nequit: Dei coetum qui reget? Vbi & magnitudo vel ambitus rei vtriusque, domus & ecclesiae, & maior haud dubie cura & voluntas propriae familiae tuendae futura, quam illic, vim comparandi instruunt atque intendant. *Neophytum* deinde quod creari vetat, recens ad Christi sacra versum, caussam ad-

addit: ne, ſuperbia inflatus, cui materiam praebere poſſit, quod tam cito ſit creatus epiſcopus, veteribus quoque praelatus, quod non poſſit non interpretari iudicium magnae in ſe virtutis, incidat in iudicia maledicorum; neque enim, *diabolum* hic intelligi, neceſſe vtique eſt; maledicos intelligi, ſuffecerit, vt vſ. 11. & 5, 14. quorum reprehenſiones, non iniuſtas adeo, faſtu inflatus incurrat. Opus ſane erat, hoc moneri *cum cauſſa*; quia haud dubie & ambiebant iuuenes tale munus, & accipiebant, vt vigentiores, florentesque animo & corpore: aſpernantibus forte grandioribus natu, & ſe ſubtrahentibus oneri, cui promtam ſeſe offerret iuuenum ardor & confidentia. Laudari eundem & probari vult a paganis, vſ. 7. eadem de cauſſa, vt reprehenſiones vitentur maleuolorum, non habiturae locum in eo, in quo ne paganos quidem quidquam offendat.

Diaconos idem hortatur ad tenendas virtutes muneris ſui, vſ. 13. eo nomine, quod ſibi parent ac ſtruant *gradum honeſtum*, nempe ad epiſcopatum vel presbyteratum, cuius praerogatiuam haberet diaconatus bene tractatus; & alacritatem multam colligant in Chriſti profeſſione, cui tam fidelem operam publice nauarint: vnde & ius ipſis ſit etiam loquendi & agendi cum auctoritate pro rebus eccleſiae, cui operae fidem prudentiamque probarint. Neque enim aliam hic intelligi παῤῥησίαν, res ipſa & continuatio docet.

Bre-

Breuiores idem cohortationes ponit C. 4. manifesta *vtilitatis* ratione proposita. Vs. 8. pietatem exerceri iubet, veram, animi, morum, non externis meditationibus defungentem; quod parum prosit, πρὸς ὀλίγον, & ad res paucas, & ad exiguum tempus; cum pietas contra ad omnia sit *vtilis*; vt quae omnia salubriter regat, & ad vitam hancce simul & aeternam. Vs. 15. curare Timotheum iubet facultatem, & muneris auctoritatem; vtrumque enim hic notat χάρισμα, ex addita caussa: datum est tibi per prophetiam: i. e. (Deus te idoneum fecit muneri doctoris, δύναμιν tibi dedit; datum porro per manus impositas tibi a collegio presbyterorum, vt iam & ἐξουσίαν haberes potestatemque docendi. Neque enim facultatem ei dare poterat aut debebat hic ritus. Aliud sit 2 Tim. 1, 6. vbi ait, hoc χάρισμα esse in Timotheo per manus *a Paullo* impositas; nam, quibus *apostoli* manus imposuissent, illi accipiebant Spiritum S. Actor. 8, 16. 19, 6. Hoc ergo χάρισμα duplex, facultatis internae, iuris externi, negligi ab eo non vult, sed diligenter haberi & exerceri, magni idem duci, neque ad contemtum obiici; tum quod sit χάρισμα, beneficium Dei, signum fauoris diuini: tum, quod positum sit in re magna, facultate docendi res diuinas, & interpretandi Scripturam S. tum quod datum sit a collegio presbyterorum, graui & sancto. Aliam addit caussam, vs. 15. vt profectus eius in doctrina & prudentia, incrementum facultatis & pietatis, qua & alios vin-

cat,

cat (nam & hoc est in voc. προκόπτειν, vt Gal. 1, 14.) & semet ipsum in dies meliorem praestet, cognoscantur ἐν πᾶσι, in omni re & caussa & ab omnibus hominibus, quicum versetur: quod non possit non & dignationem illi circumdare, & fiduciam eius aliis augere. At longe potentissimum argumentum & acerrimum stimulum admouet vs. 16. summa ante collecta praeceptionis, vt se, mores suos & doctrinae puritatem attendat & probet: hoc si feceris, inquit, seruabis, saluum praestabis, & te, & qui te audient: tibi & illis eris minister & adiutor aeternae felicitatis; quod & tibi praemium auferas fidei, pietatis, professionis operaeque fidelis & exempli recti, & alios eo perducat salubritate doctrinae atque exempli. Quid validius ad cohortandum afferret felicitate aeterna & ipsius, & aliorum, quae & ipsa deberet ei esse cordi, cum amore incitante, tum, quod *per ipsum* conferet?

Cap. 5. breuiores addit cohortationes: cum vs. 1. presbyterum, si opus sit, admoneri a Timotheo iubet, vt patrem, id est, comiter, quasi verecunde, & precibus magis, quam obiurgatione. Quod egregie conuenit & nomini aetatique presbyterorum, *seniorum*, & vero Timothei annis iuuenilibus. Neque alia ratio est praecepti, quod sequitur, iuniores admoneri iubentis, vt fratres. Verbis quoque lectis, signanter plane, in summa breuitate, cohortatio lucet, *patrem* appellando seniorem, *fratrem* iuniorem,

ora-

orare illum παρακαλεῖν, hunc νουθετεῖν, *corrigere*, iubens. Nec minus

Grauis cohortatio, 6, 17. ſequ. diuites monet, non fidere opibus incertis. Vbi elegantiam ſingularem habet pro concreto abſtractum, πλούτῳ ἀδηλότητι, pro πλούτῳ ἀδήλῳ. Cauſſam ſimul habet, vno vocabulo comprehenſam; quia ſint incertae diuitiae; quo maior eſt vis abſtracti, ſtultitiam arguens fidentium & ſuperbientium (velut ipſa) fragilitate rei & lubricitate. Fidere contra ea cohortatur Deo, cui ea tribuit, quae cauſſam habeant fidendi; *viuum* enim apellat, i. e. a) verum, b) aeternum, c) efficacem per ſe ac potentem; quorum nil cadat in opes, nil valituras, ſi Deus renuerit: a quo, addit, ſuppeditari nobis omnia largiter, opulenter, ipſas diuitias, & aliá bona, fruenda, non iactanda, aut vnice amplectenda, ſed per quae Dei amor & fiducia nobis alatur. Virtutem idem coli ab iis iubet; cuius exercendae praecipuam materiam & inſtrumenta habeant ditiores: vnde eleganter addit, ad diuitias alludens, de quibus loquatur: *dites* eſſe, & ſeſe praebere benefactis, beneficiis, (quae & proprie ac praecipue dicuntur ἔργα καλὰ vel ἀγαθὰ, vt 5, 10. Matth. 26, 10. & ab opulentioribus maxime exſpectantur,) quae ſint ſolae verae diuitiae decorae habentibus, profuturae ipſis & aliis, Deo probatae, & ipſos aliosque fructu perpetuo beaturae. Quam opum imaginem, ac veluti translationem, perſequitur elegantiſſimo vocabulo ἀποθησαυρί-

ζον-

ζοντας, thesaurum cumulantes: quia de *diuitibus* loquitur, qui *thesauros* ament cumulare: quibus verum monstrat thesaurum, fundamentum praeclarum futuri, id est, spem & conditionem certam aeternae felicitatis: quam & diserte addit: vt potiantur vita aeterna. Nec non

Altera ad Timotheum cohortatur, ad constantiam maxime; tempori quidem data cohortatione, ac tum maxime necessaria, quia in *vinculis* tunc agebat Paullus, & ex vinculis illa scribebat, vt ad Ephesios. Quare hortatur, vt Ephesios, ita Timotheum suum, ne pudeat eum doctrinae Christi, cuius interpres in vinculis agat Paullus, neue ipsius doctoris Paulli, in vinculis nunc agentis, 1, 8. Ergo animum eius firmat primo memoranda & celebranda euangelii praestantia, 1, 9—11. cuius argumentum exponit: Deum esse salutis nostrae auctorem, & nos instruxisse beneficiis sanctissimis; id enim hic est καλεῖ, vt Rom. 9, 11. & 11, 29. Nam de conditione sanctae vitae & virtutis colendae sermo hic esse nequit; quia sequitur: non ex factis nostris, ob facta nostra, sed ob beneuolentiam suam & beneficium datum per Christum: (nisi verba haec tantum referuntur ad prius membrum τῦ σώσαντος ἡμᾶς, qui nos seruauit, felices praestitit: quod admittat mos Paulli, quasi per hyperbaton:) quod beneficium ab aeterno sit destinatum nobis, aduentu autem Christi patefactum, qui mortem aboleuerit, spe proposita redeundi in vitam & beatae immortalitatis, quam

doctrina patefecerit & firmarit ſua: non promittendo tantum, ſed & parando & acquirendo; quod ipſum Chriſti opus eſt ſumma euangelii. Huic ergo doctrinae, a Deo profectae, patefactae, firmatae, tam ſanctae, tam felici, iubet Timotheum συγκακοπαθῆν, *cum ipſa* doctrina perferre mala, i. e. eius cauſſa, ob ipſum euangelium, quod ſimul ipſum vexetur, vexandis eius doctoribus, qui non niſi ob illam doctrinam vexentur. Quid ergo illuſtrius, quam cum Dei cauſſa, ob Dei cauſſam vexari, atque ea perpeti, quae ipſe vt ſibi illata Deus, Chriſtus, interpretetur? (Act. 9, 15.) Hinc ne ſeſe pudere, demonſtrat, talium incommodorum vſ. 12. ſcire enim ſe, *cui fidat*: vſ. 13. Hoc pronomen Emphaſin habet: *cui* fidat, quam ſapienti, quam veraci, quam potenti, quam fido, quam benigno: Chriſto denique: quem, ſcio, inquit, ſeruaturum meam παραθήκην, i. e. quod ipſe me docuerit, quod ego te aliosque eius auctoritate docuerim. Hoc enim notat hic παραθήκη, vt vſ. 14. παραχαταθήκη· & clariſſime 1 Tim. 1, 18. Act. 17, 3. Eam ergo doctrinam ſeruabit Chriſtus, vt inuiolata maneat, neque aut dubitationibus, aut vexationibus, labefactetur mihi aut aliis: vsque ad illum diem, vbi plane illuſtretur veritas eius, & praemium capiant, qui nulla dubitatione, nullo terrore, nullis illecebris, auerti ſeſe paſſi fuerint ab ea probanda, profitenda, defendenda, ſequenda. Quo etiam pertinet, quod 2, 9. cum eleganti antanaclaſi ponit: *Vinctus* ſum ego: at

do-

doctrina diuina non est (ideo) *vincta*: id est: nihilo secius a me aliisque proditur, (Phil. 1, 18.) & vim suam exserit, nullis vexationibus aut vinculis compescendam; quia Deum habet auctorem; Act. 5, 39. Quod nouum argumentum suae alacritatis habebat Paullus; cui adde, eodem loco, amorem in pios, & studium iuuandae illorum felicitatis. Ita & alacritatem suam profitetur atque constantiam, & caussas eius ac firmamenta affert, satis idonea, fidei faciundae: Christum auctorem, conseruatorem, adiutorem, remuneratorem: & Timotheum ad idem faciendum vocat, rei magnitudine atque fide, & exemplo suo, tantae caussarum firmitati innixo & dato; vs. 13. 14. formula praescripta, vt fidem seruet, professionem doctrinae, & amorem Dei hominumque, in Christo, ex formula doctrinae a Christo traditae. *Modum* idem auxiliumque seruandi suggerit: per Spiritum S. in nobis habitantem: cui neque ipsi, nec fidentibus auxilio eius, quidquam difficile sit. Aliorum idem e *diuerso* exemplis pugnat, Hermogenis aliorumque, qui, commodis terrestribus inuitati, defecerint & ab ipso, & a Christi professione: quorum ne similis esse velit, neque augere dolorem Paulli sua defectione, Timotheum monet ac rogat, sed vt sua constantia soletur atque erigat: e *simili* quoque aliorum exemplo, fidorum ac promtorum, vs. 16—18. Quo & alia pertinent vtriusque loci exempla, allata & reddita 4, 14. sequ. Ita porro Timotheum excitat C. 2. vt mili-

tem Christi, vs. 3. Quis autem non placeat sibi, gaudeat, fidat, pugnet fortiter, tali duce? Hanc persequitur imaginem comparatione & exemplo militantium ac decertantium, qui libenter & constanter tolerent incommoda & pericula, victoriae, praemiorum, gloriae gratia; quorum nemo implicetur illecebris huius vitae, qui quidem recte ac feliciter militare velit, probarique suo duci, qui ipsum militem scripserit; quod multo minus Timotheum facere conueniat, tali duce tantarumque rerum certamine ac praemio. Haec argumentatio & a simili valet, & a minori ad maius procedit: plane vt altera, huic veluti cognata; qua, coronari quemquam, negat, nisi rite ac legitime functum certamine: quod & similiter, & multo magis, spectare Timotheum deceat, praemio proposito & maiori, & certiori. Quod praemium commonstrat vs. 12. & *magnum*: si cum Christo morimur, qua prauitatem, illecebras, incommoda, vitam ipsam terrestrem: etiam cum illo viuemus: si nunc toleramus cum eo mala, etiam cum illo regnabimus, omnia vincemus, nil timebimus, olim summa dignitate ac solida laetitia tuti ac securi perfruemur: & vero *certum* idem, ex fide Dei prorsus immutabili, qui a se discedere nequeat, aut quidquam facere se indignum aut virtutibus suis alienum: homines, licet, defecerint ab eius doctrina, cultu, professione, ipse tamen seruaturus fidem suam, nec frangi imminuiue passurus doctrinae fidem aut a se promissorum: quorum

fide

fide labefieri nequeat hominum diffidentia aut perfidia, per se quidem, aut qua eos, qui illis promissis incubuerint; nam defectores & timidi semet ipsi arcent copia promissae felicitatis: cuius tamen firmitatem adeo non mutent, vt ipsis proposita maneat, si resipuerint: 2, 25. 26. Eandem firmitatem rei ponit vs. 19. fundamentum Dei vocans, i. e. formulam summam, caput doctrinae a Deo proditae, fide nixam diuina: quae amorem Dei, id enim ibi sign. ἔγνω, vt Ps. 1. extr. & Hos. 2, 22. 1. Cor. 16, 18. & εἰδέναι, 1. Thess. 5, 12. amorem ergo Dei & praesidium ac beneficia eius, promittat fisis Deo, & iubeat omnem prauitatem cauere Christum professos. Hanc σφραγῖδα vocat, firmamentum, argumentum, quasi inscriptum & incisum illi formulae fundamento. Nam sigilla sunt literata, & denuntiant aliquid, aut per figuras, vt inter Graecos & Romanos, aut per literas, ut apud Iudaeos. Vnde σφραγὶς & *titulum* notare potest, lapidi impositum; non sine *fidei* tamen notione & conditione: quae vis est signandi, i. e. & declarandi, vel significandi, & firmandi: quorum vtrumque est in hoc vocabulo Rom. 4, 11. Sed & comparatione vtitur, vs. 20. 21. vasorum, vel supellectilis in domo magna: quam hic ecclesiam intelligit. Quorum vasorum vt alia habeant vsum honestum, alia inhonestum, certe minus honestum; (comparate enim intelligi potest, an forte hic debet, *dedecus*, ἀτιμία, qua honestiora vasa: vt *odisse*, Rom. 9, 13. Luc. 14,

28. coll. Matth. 10, 37.) non destinatione vtique, sed vel maxime naturae suae conditione; quod hic maxime tenendum est: ne aut, destinatos a Deo ad malum homines, fingamus, aut sequentia negligamus, vt quae ostendant, posse hominem *semet* eximere numero viliorum vasorum, & fieri, quasi semet efficere (τῇ προαιρέσει, voluntate, vt praebeat sese Deo,) σκεῦος εἰς τιμήν, rebus magnis, honestis aptum, sacrum Deo, consiliis & velut visibus eius aptum, ad optima quaeque promtum, facultate & studio. Quae manifesta est ratio vtilitatis, huc referenda. Eandem rationem inculcat. c. 3. denuntiando diuinitus pericula imminentia sacrae doctrinae a peruersis hominibus. Quas quidem ita notat, vt partim ipso periculo Timotheum excitet, vt tam pestiferis diligenter fortiterque resistat: quod & C. 4. eodem modo repetit: partim fiducia erigat, vs. 9. fore, dicens, vt pateat illa dementia, modo rite & constanter illis obsistant veri & probi doctores, vt fecerit Moses in Magis Aegyptiis: quod & Timotheum facere vult, (vnde appareat, *vltima* tempora, vs. 1. iam tum fuisse:) memorem, quam fideliter adhuc fuerit secutus, imitatus & amplexus Paulli doctrinam, institutionem, & quasi educationem ac disciplinam, (ἀγωγήν,) animum promtum (πρόθεσιν,) patientiam, reliqua, monet ergo, ne desciscat a semet ipse, nec magis deficiat animo, quam deficere videat ipsum, quem sit adhuc secutus. Hanc singularem suam & Timothei causam ac

pro-

propriam firmat loco communi, luculenter sane atque oratorie, vs. 12. omnibus hoc esse propositum, qui ad formulam Christi pie agere velint: καὶ πάντες δὲ, subiicit (δὲ hic est γὰρ, vel, *omnino, adeo*, quomodo Liuius ac Cicero solent a proprietate ad vniuersam caussam excurrere:) velut admonitus suo & Timothei exemplo: mirum hoc in me non est, neque in te erit: omnium enim eadem caussa est, par conditio. Quorsum hoc? Primo, ne mirum Timotheo videatur, aut nouum accidat; (cf. 1 Pet. 5, 9.) quia & praedictum fuerit a Christo, & vsu firmatum: ipsa rei natura ita ferente; quod Christi formula aduersetur prauis iudiciis, sensibus, studiis ac moribus Iudaeorum ac paganorum: 1 Cor. 1, 23. Gal. 6, 12. 1 Pet. 4, 4. partim, vt sentiat, dignam rem esse, cuius caussa vel vexari sustineat, sapientiam, pietatem, virtutem Deo probatam *in Christo*, ad Christi formulam, exemplum, cultum, sed & praemia ab illo auferenda. Cuius formulae fidem atque auctoritatem firmat Timotheo, vs. 14. rel. scis, inquit, a *quo* didiceris ista, quae teneri a te velim; a *me* quippe didicisti, Christi apostolo, cui certo sit persuasum de fide eius doctrinae, qui ipse illi antea restiterim tam accerbus atque infensus, 1 Tim. 1, 13. qui nunc idem vincula quoque & calamitates sustineam eius caussa: cui fidem habere te, conueniat, cuius constantiam imitari. Sed maior adest caussa, ipsae literae sacrae; (Veteris formulae, quae tunc sola exstaret scripta;) quibus su-

perſtructa ſit doctrina de Chriſto, e qua ipſe hauſerit & legem diuinam, & fidem Chriſto habendam, & fiduciam in eo reponendam, comparando praedictiones & figuras cum euentu rei. Hanc ergo ſcripturam illi commendat 1) ab ipſius Timothei notitia & vſu, inde a pueris collecto, quo ita imbutus eſſe debeat, vt ab eius auctoritate nunquam diſcedat: 2) ab vtilitate, quod eum poſſit ſapientem reddere per fidem, vel doctrinam Chriſti agnitam & probatam, & per cultum eius, ad felicitatem aeternam conſequendam: 3) ab auctoritate & originis diuinitate, quam vniuerſae addit vſ. 16. vt apparet e conſilio cohortantis ad eius vſum: praeter quod conſilium aliud hic quaerere, vt diuina ſcripta ab humanis diſtinguantur, aut vere diuinorum librorum ſigna ponantur, nil aliud eſſe videtur, niſi, onerare tenorem conſilio, cuius nulla hic ratio ſit, mentio nulla fiat. Vbi enim id aut hic agit apoſtolus proxime, aut in illa epiſtola, aut omnino, vt caueri moneat a libris pſeudepigraphis ac ſubditis, aut verorum ſigna ponat? Ne de *nouis* quidem libris, qui tum proferrentur, quidquam tale monet: nedum de Veteri Teſtamento, de quo hic vnice ſermonem eſſe, vſ. 15. doceat: cui aut additos temere libros, aut demtos, vbi tandem ſuſpicionem Chriſtus aut apoſtoli vel leuiſſimam commouerunt? Aut qui ſit nexus verborum, ita intellectorum, cum prioribus, in quibus demonſtret, fidere ſe Timotheo, quia ex pueris legerit ac teneat ſacram ſcriptu-

ram:

ram: cui vniuersae inſit ac tribuatur vis ſalutaris. Quibus verbis deinde haec ſubiicit, quae non poſſint non continere, quo priora illuſtrentur ac firmentur. Vtilitatem ergo explicat vniuerſae ſcripturae, per ſingulas partes, vt antea omnino, ad quasnam res vtilis ſit illa πᾶσα γραφὴ, quae antea vocaſſet ἱερὰ γράμματα. Hic de criteriis cogitare librorum vere diuinorum, difficile ſane ſit, vt leuiſſime dicam. Etenim Theodoretus, qui ad partes vocatur, Paullum, ait, vti διορισμῷ, diſtinctione ab libris humanis, nempe paganorum philoſophorum, qui non poſſint praeſtare talia, aut afferre iſtam vtilitatem: neque id agit, vt canonicos libros a falſo iactatis atque vſurpatis ſecerni, interpretetur: cuius rei ne mentio quidem vlla ibi Theodoreto eſt ad h. l. At idem auctor, in Dial. de Trinit. (T. V. p. 1021. edit. Hal.) ita vtitur hoc loco, vt eodem, quo nos, modo haec verba interpretetur: Querere, ait, cum Paullo, ſcribente, πάσας γραφὰς eſſe θεοπνεύστους manifeſto reſpiciens hunc locum. Nec tamen ſibi non conſtat Theod. Neque enim quidquam aliud vult in Comment. ad h. l. niſi, ſcripturam S. vniuerſam ideo valere ad illa, quae ſubiecerit Paullus, quia non ſit humana ſed diuina. Sane enim videri poſſit Theod. habere vocab. θεοπνεῦστος non pro attributo, vel praedicato, in quo ſuppleatur, ἐστὶ, ſed pro vocabulo διορισικῷ vel epitheto neceſſario, quod iungatur vocabulo γραφῆς, cui ſubiecto ita circumſcripto, vel vocabulis ita iunctis, ſub-

ſubiiciatur & addatur praedicatum ὠφέλιμος, ad quod deinde ſolum referatur, ſupplenda copula, ἐστί. Sed, vt dixi, librorum vere diuinorum, canonicorum, a ſpuriis ſegregandorum ratio hic eſt Theodoreto nulla, & contexto hic reſpuente, & pluribus, ſi eſſet, explicaturo: vtut alieno loco, quia contextus repugnet. Maneat ergo argumentum Paulli, commendantis ſcripturam Veteris Teſtamenti *omnem* a diuinitate: commendantis autem ea conditione, qua confidat conſtantiae Timothei in tuenda doctrina, quam non a Paullo tantum hauſerit, etſi neque id leue erat, ſed ex ſcriptura ſacra, tam ſalubri atque diuina. Ita reddit cauſſas fiduciae ſuae, cur exiſtimet, firmam & ratam fore. Quo nomine pertinet ad alium locum, *probabilitatis*, vel credibilitatis, proximo capite attingendum.

Cap. ſequ. eum hortatur ad perſeuerantiam tuendae doctrinae, 1) ex neceſſitate temporum & conditione hominum, quorum peruerſitati ac libidini partim ſit reſiſtendum, partim medendum: vſ. 1—5. de quorum *moribus* alio loco; hic *vtilitatis* tantum ratio habeatur. Tueri autem ſalubritatem doctrinae, tanto magis opus eſt, quanto plures, quanto enixius & callidius ab ea auertere, promtiusque auerti geſtiant ac ſoleant. Sed longe validiſſimum, velut in ſubſidiis, locat in extremo, boni ducis modo firmans extremam aciem, quod intime ſane Timotheum moneat, idque dupliciter: quod ipſe iam Paullus ex hac vita ſit abiturus: vſ. 6—8. Se quidem,

dem, ait, iam libari, σπένδεσθαι, iam ſenſim quaſi *carpi*, & morti aptari, vt victimas, quarum caedi velut omen & praerogatiuam tum faceret libatio, ac praecluderet: carpi ergo, ſenſim mori, non per vulnera modo, fatigationes & iactationes, aliaque incommoda, quae propinquam mortem & certam intentent, denuntient, moliantur; ſed maxime; quod iam in vinculis agat, id eſt, in praeſenti mortis periculo, ex damnatione, quae conſequi poſſit, praeſertim ſub principe iniuſto & crudeli: quae mors etiam cito conſecuta eſt alteram Paulli captiuitatem. Sed hanc mortem adeo non horret Paullus, vt, gratam quoque, felicem atque exoptatam accidere ſibi, ſignificet, tum compellatione laeta, *libationis*, qua Deo plane ſacretur gratus, & ἀναλύσεως, abitus, velut e deuerſorio in patriam, vel ſedem, ex peregrinatione optatam: tum vero aperta ſignificatione rerum laetiſſimarum, fidei ad extremum ſeruatae, curſus peracti, praemii exſpectandi: coronam vocat, quia *curſum* dixerat. Quid optabilius autem curſori certaminum, quam coronari, finito certaminis diſcrimine ac labore? Hoc & *magnum* praemium innuit, coronam vocans, quae apud Graecos imaginem haberet rei laetae atque honorificae; non terreſtrem tamen illam, leuem aut vanam, ſed *iuſtitiae*; i. e. ſanctitati, fidei, virtuti promiſſam, non leui operae ac friuolae, qualis erat illorum certaminum, aut illius curſus, ſed vtili, praeclarae, ſalutari, Deo probatae, (promiſſam quoque a

Deo, fide eius nixam, a benignitate profectam & sperandam; nam & haec est vis vocab. δικαιοσύνης, ex Ebr.) Ex qua praestantia fidei virtutisque, praemii quoque praestantia colligatur. *Certam* eandem coronam praemii ponit, quia a Christo promissa exspectetur, aequo iudice & benigno. Quorsum haec? Primo, vt, iam decedens, veluti successorem relinquat Timotheum, quem pro se substituat, cui partes suas delegat, vt iam securus decedat, gnarus, quam dignum, quam peritum, quam fidum, quam sui denique similem relinquat: cui tamen & munera & pericula commonstret prouinciae a se adhuc tractatae, iam relinquendae: plane vt in Murena Cicero, se facere, profitetur, successore consulatus sui, eorum more, qui, cum iam ex alto in portum subuehantur, egressuris demonstrent pericula opportunitatesque maritimi cursus. Deinde id agit, vt ostendat, eandem felicitatem Timotheo esse propositam, quam sibi, si eodem modo, quo ipse, fidem seruarit, cursumque absoluerit. Quo consilio addit: nec *mihi* modo, nempe coronam imponet Christus, sed & *omnibus*, qui auidi eum laetique exspectent, eoque animo sese adhibeant, vt possint laeti exspectare: & tibi ergo, ait, Timothee, si perseueraris, me imitatus.

Titum quoque in Epistola ad eum data varie hortatur, & in eandem sententiam, qua Timotheum: ad tuendam doctrinae sinceritatem: quod fieri opus sit ob peruersitatem Cretensium,

inter

inter quos agat: quam firmat testimonio poetae, ipsorum popularis: ad constituendos & spectandos episcopos, quibus officia sua commendat grauissimo argumento, 1, 7. vt Dei oeconomis, in ecclesia: vt meminerint, &, cui domino pareant, & in quantae rei cura versentur; (neque enim leuia esse possint a Deo mandata:) &, quam grauem sint rationem reddituri. Iam Iudaeorum confutandorum necessitatem imponit vs. 11. ex damno, quod inferant domibus vniuersis, illorum errore turbatis. Vbi ostendit magnitudinem damni ex re ipsa, *euerti* ab iis, dicens, domus totas, & ambitu mali, ad multos pertinentis, *totas domos* dicens: tum ex turpitudine eorum, vt lucri turpis studio edentium tanta mala. Nec minus muliebris virtutis graue argumentum ponit vs. 5. ne Dei doctrina obiiciatur conuiciis & maledictis: quo committendo non possint non & grauiter nocere aliis, quos auertant a salubritate formulae, offensos flagitiis: vitae Christianorum. Cui argumento e diuerso respondet, quod ad omnia cuiusuis ordinis officia cohortatur ea conditione, vt *ornent* doctrinam Christi, eique decori sint per omnia, in omni parte morum: vs. 10. Quo quid illustrius, vt ex hominum moribus ipsi Deo quasi decus accedat? Quid autem salubrius, quam, exemplo vocare alios ad sequendam formulam felicitatis aeternae? Quid denique laetius, quam, scire & videre, te & gratum esse Deo, ei probari, & aliis esse causſam felicitatis verae atque aeternae?

Hoc

Hoc tam graue argumentum dimittere tam cito non potest; immo validius ei insistit atque immoratur, vrget atque adigit vehementius, consilio addito, cur omnino in terras venerit Christus, diuinumque fauorem, cunctis felicem, & restituerit & significarit: nempe, vt, ab omni prauitate liberati, qua culpam & poenam (ea enim vis est vocabuli λυτρώσηται, vel ex 1 Tim. 2, 6. Matth. 20, 28.) etiam induerent sensus moresque sanctos, tanto amore Dei & beneficio dignos, eique gratos. Hanc Dei χάριν appellat, indulgentiam, beniuolentiam, cuius documentum longe maximum, euidentissimum, laetissimum dederit misso in terras Christo: vnde nimirum colligat Paullus, & nos colligere doceat; 1) nil velle Deum tam beniuolum, nisi, quod nobis sit *vtile*: ergo & officia, quae illi debeamus, esse vtilia, & promte tenenda: 2) gratiam deberi a nobis tantae benignitati: quam gratiam non alia re exhibeamus meliorem, certiorem, efficaciorem, Deo acceptiorem, quam seruandis iis, quae effici a nobis velit. *Salutarem* eandem vocat, datam saluti hominum, destinatam, consulentem: vt & aequum sit, & vtile, parere Deo tam beniuolo. Omnibus hominibus, addit, (qui datiuus pendet vel a voc. σωτήριος, vel ab ἐπεφάνη, immo ab vtroque;) quippe omnes homines, omnis loci atque ordinis cohortatus & porro cohortaturus ad omnia omnis generis officia. Hac ergo indulgentia Dei & beniuolentia, demonstrat, nos (omnes) παιδεύεσθαι, institui, eru-

erudiri, moneri, impelli: ipso vocabulo ostendente salubritatem atque vtilitatem & rei, & consilii. Quid ergo monet? Vtilem vero rem & salubrem: vt, depositā impietate, omni sensu ac more, qui, Dei immemor, eum negligat, ei displiceat, eoque non possit non grauiter nocere: eum, quia offendat Deum: quo facto nil sit periculosius: tum, quia, quod Deo displiceat, vtile esse aut salutare nequeat, & studiis rerum terrestrium, hominum, huic tantum vitae seruientibus & addictis, eoque & indecoris hominii, ad immortalitatem nato, & inutilibus ad felicitatem perpetuam & perfectam, atque adeo nocituris passo sese auocari per illa a cura & studio coelestis felicitatis, his ergo depositis atque oppressis, vt re turpi ac pestifera, viuamus caste, pure, sancte, pie, id est, salubriter nobis aliisque, placituri Deo: qui non sit passurus, frustra se coli, sed largissima praemia olim sit daturus sui cultoribus. Addit, *in hac vita:* quod dupliciter intelligi potest: aut, inter homines huius aeui, corruptos, prauos, impios, rerum terrestrium studiis addictos; quod, vtut difficile, in tanta multitudine, prouocatione ac sollicitatione, insectatione, odio & contemtu secus sentientium ac viuentium, decorum sit tamen, paucitate ipsa illustrius, (Phil. 2, 15.) gratiusque Deo: aut, in hac vita, dum hic agimus: quod longum non sit futurum, sed finem cito habiturum: quo tam breui cursu peracto, maneat nos & affulgeat nobis laetissima conditio; cuius interim

terim ſpe firmari liceat: quam proponit vt. 13. plena vtilitatis commendatione, *beatam* vocans; ſpe enim nunc beati agimus: Rom. 8, 24. 25. & vero beatus iam nunc eſt, qui certo ſciat, propoſitam ſibi eſſe felicitatem perfectam atque aeternam; cuius ſpe laetus atque erectus, quiduis facile perpetiatur in tanta curriculi breuitate. Hanc ſpem nos iubet ἀπεκδέχεσθαι, cupide amplecti ac tenere; aut, ſi reddideris hoc verbum, *exſpectare*, *ſpes* erit pro re ſperata, ſperandi materia, vt 1 Cor. 9, 10. ἐλπίδος μετέχειν, potiri re ſperata. Hanc ſpei materiam vocat ἐπιφάνειαν, aduentum Dei & ſeruatoris Chriſti, nempe ad iudicium & praemia piis officii cultoribus tribuenda. In illa altera explicatione καὶ habet hic vim explicandi, vt *ſpes* ſit ipſe ille Chriſti aduentus ſaluaris. Aut eſt Hendiadys: nempe, ſi *ſpes* proprie ſonet: ſpem & aduentum, i. e. ſpem aduentus, vt Rom. 1, 5. χάριν καὶ ἀποστολήν, pro χάριτα, vel χάριν ἀποστολῆς. v. Gloſſ. Phil. S. edit. Dath. p. 126, 127. Vel, ſi ἐπιφάνεια notet *primum* aduentum Chriſti in terras, poſſis ita reddere: amplexi teneamus ſpem felicem ac laetam, quam Deus & ſeruator noſter, Chriſtus, aduentu ſuo nobis oſtenderit & firmarit. Vtcumque fuerit: ſummae *vtilitatis* ratio conſtiterit, a Chriſto & per Chriſtum exſpectandae: cuius amorem porro exponit: ſemet dediſſe pro nobis. Quo quid maius poterat? Aut quid non reddamus Deo ſemet pro nobis offerenti? At quo conſilio ſeſe obtulit

mor-

morti? Vt nos liberaret ab omni prauitate. Et huic non ſeruiemus? Aut Dei conſilium deſtituemus, ruentis in mortem pro nobis praeſertim tanta peſte & labe nos liberaturi, ſibi mancipaturi, optima quaeque peragendi ſtudioſos? Quod, per ſe praeclarum, Deo dari, tantoque eius in nos amori, multo magis conueniat.

Ad Philemonem Epiſtola interim ſeponatur, ad *Commendationes* reiicienda, quibus proprium, huius quidem Capitis, locum ſeruamus, paullo poſt reddituri.

Ad Ebraeos Epiſtola, etſi dogmatica eſt tota fere, & in *Magnitudinis* loco verſatur, vel *Demonſtratiuo* genere, in quo notauimus, quae viderentur notanda: conditionem tamen & cauſſam habet vere cohortatoriam. Nam quo conſilio demonſtrat magnitudinem Chriſti, qua perſonam, qua munus? Nempe, vt ad fidei conſtantiam cohorteur Ebraeos. Quod & ſatis aperte facit, conſiliumque nudat, primo interpoſitis cohortationibus mediae diſputationi dogmaticae, more ſuo, per parentheſin: vt 2, 1—4. quae parentheſis ſcindit & interrumpit comparationem Chriſti cum angelis, quam inſtitutam C. 1. vſ. 4. perſecutus ad 1, 14. manifeſto repetit 2, 5. ab inſerta parentheſi, vt plenus & ablatus magnitudine rei, quam ſtatim, non diſputando ſolum, ſed & cohortando, Ebraeis commendet, ſalubremque oſtendat. Adhortatur autem & vocat ad obſeruantiam fidemque doctrinae Chriſti reddendam: quam exprimit vocabu-

lo

lo προσέχειν, attendendi: quod non *attentionem* ſolam ſignificet, quippe non ſuffecturam ad cauendum periculum τῆς παραρρύησαι, quod addit, excidendi beneficio Dei: ſed fidem notat, tenendique & ſequendi curam, ſtudium, amorem, ſenſum rei deditum atque addictum: vt 1 Tim. 3, 8. οἴνῳ προσέχοντας, vino deditos: & ibid. 1, 4. προσέχειν μύθοις, vacare, ſtudere, curam fidemque adhibere fabulis, nugis, ſed & *attentum* rei, vel ad rem, Terentio in Adelph. extr. & omnino Latinis dicitur ſtudioſus rei familiaris tuendae. Cauſſas addit cohortationi: διὰ τοῦτο, ideo, per ea, quae dixi dicturusque ſum, quae oſtendant magnitudinem perſonae & muneris Chriſti: quae & per ſe digna ſit omni cura & ſtudio, vt res magna & ſumma, & conſilium Dei loquatur magnum, dignum tali apparatu, tali miniſtro: & periculum ingens afferat negligentibus tantae rei, tanto interprete geſtae. Hoc periculum *magnum* eſſe, docet iam vocabulo παραρρύησαι, quaſi, ne praeterfluamus, excidamus, auferamur, vt nauis ad portum tendens, vento, aut magiſtri inſcitia vel incuria, reiicitur in altum, nec portum videt: miſerum ſatis, cum tam prope teneret portum: quod & illis accidet, qui omiſerint doctrinam Chriſti propoſitam & oblatam, etiam apprehenſam ſpem ſalutis omiſerint negligenter, aut conſulto repudiarint. *Certum* idem hoc diſcrimen oſtendit per argumentum a minori ad maius: ſi doctrina per angelos prodita, i. e. lex Moſaica, rata

fuit,

fuit, angelorum interuentu & miniſterio promulgata, Gal. 3, 19. qui tamen angeli tanto ſint inferiores Chriſto, ut Cap. 1. oſtenſum eſt: ſi nullum delictum contra illam legem commiſſum poena vacauit: quid nobis, inquit, fiet, negligentibus talem ſalutem, i. e. formulam felicitatis aeternae ac ſolidae, tam praeclaram, tanto interprete propoſitam? Cuius magnitudinem porro illuſtrat: proponi coepta ab ipſo Deo & Domino Chriſto, ad nos prodita eſt, ipſo Deo illam firmante miraculis variis & magnis, quin Spiritus S. muneribus. Quae omnia quid loquuntur, niſi, rem 1) eſſe certam, firmam, indubitatam: 2) eſſe magnam & grauem: 3) cordi eſſe Deo, tot & tanta eius cauſſa molito, filio ipſo interprete miſſo: 4) ſummum periculum imminere leuiter habentibus aut proterue repudiantibus rem tantam, tam certam, ita a Deo commendatam & a magnitudine & a fide? Eadem perſequitur, a 3, 6. ad 4, 11. aucta & firmata & Davidis verbis, & Iſraëlitarum exemplo. Primo breuiter ponit cohortationem cauſſae iunctam, 3, 6. Nos ſumus, inquit, domus Dei & Chriſti: i. e. Deus, Chriſtus, eſt in nobis, ſalubriter ac benigne, decorat nos & tuetur fauore & auxilio ſuo, omnia bona tribuit nobis, mala cuncta arcet, ſi quidem firmiter, ad mortem vsque, tenuerimus alacritatem & laetitiam ſpei, per Chriſtum propoſitae; (id enim hic eſt καύχημα, vt Rom. 5, 2.3. καυχώμεθα, καυχώμενοι, laetamur, exultamus,) neque a Chriſto defece-

rimus. Inuerſa haec cohortatio eſt, cauſſa praemiſſa, inuitamento atque incitamento propoſito: vt ſimus Dei templum; re ipſa autem, ad quam cohortatio vocet, conditionis loco adiecta: quaſi dicat: teneamus formulam Chriſti, *vt* ſimus, vel, *quia* tunc efficiemur, erimus, manebimus templum eius, ornati, tuti, felices, laeti eius praeſentia, cura, efficientia. Iam Dauidis, immo Spiritus S. admonitionem ſubiicit: Hodie, nunc, cum auditis Dei vocem, quoties auditis, quoties haec formula vobis proponitur, nolite illi opponere animos obſtinatos, quominus eam aut attendatis, aut percipiatis, aut fidem ei habeatis, aut pareatis. In Ebraico textu, Pſ. 95. verba, *cum* (vel, *ſi*) auditis vocem eius, pertinent ad verba, quae ibi praecedunt, vſ. 7. hic omiſſa Paullo: ille eſt Deus noſter; nos ſumus populus ſubiectus & fidens imperio eius & curae, grex & coetus ſub poteſtate eius, ductu, praeſidio agens, hodie, cum auditis vel, ſi audieritis, vocem eius. Tali nexu & tenore, hic ſenſus exiſtat: ſi parebitis Deo: habebitis eum & experiemini praeſidem, propitium & benignum. Quod Paulli verbis congruat, vſ. 6. cuius domus nos ſumus, ſi tenebimus formulam ab eo propoſitam. Et ab accentuum quidem & verſuum interpunctione recedere cunctanti, (quod hodie quidem minus moueat, cum & minor ſit accentuum antiquitas reperta, quam vulgo haberetur ac ferretur, & vtilitas ad interpungendum nulla, admodum, cum & ſine illis conſtet ſenſus,

&

& ſaepe contra illos in Pſalmis ſit agnoſcendus, & plurimi Codices careant illis, & LXX. certe vſi illis non ſint: cunctanti ergo tamen agnoſcenda ſane ſit in Ebraicis illa continuatio; qua tamen, dubium non eſt, quin commodior ſit haec, quam praeferre LXX. Int. videantur, per quos tamen integrum ſit, vtrouis referre: Paullo certe firmata, vnde appareat, LXX. viralem ità tunc fuiſſe interpunctam & intellectam; non tamen, vt cenſeatur ideo Paullus ſeparaſſe iſta in Ebraicis quoque, ſed adhibuiſſe tantum *& ipſa cum* ſequentibus: quod longe aliud ſit, quam *iungere:* cum praeſertim & colon poni liceat poſt σκληρύνητε· vt tantum vltima verba verſus prioris ſimul allata intelligantur, vt apta conſilio Paulli, incumbentis maxime vocabulo *hodie*, & vocabulo σκληρύνειν, *obſirmare*, peruicacem exhibere animum: vnde vtroque membro vteretur. Nam & in Ebraico, etſi, per diſtinctionem Maſorethicam, ad priora pertinent, tamen & in ſequentibus, nolite obſirmare animos, repeti poſſunt, atque etiam debent. Ad quid enim obſirmare animos vetabantur? Nempe ad vocem, quam tum audirent. Et aptius ſane ſequentibus nectantur, in Ebraico quoque, cum ipſum per ſe tenorem ſpectanti, molliorem & commodiorem referenti ad verba: nolite vos praebere peruicaces, quam ad illa: nos ſumus populus Dei: quod minus praeſertim cohaereat cum addito, *hodie*; cur enim *hodie*, non ſemper? Nam etſi illud *hodie* Paullo explicatur tempus continuum, 3, 13.

4, 7. tamen refertur ad aliquid, quod fiat *in illo* tempore, nempe, vt audiant, vel, cum audiant vocem Dei: & altero tamen loco, 4, 7. explicatur *finitum* tempus, *certum*, rei datum: ὁρίζει ἡμέραν, eique πάλιν, denuo: quae dies nil aliud eſt, niſi opportunitas, εὐκαιρία, καιρὸς εὐπρόσδεκτος, noui Teſtamenti, 2 Cor. 6, 2. quod, etſi pergit & procedit, tamen, vt ad Corinthios, 2 Cor. 6, 2. ita & hic ad Hebraeos, *refertur*, ad aliquos, ad aliquid, quod in eo fiat, quod non ſit negligendum, ſed amplectendum, vt ratio conſtet illius *hodie*, temporis dati, obſeruandi, *in quo* aliquid fiat & offeratur. Nec vero Paulli argumentatio ſatis conſtet, niſi verba, σήμερον, rel. referantur ad verba, μὴ σκληρ. rel. Nam & ita iuncta ponit vſ. 7. & rurſus vſ. 15. & 4, 7. & ex illo σήμερον, nunc rurſus dato & procedente, 3, 13. ita argumentatur, vt illo σήμερον vti moneat ad vitandam peruicaciam. Quare forte & in Ebraico liceat ſeiungere a prioribus illa verba, iungere ſequentibus: tanto quidem magis, quod Paullus ait, allaturus illa verba: ſicut dicit Spiritus S. Ergo non ponit modo verba Dei ipſius, & ſenſum conſiliumque verborum. Sed & explicat, vrget: & aptior, vt dixi, eſt iſte tenor. Etiam Theodoretus, in Comment. ad Pſ. 95. ita ponit & explicat illa verba, vt non prioribus iungat: nos ſumus populus eius, ſed ſequentibus, μὴ σκληρύνητε vt hic Paullus. Cuius ibi interpretatione non vſus Theodoretus, ſignum reliquit haud leue, ita diſtin-

ſtinctum fuiſſe & in LXX virali, quam ante oculos haberet, & ipſi aliisque ſic intellecta. Nam & in Graecis, niſi Paullus obſtet interpres, per ſe liberum ſit, quia interpunctione carent veteres libri, vel prioribus, vel ſequentibus, continuare: vt illa verba *per quadraginta annos*, in Ebr. pertinent ad ſequentia, quae LXX. & Paullus reddunt, προσώχθισα, אקוט, offenſus ſum, moleſtiam taediumque exhauſi: quae verba, (40 annos,) Paullus hic refert ad priora: viderunt opera mea: praemiſſa etiam particula διὸ, *ideo*, verbo προσώχθισα· quam particulam non habet Theodoretus ad illum Pſalmum: vt hic quoque libere trahantur vtrouis, niſi hic particulam addidiſſet Paullus: qui tamen rurſus vſ. 17. 40. annos iungit vocabulo προσοχθίζειν· re non impediente, immo iubente, vtroque intelligi ἀπὸ κοινοῦ, vt in medio poſitum; nam & viderant Dei facta per 40 annos, & per 40 annos moleſti Deo fuerant. Ergo & in illis verbis, vtroque trahi σήμερον, res & tenor non permittit modo, ſed & iubet. Sed tamen, vt dixi, etiam in Ebr. vt intacta maneat diſtinctio, verba illa: nolite vos obſirmare, tamen etiam a prioribus pendent: cum additis vocem eius: intellecta nempe particula, *igitur*, quare: quia auditis vocem eius, immo, ſecundum Ebraica, *ſi*, vel *cum* auditis, in iſto tempore, quo audiatis vocem eius, ſi audieritis, ſi parueritis illi: nempe, tunc eſtis populus Dei: tum, ita, vos probatis, vos illum eſſe; quare nolite, rel. Sed po-

tior ſit Paullus interpres diſtinctione Maſorethica! Etſi nil opus, cum & Ebraica, vt diſtinguuntur, eodem in re ipſa redeant. Nam & *hodie* memoratur, & *vox* Dei, & prohibetur peruicacia. Ita allatis ſcripturae verbis, monet Paullus, vſ. 12. rel. ne imitentur exemplum peruicaciae, immo defectionis, Iudaeorum in deſerto: id enim hic notat ἀπιστία· tum, quod alloquitur *nunc* credentes, tum, quod explicat, ἐν τῷ ἀποστῆναι, vt *deficiatis*. Ad conſtantiam ergo cohortatur, metu territos, ne, culpa ſimili, exitum culpae ſimilem inueniant. *Similitudinis* ergo ratione pugnat: quam porro perſequitur C. 4. init. qua *quietem Dei*, id eſt, ſedem certam quietam, perpetuam, felicem, a Deo paratam, deſtinatam, patefactam & monſtratam, promiſſam, oblatam, vt Iudaeis in Palaeſtina, ita Chriſtianis in coelo: cuius etiam figuram ſuſtineat Palaeſtina, non per ſe modo, ſed & ex conſilio & interpretatione Spiritus S. Quod clarum eſt ex Paulli collatione. Culpam enim comparauerat Cap. priori extremo, perſecutus interrogando, quinam tum offendiſſent Deum, quinam ei moleſti fuiſſent? Nempe peruicaces, defectores, ἀπειθήσαντες, fidem Deo non habentes, qua, fore, crederent, vt Palaeſtinam ſalui ingrederentur: eosdem ergo non vidiſſe terram illam propter illam dubitationem, ἀπιστίαν· qua ipſa ſimiliter Deum offendant, qui dubitarint de Chriſto, aut ab eo agnito defecerint. Vnde inſtat 4, 2. coll. 4. nobis promiſſa eſt quies in coelo

lo per Christum, vt illis in Palaestina: sed enim neque illi ea potiti sunt, quia non crediderunt Deo, se potituros ea; nec magis nos potiemur, nisi Christo fisi. Prima ergo similitudinis conditio est in delicto & poenae, altera beneficii & promissi, quae illis esset Palaestina, nobis sit vita coelestis. Cuius conditionem elicit Paullus, acute sane ac diuinitus, e *tempore*, quo Dauides repetat ista verba: non ingredientur in sedem a me destinatam. Quod cum Dauides dixerit eo tempore, quo iam illos Iosua collocasset in illa quieta sede Palaestinae; vs. 8. negat, in illa Dauidica cohortatione ad Iudaeos sermonem esse posse de terra, in qua iam agerent per tantum tempus, quam ergo iam essent ingressi; sed aliam intelligi oportere, qua nondum potiti, excidere etiam nunc possint: coelestem nempe quietem, aeternam, qua ipse fruatur Deus, felix per omnia, consiliorum effector & compos; non, quo vere quiescat Deus; sed, vt ostendat, quid nos apud ipsum maneat, iter huius vitae emensos, vt Iudaeos ex deserto, vel perfecto opere, quod mandarit Deus, vt ipse absoluerit opus suum. Dei ergo quies intelligitur, a) qua fruatur ipse Deus, felix, & proposiți per omnia compos, vs. 4. b) quam Iudaeis olim in Palaestina, Christianis in coelo, destinarit; vs. 9. 10. & ex ipsis Psalmi verbis. Nam, etsi proprie a sese dandam & destinatam intelligit Deus in istis verbis: tamen, ex conditione pronominis possessiui, illa aeterna quies, ad quam denuo vocat Ps. 95.

quam Paullus hic vrget, etiam, quaſi paſſiue, intelligitur ea, qua fruatur ipſe Deus, & nos olim in coelo ſecum frui ſit iuſſurus: quod intelligitur e vſ. 4. & 10. Nec vero, niſi & hac, veluti paſſiua, quiete intellecta, locum habeat dubitatio, vſ. 3. mota: cum tamen opera *eius* ab *initio* rerum ſint effecta: id eſt, eum iam dudum iis peractis, dudum quaſi quieſcat Deus, ſecundum verba Moſis, vſ. 4. tamen non loquitur de *ſua* quiete, velut futura, nondum praeſenti, quae tamen iam adſit, abſoluto opere mundi efficiendi: relinquitur, ait Paullus, aliam relinqui quietem, qua ne excidant, moneantur in illo Pſalmo: tanto magis, quod plurimi illorum non ſint potiti illa quiete, nempe ob peruicaciam, quae ipſa haud dubie obſtiterit, quominus potirentur, plerique certe, illa aeterna quiete, quae hic maxime intelligatur in illis Pſalmi verbis; quia iam exierit illa conditio terreſtris quietis capeſſendae: in qua cum illos Ioſua collocáſſet, tamen de *alia*, noua, futura, hic loquatur Deus: vnde appareat, non illam Palaeſtinae ſedem, ſed aliam coeleſtem, intelligi, ad quam per Dauidem diuinitus vocemur: qui cum monet, ne faciamus, quod Iudaei in deſerto, quos Deus ideo noluerit & vetuerit ac prohibuerit illa quiete potiri, ſane oſtendit, & nobis propoſitam eſſe quietem: quae cum eſſe in Palaeſtina illa non poſſit, qua non potiti, iam potiri non poſſent, & qui potiti vterentur, mouendi non eſſent, vt potirentur: aliam vtique intelligit: nempe aeternam, coeleſtem, in qua cum Deo, ſicut Deus, quieſcamus

a perfecto opere. Haec est illa argumentatio Paulli, qua nil considerατius, nil subtilius dixeris: qua efficiat, quod huc maxime pertineat: vocari nos per Christum ad veram requiem & felicitatem in coelo, solidam atque æternam. Quam vt fide & constantia teneamus, hortatur ratione *vtilitatis & summae;* Quies enim habet & vacationem omnis incommodi ac timoris, & copiam omnis commodi gaudiique; & *exoptatae;* quis enim quietem non optet, qua praesertim Deus ipse fruatur, & solida, & felici, & vero decora, si *Dei* est quies; & *certae*, quia Deus offerat, hortando, vt eum expetamus & capessamus: non hortaturus, ni dare velit; tum, quia Christus, verus Iosua, eam pepererit; nam ad constantiam Christi sequendi hortatur, inde a C. 3. init. eo nomine, ea conditione, vt potiamur illa vera quiete, ergo per Christum, ob Christum exspectanda, nec sine illo tenenda aut speranda.

Eandem cohortationem constantiae malorum & incommodorum ob Christum perferendorum adhibet 6, 12. rel. firmatam Abrahami exemplo, qui exspectando, μακροθυμήσας, tulerit rem a Deo promissam: non magis nimirum ablaturus, quam Iudaei, nisi ad extremum Deo esset confisus: & ipsorum Ebraeorum sensu & exemplo adhuc probato, vs. 10. & benignitate Dei, hoc certo remuneraturi, vs. 15. & fide eiusdem, vt Abrahamo, ita & nobis, iureiurando obstricta, vs. 15. Neque enim Abrahamo soli,

verum & nobis, datum iusiurandum, patet e vſ. 18. vbi ait: vt *nos*, Chriſtiani ergo, haberemus conſolationem firmam per res duas, in quibus fieri nequeat, vt Deus fallat: nempe promiſſum, & iusiurandum: & ex re ipſa, iam propoſita 5, 10. quam porro explicandam proponit, 6, 20. & explicat C. 7. & iureiurando firmatam, grauiter monet, 6, 16. 17. 7, 20. 28. nempe Chriſti ſacerdotium verum, perfectum, aeternum, ſalutare.

Plenius tamen in cohortationes effunditur, abſoluta diſputatione dogmatica, inde a C. 10, 19. ſequ. Eas cohortationes ſuperſtruit doctrinae, adhuc propoſitae & firmatae, de Ieſu, tali ſacerdote, de via ſalutis ab eo quaſi initiata, (ἡνέωε καίνισεν,) & patefacta. Hinc repetit officia, cohortandi ſeſe mutuo, qua oratione, qua exemplo, vſ. 24. celebrandi ſacra publica, & obeundi conuentus ſacrorum cauſſa ἐπισυναγωγῆς, non negligendi. De his enim intelligere malim, ob vocab. ἔθος, vt *conſuetudo*, mos eſt quibusdam, quod ſit minime aptum defectioni a profeſſione Chriſtiana, nec diuerſo, παρακαλοῦντες. Cauſſas autem ſubiicit cohortationi, 1) appropinquantem *diem*: vel excidii Hieroſolymorum, vel, quod magis placet, iudicii extremi, vel mortis ipſorum, vel calamitatum perpetiendarum. *Notum* tempus & manifeſtum rei *certae* eſſe oportet, quod appetere dicat Paullus; quia dicit, βλέπετε, *videtis*, appropinquare diem: quod in extremum iudicium haud ſane

cadat

cadat: quod, vt *putarent* imminere, haud *scirent*, tamen, multo minus *viderent*, id est, e certis signis praenuntiis colligere possent. De Hierosolymorum excidio melius procedat, qui & ipse *aduentus* Christi dicitur, i. e. opus efficientiae eius, & maiestatis diuinae ac Messianae illustratio: cuius rei iam tum sub Nerone velut omnia mouerentur, quorum non ita multo post & euentus erupit. Qua de re & Epist. 2. ad Thessal. & eodem tempore Petrus Ep. 2. ad eosdem Ebraeos, ita loquuntur, Christi exemplo, Matth. 24. Luc. 21. vt, per Dilogiam rei, de vtroque euentu, vt Psalmi complures & Iesaias de Christo, rerum aliarum occasione, iunctim & mixtim loquantur, & de vrbis excidio, & de rerum fine. Mihi tamen placeat, nisi de Iudaeorum clade, intelligi vel de morte cuiusque, vel de calamitatibus & vexationibus, quae tum imminerent Christianis: de quibus & ipse loquitur, 1 Cor. 7. extr. & Petrus, ἐπισκοπῆς ἡμέραν vocans, 1 Pet. 2, 12. & clarissime 4, 17. Nam eo ipso consilio & Petrus, & Paullus ipse, ad Ebraeos scripsere, vt eorum fidem constantiamque munirent contra imminentes calamitates: pro consilio nil manifestius vtraque Epistola loquatur. Magna ergo & hic *vtilitatis* ratio ostenditur, vt muniantur & corroborentur ad alacritatem & constantiam incommodorum perferendorum, & certo imminentium, & salubri consilio & fructu, Ebr. 12, 5 — 11. vt deinde videbimus. Quare haec prima ratio est. Altera ex poenae terrore duci-

ducitur, manentis voluntarios defectores: vſ. 26 — 31. de qua loquemur, vbi ad dehortationes ventum fuerit. Tertio propius huc pertinet ab ipſorum Ebraeorum exemplo, & quaſi analogia, vſ. 32 — 34. vbi meminiſſe vult eos, nempe, cum fructu & efficientia, quae iam pertulerint Chriſti cauſſa, partim ipſi, partim in aliis, ipſo maxime Paullo; a qua firmitate deſciſcere illos, futurum ſit & turpe, & vero periculoſum; qui praeſertim oſtenderint, ſe *poſſe* talia perpeti; vt etiam *voluntatis* culpa appareat. Quarto loco vtilitatem aperte memorat conſtantiae, vſ. 35. rel. qua *opus* eos habere, dicat, quippe ſine illa non laturos beneficia a Deo promiſſa; quae firmos & conſtantes certo maneant: vtrumque firmans Dei ipſius verbis, vſ. 38. &, fide felicem fore pium, &, defectorem Deo non placiturum, ergo nec beatum fore: quorum non hoc, ſed illud, dignum eſſe Ebraeis & conſilio Dei, concinna ſane antitheſi monet: non eſſe illos (oportere,) defectores ad perniciem, ſed fidos ad ſalutem: nempe, quales adhuc ſeſe praebuerint, & ex Dei conſilio ac praeſcripto, eſſe *debeant*, & auxilio eius poſſint.

Iam *fidei* quae deſcriptio ſequitur, C. 11. breuiter collecta vſ. 1. & exemplis deinde illuſtrata, eſt illa quidem per ſe dogmatica, ſed tamen cohortandi conſilio data, vt e Cap. 12. apparet. Nam oſtendere vult, fidem eſſe a) vnice gratam Deo: quod diſerte ponit vſ. 2. 6. b) efficacem: quod, qui ab ea commendentur in ſacris libris,

tot

tot ac tanta, tam difficilia, tam ſalutaria, effecerint: qua de re iam diximus ad h. l. in Cap. de Gen. Demonſtr. quaedam etiam reddituri forte in *Magnitudinis* loco: c) teneri poſſe, neque eſſe τῶν ἀδυνάτων· quippe cuius vis ex tot ac tantis exemplis appareat: d) iisdem in rebus verſatam apud veteres, in quibus eam verſari apud nos oporteat. Hoc & ipſum a Paullo ſpectatum, patet exemplo mundi a Deo effecti; quod fide ſola, diuino teſtimonio nixa & fiſa, amplecti & nos debeamus, vt non viſum nobis, neque aſſequendum, niſi fide, ea nempe, quam vniuerſe in ſumma definitione ponit Paullus vſ. 1. & exemplis illuſtrat, quorum varietas inſit in materia *rei* per fidem ſuſceptae, conſenſio autem in fiducia diuino teſtimonio nixa: quam fiduciam non ipſa, ſed materia eius, ſalutarem & ſalutis ac felicitatis aeternae conciliatricem reddat, non ipſa per ſe, ſed res & materia, quam teneat, ſatisfactio Chriſti, ſalutaris per ſe, ſed non tenenda ſine fide, vt quae ſola ſit conditio potiundi beneficio oblato. Abelis exemplum addit, cuius cultus non niſi ob fidem placuerit Deo, ex qua pietatis laudem tulerit: quod & nobis, dubium non eſt, quin proponatur, ſeu vniuerſam, ſeu ſalutarem, ſeu vtramque Abelis fidem intelligamus. Nam & in Abele Meſſianam fidem placuiſſe praecipue Deo, vel ex eo patet, quod per eam ſacrificium eius probatum Deo dicatur. Quam autem fidem exhiberet in ſacrificio, niſi eam, quae videret & amplecteretur conſilium

Dei

Dei instituentis illum ritum, per se inanem, quin absurdum, (Ps. 50. Ebr. 10, 4. multo magis in eucharisticis sacrificiis; quid enim alienius a sana ratione, quam, ex munere vel dono dato aliquam particulam decerptam & abscissam comburere gratiae significandae caussa? nec dum valiturum aut pertinentem ad alia consilia, quae in populo deinde Iudaico accessisse dicantur, & concedi possint; sed non inanem ex Dei iussu & consilio repraesentandi sacrificium Messiae, vt rem futuram, non nisi auctore Deo noscendam, fide, eo auctore nixa, tenendam. Nec vero Enochi exemplum minus ad nos vel alios pertinet; quippe quibus non minus propositum sit, quam illi, vs. 6. vt credamus, esse Deum, & felices reddere sui cultores; Immo summa haec est vniuersae religionis ac pietatis solidae. Sed inprimis e patriarcharum exemplo patet, vs. 16—18. quaerentium sedem patriamque coelestem, minusne propositam nobis, minus sperandam aut quaerendam? 13, 14. Phil. 3, 20. Mosis item parentum exemplo, vs. 23. non timentium regis edictum, iram aut poenam, quominus recte facerent. Sic neque a Christianis timeri vult paganorum, quin & Iudaeorum, principum ac praesidum interdicta, Ioh. 9, 22. 16, 1. Act. 4, 18—20. furores ac vexationes atque supplicia, quominus Christum colant atque profiteantur, aut quidquam faciant alienum a cultoribus eius. Ipsius deinde Mosis, vs. 24—26. Neque enim minus nostrum est, repudiare & recusare tempo-

poraria commoda prauitatis ac defectionis, nec duci illecebris, quae nos auertant a professione & cultu Christi. Quippe haec futura erat & Mosis ἁμαρτία, non vt felix & honoratus ageret; quod illi per se liceret; sed, vt a Deo deficeret, iussis eius non obtemperaret, vocantis ad Israëlitas ex Aegypto ducendos, molestiarum & periculorum metu absterritus, Deoque diffisus, affuturo &, affuturum sese, pollicito, & non obediens iubenti facere & confidere. Et haec ipsa est ἁμαρτία, 3, 12. 10, 20. perfidiae, defectionis, ignauiae, diffidentiae, a qua Ebraeos auocare studeat Paullus, Christianosque omnes: quorum omnium sit, vt Mosis tum erat, incommoda pati cum populo Dei, exemplo & commodo aliorum piorum, vt & ipsi sint pars felix populi Deo fidi & sacri, & praeferre opibus terrenis contumeliam *Christi*, id est, sustinendam exemplo Christi, in cultu & professione eius, ob illum, & fiducia eius: Quam Christi contumeliam & Mosi susceptam, ait, vt qui sciret, diuinitus edoctus, quid facturus & passurus esset Christus, quem sciret esse illum Iehouam, quo duce Israëlitas esset educturus, Exod. 23, 20. 21. 1 Cor. 10, 4. 9. & mercedem praemiumque respicere, nostrum est, non terreste, quod nec Moses viderit aut exspectarit, aut ceperit, quippe non ingressus ipse Palaestinam, sed aeternum. Nec vero reliquis alia proposita erant, quos memorat vs. 35. sequ. mala passos ob Dei cultum, spe firmante felicitatis per Christum partae: quam

quam ſecutos illos, pateat e vſ. 39. a quo tamen effectam ἀπολύτρωσιν non viderint, liberationem culpae & poenae. Quam enim aliam exſpectarent, aut omnino expeterent? Aut quae alia inſecuta eſt poſt Chriſtum natum? Aut quid aliud ſit, niſi *parta* per Chriſtum impunitas & felicitas, non *monſtrata* tantum aut firmata docendo? Nam hoc quidem & ante Chriſtum natum fiebat a prophetis. Ergo illi amplexi ſunt, ſpe, fide, non viſam liberationem, quae tamen ad ipſos non minus pertineret, & vt ſalutaris, & vt promiſſa & exſpectata atque exoptata. Quod & nos facere oporteat, non modo non minus, ſed & multo magis, cum illud κρεῖττον, vſ. 40. i. e. ipſe Chriſti aduentus, promiſſorum exitus, nobis ex propinquo & praeſenti amplectendus, in Noui Teſtamenti tempus ſit dilatus, ne illi ſine nobis, i. e. nos pariter cum ipſis, copiam haberemus aeternae felicitatis, per fidem; id enim hic eſt, τελειωθῶσι· vt facilius & promtius fidem habituri rei praeſenti, redditae, luculentius illuſtratae: quae profecto non minus pertineret ad nos, quam ad illos. Ita apparet, &, quam diſerte atque appoſite exemplis vtatur Paullus, &, quo conſilio: non docendi tantum, ſed *cohortandi* quoque; quod huc faciat. Hac ergo velut cohorte inſtructam quaſi aciem cohortationis admouet Ebraeis, omnibusque adeo Chriſtianis, C. 12. *nubem* appellans, i. e. confertam multitudinem, denſam cateruam, nos inumbrantem atque ambientem amplexu. Ita Homer. Iliad.

Iliad. 16, 66. κυάνεον τρώων νέφος ἀμφιβαβηκα Νηυσίν. Et 17, 755. auium (ſturnorum & graculorum) νέφος ἔρχεται. Hos ergo, inquit, cum ante oculos habeamus, omni cunctatione & tarditate depoſita, quam depellant & excutiant tot exempla, & pudore incuſſo, ne deteriores inueniamur, qui idem & debeamus, & poſſimus, & alacritate iniecta, vt idem efficere valituris, quod illi effecerint: Iac. 5, 17. 18. Sed ecce! his omnibus exemplis, veluti copiis, quibus expugnet omnem ignauiam, aut ſubſidium atque firmamentum longe validiſſimum, ſufficit, aut quaſi ducem imponit, ipſum Chriſtum, Dei filium, quem intuentes imitari maxime, vt principem, iubeat. Quomodo ergo tractat huius exemplum? Diſerte ſane! Primo appellat fidei noſtrae auctorem & remuneratorem; id enim commode ſane hic notet τελειωτὴς, & perfectorem, conſeruatorem, qui ad finem ſeruet ac perducat: Phil. 1, 6. doctrinae & profeſſionis auctorem, materiam, ſummam: vel, conſtantiae ac fiduciae ducem, cum doctrina propoſita, quam nos amplecteremur, quae fiduciam & poſcat, & firmet: tum exemplo, quod hic maxime ſpectat, vt inter exempla agens; praemiis quoque a ſe promiſſis: 2 Tim. 4, 7. 3. ſed & τελειωτὴν, qui ad finem, ad exitum perducat fiducia, ſeruet, firmet, beet, ornet, remuneretur. Quantum momenti atque incitamenti iam haec appellatio habet! Sed & rem ipſam perſequitur: Cum propoſitum, inquit, ei gaudium eſſet. Hoc dupliciter intelligi ſolet: aliis ita: cum poſſet frui gau-

dio ſolido & perpetuo, nempe, ſi aut homo factus non eſſet, aut incommoda, dolores, contumelias, mortem paſſus non eſſet: Quippe & homo factus, aiunt, meliori conditione agere potuit, ſi vellet, ac ſuperſedere malis, vt & viueret lautius & commodius, & contumeliis vacaret: quippe quas aut vindicare & compeſcere poſſet, exhibendo Deum: Phil. 2, 9. aut, ſi mortem obire vtique vellet, molliori tamen & minus ignominioſa defungi poſſet. Et tamen, ſpretis hiſce omnibus, crucem pertulit, id eſt, mortem & dolore, & ignominia plenam: Vnde addit: ignominia ſpreta. Grauiſſima ſane illa ſit argumentatio & longe validiſſima. Quid enim? Si ille Dei filius, Deus ipſe, cum poſſet ſummo gaudio frui, maluit tamen, ſua ſponte, noſtra cauſſa, nemine cogente, ſubire ac perferre tot ac tanta incommoda, dolores, contumelias, mortem adeo acerbam & contumelioſam: quid nos facere conuenit, meros homines, tenues, deprauatos, nil boni commeritos, ad obediendum Deo obſtrictos, nobis ſalutaria ablaturos? Vnum obſtare videatur huic interpretationi: quod nec Scriptura S. ſignificet, nec natura rei aut conditio, cur homo factus ſit Chriſtus, patiatur, liberum, & quaſi incertum, fuiſſe Chriſto, qua Chriſto, ſubiretne iſta incommoda, an lucraretur: cum ea conditione factus ſit homo, vt mala & mortem pateretur pro nobis, neque homo plane futurus fuerit, niſi hoc vellet, Matth. 26, 53. 54. Ioh. 12, 27. Luc. 24, 46. Ebr. 2, 9. Quare

cum

cum aliis intelligas: pro laetitia ei propoſita, i. e. vt eam aſſequeretur, ea potiretur. Quanam ergo? Partim maieſtate & felicitate diuina: Phil. 2, 10. Ebr. 2, 9. partim, vt Theodoretus explicat, digne ſane Chriſto, ſalute hominum & felicitate aeterna. Et vtrumque ſimul, & vtrumuis, per ſe, intelligi licet. Vtramque interpretationem illam τοῦ ἀντὶ iungere & conflare videtur Theodoretus. Nam, cum ait, poterat enim Chriſtus & non pati: priorem illam videtur amplecti; ſed & alteram, cum ſubiicit, ſed *pro*, (ὑπὲρ, quod explicando ſubſtituit τῷ ἀντὶ,) pro illo gaudio, eius gaudii cauſſa, vt illo potiretur, mortem ſuſtinuit: gaudium autem ſeruatoris, ait, eſt hominum ſalus. Et haec altera ratio validam argumentationem affert, exemplo Chriſti, poſiti tanto gaudio, tanta felicitate poſt mortem, poſt incommoda. Sane validior ſit prior illa ratio, niſi obſtet, quod diximus: Quod hactenus tamen componas, quoad liberum fuerit Chriſto, non fieri homini, neque in humana natura & conditione ſentire incommoda. Coactus certe ne vt homo quidem ſubiit quidquam, ſed libere: Ioh. 10, 18. Aptior eadem illa ratio fuerit particulae ἀντὶ, quae non tam conſilium, aut impellentem cauſſam notet, quam permutationem, & rei addatur, pro qua, id eſt, cuius loco, vice, qua ſepoſita, quae omiſſa, aliud complectare. Et cum in mercedis vel praemii cauſſa & conditione adhibetur, non tam de mercede aut praemio, quod *pro re* detur, quam de re vel opera dica-

dicatur, *pro qua* detur: quo altero ſenſu περὶ, vel ὑπὲρ, aut ἐπὶ maxime ſolcat adhiberi. Vtrumque apparet ex Gen. 29, 18. δουλεύσιοσοι, inquit Iacobus, περὶ τῆς Ῥαχήλ, pro Rahele; quam mihi reddas operae mercedem: ſic & vſ. 20. & vſ. 25. non operam tibi praeſtiti περὶ Ῥαχήλ at vſ. 27. dabo tibi illam ἀντὶ τῆς ἐργασίας, pro opera; mercedem operae. Etſi & ἀντὶ, μισθοῦ dicitur, & ſubaudiendum eſt ἀντὶ, vel ἕνεκα, vbi μισθοῦ ſimpliciter additur verbo operae: vt Virgil. ponit pro, Georg. 4, 150. *pro* qua mercede — — regem — *pauere.* Nec tamen dignum ſatis arbitror maieſtate Chriſti, vt pro mercede gaudii & felicitatis, qua potiretur, aut quaſi pactus a patre & ſtipulatus, ſubiiſſe dicatur, quae ſubierit. Quidquid tamen praetuleris: Chriſti exemplum inſtar omnium proponitur, & porro explicatur. Reputate, inquit, & comparate cum veſtra conditione illum Dei filium, qui talem concertationem, ἀντιλογίαν, pugnam, conuitia, probra, ſeditionem, vt Num. 20, 13. rel. (v. Biel. Theſ. Phil. h. voc.) tulerit ab impiis. Quot verba, dixeris, tot aculei! Ille Chriſtus, Dei filius, Deus, omnium rerum dominus, ipſa & ſumma ſapientia, ille ergo paſſus eſt, tulit, non vindicauit, contra ſe diſputari, reprehendi, erroris, ſtultitiae, impietatis, furoris, argui ac damnari, quae diceret aut faceret, ſe conuitiis peti, impium, furioſum, daemoniacum increpari, apud homines, ſibi ſubiectos, ſuum opus, quos ipſe condidiſſet, ſeruaret, reum agi, caedi,

pu-

pulsari, ad mortem rapi: idque ab impiis, stultis, insanis homunculis. Quid nobis patiendum non sit, tali auctore? Aut quis, hunc cogitans, animo deficiat? Ita Christi exemplo erectos, pudore simul percussos, & alacritate incensos, propius etiam tangit leuitate malorum, quae adhuc perpessi, iam deficere velint. Nondum, inquit, ad sanguinem restitistis: nondum mortis periculum adistis: nondum ad viuum peruenit dolor; & vos iam deficitis? Quid facturi, si grauiora ingruerint? Quanto minora adhuc & leuiora passi aliis, quin ipso Dei filio! Sed hoc, *deficitis*, non simplieiter ponit, sed, adeo plenum gerit pectus, summus ex pectore orator! circumscribit aetiologice, vt causam intexat nouam, cur deficere non debeant. Obliti estis, ait, promissi, vs. 5. vel cohortationis; neque enim quidquam directo promittitur istis verbis Salomonis: & ἐπαγγελία potest esse pro παραγγελία, παραμυθία, cohortatione, sicut παρακαλεῖν est & hortari, & solatio erigere, & παραμυθεῖσθαι utrumque notat: Phil. 2, 1. 1 Thess. 2, 11. etsi & *promittendi* quaedam conditio inest verbis, confidere iubentibus amori diuino, vt in filios, & *fructum* exspectare salubrem; quem & Paullus proponit vs. 11 extr. Promissi ergo seu praecepti & cohortationis, immemores agitis, qua vos Deus vt filios alloquatur. Gratas ergo Christianis & honorificas accidere, demonstrat, calamitates, quia habeant argumentum paterni in nos amoris Dei, & significent, nos esse filios Dei.

Quod ille argumentum (num Cicero aliter poſſet?) quadrupliciter exſequitur: 1) teſtimonio ſcripturae, & auctoritate ipſius Dei, afferendo verba Salomonis e ſententiis eius. Quibus verbis & explicationem addit: ſi ſuſtinebitis caſtigationem: Deus vobiscum vt filiis agit. Quod per ſe dupliciter intelligi poteſt: vel ſic: ſi *Deus immittit* vobis calamitates: apparet, vos ab illo haberi pro filiis, & ſic ab eo tractari: quia hoc patres faciunt in liberis: Vel ſic: ſi *patienter* feretis calamitates a Deo immiſſas: Deus vos vt filios amplectetur. Tenori aptior eſt illa prior interpretatio. Deinde vtitur 2) ſimilitudine vitae humanae, & exemplo patrum terreſtrium: quod & per ſe affert diſerte, & tractat diſerte, a) per ſententiam & locum communem: omnis pater adhibet caſtigationem filiis: quam acuit ſententiam atque erigit b) per interrogationem: *Quis* eſt filiorum, *ubi* eſt filius ille, quem non caſtiget pater? Nempe, ſi vere ſit pater, ſi cordi ſit ei filius: aut ſi filius commeruerit caſtigationem, & opus habeat illa: quae duo ſemper habeant locum in Chriſtianis. 3) per argumentationem in diuerſum, validam ſane, & pudorem ſimul metumque iniecturam: Quod ſi vacatis & caretis caſtigatione, quam *omnes* tamen adhuc ſenſerint, nempe vere pii, vere Dei filii: non eſtis vere filii Dei: minus idoneos inuenit, quos ita curaret, Deus. Huius argumentationis vis duplex eſt: altera in re ipſa: caſtigatio perquam neceſſaria filiis eſt: nec parcere iis poſſit vere

parens, ni, perire eos, velit: nec vero parcat, si quidem vere & salubriter illos amet; nam, si parcat: aut non amet eum, quem, deprauatum, sine disciplina perire sinat ac negligat: aut praepostere amet, praua indulgentia fractus: aut plane pro filio non habeat, negligatque vt alienum. Quippe de *salubri* & *sapienti* disciplina loquitur Paullus, non, quae odio aut saeuitiae detur; qualem qui exerceant, sane patres inueniantur; sed enim his non utitur Paullus, vt stolidis, & acerbitate iniquis; nec de *poena* illi sermo est, quippe quae & impiis infligatur: & ipsa tamen eo saepe consilio, *vt fiant* filii Dei, sancti & Deo probati, qui nondum sint; at Deus, qui nec praepostere amet, nec consilio non salubri castiget, relinquitur, si quem non castiget, vt pro filio non habeat, neque esse talem, aut futurum, videat. Altera vis argumenti est in similitudine exemplorum. Omnes adhuc castigauit Deus, nullo excepto, qui aut essent filii Dei, aut fieri possent; neminem adhuc eximium habuit: plane vt metus ac pudor offundatur, ne non sit filius Dei, aut futurus non sit, quem plane non castiget: quod ita terribile nobis, ita pudendum obiiciatur, quiduis vt perpeti malimus, quam ista suspicione sollicitari, isto metu angi, isto pudore deiici, ne non simus filii Dei, aut effici nequeamus. Nam primo, quis vere piorum, per omnem cursum & memoriam Veteris Testamenti, vacasse inueniatur omni incommodo, omni vexatione, quacunque tandem?

Deinde, ſi qui manſerunt intacti ab incommodis externis, nec pii ſatis inueniantur, nec ſatis gnauiter, ſatis per omnia aut fideliter ſubacti ſtudio pietatis, qui nullam omnino moleſtiam ſenſerint, vel ignorantiae diſcutiendae, vel dubitationum ſuperandarum, vel cupiditatum reprimendarum, vel exempli mali, aut impiorum contemtus, aut odii non curandi, vel damni, doloris, incommodi ob Deum ſubeundi, aut certe, ex eius voluntate, patienter ferendi. Nam cui non inſunt iſta? Quem non circumſtant? Quem non ſubinde ſollicitant? Quis ſine ullo talis moleſtiae ſenſu unquam vixit? Qui ſi non pupugerit eum, non vexarit: aut Deus ſit ille, neceſſe eſt, angelus certe, aut perfecte ſanctus, qualis eſt nemo: aut leuiter admodum curet, & perfunctorie habeat pietatem; quam, ſi ſtrenue colere voluerit, difficilem profecto ſentiat, & moleſtam prauis cupiditatibus ac ſenſibus, qua fidem rerum haud perſpicuarum plane, & multis multorum dubitationibus expoſitarum atque impugnatarum, qua officia, prauis ſtudiis, exemplis, illecebris inimica, qua fiduciam rerum adhuc incognitarum, & a ſolo Deo, praeter omnem ſaepe veri ſpeciem, exſpectandarum, a ſtudiis, commodis, praeſidiis terreſtribus alienarum. 4) Comparatione quoque intendit hoc argumentum, vſ. 9. 10. contendendo inter ſe a) caſtigatores ipſos, patres humanos, corporeae vitae auctores, & Deum, mentis & moralis vitae auctorem & moderatorem: b) modum caſtigationis, quam illi inhibuerint κατὰ τὸ δοκοῦν αὐ-

αὐτοῖς, prout ipsis visum fuerit, non iudicio saepe, quo intelligerent aut vellent, ita esse rectum, aequum, utile, necesse, salutare; sed ut ferret libido, iracundia, impetus, stomachus, aliaeue causſae, neque idoneae satis, neque filiorum curae salutique datae; cum a Deo adhibeatur sapienter, meritis, egentibus, salubriter; quod innuitur partim appellatione *patris mentium*, i. e. primae ac summae menti, ergo & sapientissimae, &, parens cum sit, benignissimae: partim efficientia addita: καὶ ζήσομεν, vere sancti, beati perpetuo, laeti viuemus, a Deo castigati. Nam & 3) vim & efficientiam comparat: patrum castigatio non semper nobis profuit, vt libidini fere eorum data: tantum nos admonuit, non sine pudore, leuitatis atque inscitiae puerilis, nec non patriae potestatis, cui parendi, vt necessitas vrgeret, ita pudor versaret, vel tacita conscientia vel aliis testibus: quod molestissimum pueris, & quasi indignissimum, accidere solet; Deus autem castigat, vt viuamus, vt ne pereamus prauitate aut miseria, sed beate agamus & nunc & semper: quod diserte addit: Deus nos castigat ad vtilitatem, vt componamur ad eius sanctitatem, & patri tam sancto filii assimulemur. Iam 4) tempus ac tenorem confert: illi ad breue tempus, i. e. a) *per* breue tempus, quod vel viuerent, vel nos haberent in sua potestate: quod diuturnum esse, neque illorum aetas, nec nobis accedens annorum maturitas, pateretur: b) *in* breue tempus, in vsum haud di-

uturnum vitae tam breuis & ruentis temporis. Deus autem castigat ad copiam vitae aeternum beatae. Ita honorificam simul decoramque, vt Dei filiis, & salubrem probauit castigationem. Sed enim, *salubritatem* atque vtilitatem ne non satis assequantur, aut, molestiae sensu absterriti, vllam esse negent, proprio loco munit, vs. 11. ita vt concedat, quod possit: haud sane illam videri χαρᾶς, laetam, iucundam, ad gaudium compositam, gaudendi materiam, excitandis sensibus laetis datam aut aptam, sed acerbam, λύπης, dolori ac tristitiae excitandae. Sed hanc dubitationem ac difficultatem statim frangit ac debilitat restringendo & circumscribendo, πρὸς τὸ παρὸν, ad hoc vitae tempus, qua hanc vitam, cuius commoda auferat, molestias augeat: aut, dum adsit, dum sentiatur. *Tempus* ergo distinguere docet, nec praesentia intueri sola, aut externi incommodi sensu moueri, quippe olim abiturо; sed futura spectare & mansura, efficientiamque certam, perpetuam, salutarem: quam ita describit: at *deinde*: futura ergo intueri conuenit: 2 Cor. 4, extr. Rom. 8, 18. *deinde* ergo, postmodo, i. e. a) iam in hac vita, in qua iam et ipsa fructus et sensus saluber, sanctitatis, contemtus rerum leuium, incertarum, alacritatis, constantiae fiduciaeque immotae, vsu ipso firmatae, spei laetissimae, ad eos perueniat, qui fortiter & fideliter sint perfuncti incommodis; sed multo magis vberius & solidius, in illa altera vita, aeterna, caelesti, quoniam in hac vita &

re-

recurrunt ſubinde calamitates, & virtutis vſu laborat, luctatur, neque vnquam hic ſatis perficitur. Quid ergo dabit caſtigatio? *Fructum pacis*: id eſt, felicem, laetum, tranquillae mentis, fauoris diuini, felicitatis immotae, perfectae. Fructum eundem *iuſtitiae*, id eſt, a) diſciplinam virtutis, ſanctitatis, quam calamitates bene toleratae exerceant, firment, puram & conſtantem reddant, vt debellatrices cupiditatum prauarum: b) benignitatis diuinae: quam Deus eo largius ſit exhibiturus, quo grauiora paſſi fuerimus eius cauſſa. Hunc autem fructum caſtigatio dabit *exercitis* eius vſu, γεγυμνασμένοις. Quo vocabulo, vt *modum* oſtendit, ita fidem ſimul facit, quomodo illa commoda inde exiſtant ac redundent: quia per eam *exerceantur* & firmentur ſummae virtutes, i. e. liberaliſſimae, difficillimae, ſaluberrimae: patientiae, conſtantiae, obedientiae ac fiduciae in Deum, modeſtiae, contemtus rerum terreſtrium, miſericordiae in alios: vnde non poſſint non & ſancti reddi, & Deo probari. Ita inſtructam cohortationem claudit prophetae verbis, iubentis bonum animum capere, confirmare, ſi qua etiam nunc laborent, conſtanter pergere atque inſtaurare curſum inceptum, vſ. 12. 13. Virtutemque omnino commendat vſ. 13. ſine qua conditio ſalutis ſit nulla, hactenus, vt *ſine ea* nemo poſſit videre Deum; non, vt *per* eam. Beneficio quippe Dei tenetur ſalus; nec tamen ſine ſtudio ſanctitatis; qui enim ſaluus ſit improbus, aut placeat Deo? Et ſalutaris

illa fiducia sine sanctitate frigeat, iaceat, nulla sit prorsus. Pluribus incendit hoc studium & constantiam vs. 15. damno commonstrando, quod ex eo neglecto redundet: positum in eo, vt 1) exemplo noceat, plures secum abstrahat & peruertat, qui inter eos exstiterit vt *radix amara*, planta pestifera, prauus homo, perfidus, defector, & pestifer sibi & aliis: 2) quod deficiendo amittant summa bona, dum nitantur supersedere leuibus incommodis, & pasci leuibus commodis: quod Esaui exemplo illustrat: eaque bona perdant irreuocabiliter, vt idem Esauus. Verum haec aptius inter *dehortationes* recensentur. Magnitudine tandem coelestis beneficii mouet, vs. 18 — 24. cuius tractatio referuetur *Magnitudinis* loco.

Reliquae cohortationes Epistolae huius nil quidquam difficultatis habent: vt, cum vs. 13, 2. hospitalitatem commendat, per quam angelos excipere quibusdam contigerit: quod iam tetigimus in Gen. Demonstr. aut, quod αὐτάρκειαν commendat, quia Deus receperit, se illis haud vnquam defuturum. Doctorum memoriam, id est imitationem, vt ipse explicat, commendat a) ex operae fide & salubritate, qua Dei doctrinam illis tradiderint: vs. 7. b) e felici exitu, quo sint vsi: 3) fide & vitae sanctae exemplo. Quae verba subiicit vs. 8. Iesum Christum semper eundem fuisse, esse, fore, ea trahi vel referri possunt vel ad illam cohortationem doctorum imitandorum: quod idem Christus ipsis sit affuturus, qui illis ad-

adfuerit: vnde nouum argumentum accedat illi praecepto: vel ad illam, quae sequitur, vs. 9, 10. de constantia verae doctrinae tuendae: cui sane egregie congruat & robur addat illa sententia: quia idem est Christus semper, fuit eritque: doctrina quoque eius & formula immutabilis est, eoque constanter tenenda.

Extremam huius Epist. cohortationem notemus, vs. 13. qua iubeat *Christi* contumeliam ferre, id est, eius caussa atque exemplo. Quod effert verbis translatis, exeundi e castris: veluti piacula olim apud Iudaeos e castris in desertum, deinde ex vrbe, certe ex templo, educebantur. Quae imago conditionem habet & cohortationem, 1) segregandi sese a coetu impiorum, nec nimis familiariter versandi cum illis, neque imitandi exempla eorum: 2) promtos sese ostendendi & parandi ad mortem vel contumelioſissimam subeundam cum Christo, eius exemplo, ob Christum; qui & ipse, veluti contaminatus, extra vrbem ἔπαθε, i. e. *mortem* passus fuerit; (nam reliqua *intra* vrbem pertulit: & παθεῖν de morte ipsa & sola dicitur etiam Act. 1, 3. 1 Petr. 4, 1.) sicut & Christiani, ob Christum habebantur piacula, περικαθάρματα, 1 Cor. 4, 13. Et Christus quidem *vere* erat piaculum, destinatione diuina, & conditione mortis suae. Quod manifestum est satis, vt ex tota Epistola, inprimis c. 9. & 10. ita ex hoc loco, vbi dicit, Christum esse interfectum extra vrbem, quia piaculares victimae Iudaeorum solerent extra vrbem comburi.

huius. Quod etsi Iudaeorum consilio factum non est, cum in paganorum potestate & more esset crucis supplicium, neque, vt piaculum occidi eum, volebant, etsi id quoque, vtut alia mente, politica illa & ciuili, Caipha auctore, Ioh. 11, 50. 51. Sed odio magis incensi; vertit tamen Deus, per ipsum illum pontificem vaticinatus, vtut ignarum, neque id agentem, vs. 51. vt per Bileamum olim: vt tali supplicio tolleretur Christus, quod repraesentari Deus voluisset concremationem piaculorum extra castra, quae victimae, velut exsecrabiles, oneratae sacrificantium culpis, procul amouerentur. Vnde & Christus, per crucis supplicium, κατάρα factus legitur Gal. 3, 13. idque *pro nobis*, ibid. ut piaculum. Sed Christiani, etsi piacula non erant Deo: soli id Christo datum erat; tamen & caedebantur a paganis, vt piacula, auertendae numinum irae, & certe cum Christo, eius exemplo, ob eius professionem. Primam ergo causam huius contumeliae: perferendae, Christi exemplum affert, ita intelligendam, vt diximus: alteram, vs. 13. quod hic non habeamus sedem manuram, sed futuram quaeramus, id est, speremus, exspectemus, optemus, expetamus, ei nos aptemus; vnde nil sane amineat, versari in coetu illo impiorum, quibuscum futuri tamen olim non simus, nec molestum esse debeat, iam nunc segregari ab iis, a quibus olim segregandi in perpetuum simus, aut exiliis, aliisque iactationibus, aut etiam morte ipsa segregari, eliminari atque ex-

exturbari ab eorum coetu; quasi occupato eo, quod tamen sit futurum, vt, relicta hac sede, in aliam recipiamur, aeternam & beatam. Et quia, locutus de Christo vt victima, cohortatus est ad alacritatem perpetiendi incommoda, contemtum, vexationes, exturbationes impiorum, mortem adeo ipsam, Christi, pro nobis sacrificati, caussa & exemplo: porro insistens allegoriae, rei veritate nixae, hortatur, sub imagine & nomine sacrificiorum, 1) ad laudem Dei celebrandam: quod iam Vetus Test. commendarit nomine sacrificii veri & Deo grati, Ps. 50. extr. Nempe, vt Christus erat θυσία περὶ ἁμαρτίας, vs. 11. ita nos iubemur reddere Deo θυσίαν αἰνέσεως, זֶבַח תּוֹדָה sacrificium laudis, gratulatorium, gratiarum agendarum, & celebrandae magnitudinis diuinae: egregia sane allusione ad genera & nomina veterum sacrificiorum. Idque fieri vult per *Christum*, eius virtute & auxilio, propter eum, pro beneficiis ab illo datis & sperandis: quin per illum, vt grata sint Deo, commendata per eius satisfactionem & intercessionem: sicut sacrificia gratulatoria nec locum habebant, neque offerri Deo probariue poterant, nisi oblatis *antea* piacularibus, quae & praecedere illa debebant ex lege Leuitica vel Liturgica; ita nec nos possemus laudare Deum, id est, laetari eius fauore, aut ei probare laudem nostram, nisi antea ei simus expiati per Christum: nec pro se quisquam facere hoc potest, nisi reconciliatus Deo per Christum, *per quem* facere itidem hoc iubemur Eph. 5, 20.

Col.

Col. 3, 17. Sed eadem condirione vocat b) ad benignitatem & beneficentiam, vſ. 16. Quae & ipſa *ſacrificia* vocat, quibus (unice & maxime) delectetur Deus. Quae cauſſa adiecta eſt cohortationi longe grauiſſima: etſi iam & alia latet in vocabulo ſacrificiorum, eaque ipſa duplex: partim, quod ad Iudaeos ſcribebat, aſſuetos ſacrificiis: quibus hoc ipſo nomine commendaretur virtus illa, omni ſacrificio potior: partim, quod locutus erat de vero & vnico ſacrificio Chriſti piaculari, qui reliquiſſet nobis & commendaſſet reliqua ſacrificiorum genera, vera, illis ad vmbrata, morum animique, gratiae in Deum, beneficentiae in alios, ipſe functus piaculari. Quae ſane commoda ſit deſignatio, nobis quoque, formulae ſalutaris. Piaculo Chriſtus functus, culpas ſuſtulit, Deo nos reconciliauit, beneficia cuncta parauit. Hic nullae ſunt partes noſtrae; nihil hic nobis relictum eſt, niſi fiducia, qua illi piaculo incumbamus. At virtutis & officiorum ſacrificia nobis reliquit, Dei amorem; neque enim non amare Deum poſſit, qui laudet eum, id eſt, a) magnitudinem eius celebret, b) beneficia eius praedicet: aliorum amorem; quem per benignitatem optime exſeramus; bona ergo opera nobis reliquit peragenda, ſuo tamen non praeſcripto modo, ſed etiam exemplo; quin *per ipſum*, δι' αὐτοῦ, eius auxilio, neque vt placeant Deo ſine eius ſatisfactione.

Tandem cohortatur ad parendum doctoribus, vſ. 17. cauſſis vſus 1) grauitate muneris eorum

rum: quam probat a) ex natura ipſius: vigilant pro *mentibus* noſtris: ergo & materia grauis eſt, mentes noſtrae, pars melior noſtri, vt reddamur ſapientes, ſancti, beati: & forma: *vigilant* enim, id eſt, ſemper & continuo, nulla intermiſſione, graviter & ſtrenue, & cum ſumma moleſtia, occupantur; nam, haec tria quae inſint in notione cuſtodum & vigilum, excubitorum, ſeu ciuilium, vrbicorum, vicanorum, paganorum, agreſtium, ſeu militarium, quis dubitet aut ignoret? b) ex ratione, quam Deo ſint reddituri: quod aperte oſtendat, & rem eſſe grauiſſimam, cuius rationem repoſcat Deus, & periculum grauiſſimum neglectae prouinciae; cuius difficultatem augere atque intendere non parendo, aut negligentia noſtra ac peruicacia periculum iis addere, ne non teneant formulam a Deo praeſcriptam, impediti a nobis, barbarum profecto ſit atque inhumanum: inde addit: ne cum gemitu faciant munus ſuum. Belluae enim ſimilis ſit, qui ſuſtineat aggrauare atque acerbum reddere munus gerenti cum fide, a) per ſe graue, moleſtum, periculoſum, b) ipſi illi, in quo exerceatur, ſalutare & felix, plane eius utilitati ſalutique datum. Sed & 2) ipſorum auditorum periculo utitur, quibus certe non ſit futurum ſaluti, ἀλυσιτελὲς, inutile, id eſt, nociturum, pernicioſum plane, negligere & repudiare curam ſaluti ſuae adhibitam, aut ultro impedire, & in gemitus vincere leuitate & peruicacia. Ergo & propriae utilitatis ratione auditores aduertit, gra-

uiter ſane & comiter, & fido pectore in lecturos vel audituros: id eſt, vere oratorio munere fungitur.

Hae ſunt fere cohortationes Paullinae: in quibus tamen primo loco, vel qua librum, vel qua exemplum ipſum, poni debuit, nunc certe reddatur, omnis cohortationis inſtar,

Actor. 20, 8—35. in illa diuina allocutione presbyterorum vel epiſcoporum Mileſiorum; quam ſine inſigni animi motu, ſine lacrymis, legere plane nequeas. Quid auditores? Vt affectos animo, cenſemus, fuiſſe? Nempe ita, vt legitur vſ. 37. Eſt illa quidem oratio tota *morata*, & verſatur in moribus apoſtoli notandis: vnde loco de *Moribus* rectius eam videamur reſeruaturi. Sed tamen ad cohortationem compoſiti mores vertuntur, vt paraenetica ſit conſtitutio & conditio, iubentis imitari exemplum ſuum. Quare hic ſane reddatur. Quid ergo diſceſſurus hortatur Paullus? Id ipſum acuit audiendi ac legendi curam, ſtimulosque figit, quod *abiturus* loquitur, *extremum* hoc allocuturus, iam porro *non videndus*, (vſ. 25. 38.) Proponit autem, quid hortetur, vſ. 28. attendite vosmet ipſos & gregem; & vſ. 31. vigilate! Vult ergo, illos tueri a) ſinceritatem & integritatem doctrinae; addit enim: poſuit vos Spiritus S. epiſcopos, qui paſceretis gregem, id eſt, inſtitueretis & regeretis: ergo, vt primo eos imbueretis doctrina vera, ſalubri, eaque integra, incorrupta, perfecta, nil adderetis ipſi aut detraheretis, ſed neque alios

pa-

pateremini id facere. Quod & ſibi curae fuiſſe, profitetur, vſ. 27. Nil diſſimulaui, inquit, vel, nil ſubtraxi, quo minus proponerem vobis *omnem* Dei voluntatem. b) Tueri vult eos vitae ſanctitatem & puritatem. Cuius praecipuam partem commemorat abſtinentiam, ſuo exemplo commendatam, vſ. 33 — 35. vbi negat, apud conſcios integritatis teſtes, vnquam ſeſe quidquam a quoquam concupiuiſſe aut expetiſſe; ſuismet manibus, quas oratorie plane monſtrat & porrigit: hae manus ſuffecere deſiderio meo! ſuismet ergo manibus victum & omnia quaeſiſſe. c) commendat ſecuritatem & tranquillitatem coetus commiſſi: maxime, vt ab erroribus & diſcidiis tuti praeſtentur: quae ſecutura denuntiat vſ. 29. 30. Haec ſumma eſt cohortationis. Cauſſas autem ſubiicit longe grauiſſimas: 1) inſtitutionem ipſorum diuinam, vſ. 28. cuius gregis, inquit, epiſcopos fecit vos Spiritus S. (Et eſt ergo Spiritus S. & abſolutae naturae, & Deus, eodem argumento, quo Chriſtus, & h. l. vſ 28. & Eph. 4, 11. coll. Gal. 1, 2. 10.) unde appareat a) muneris ſanctitas, b) magnitudo curae, c) periculum rationis reddendae. 2) gregis ipſius caritatem atque dignationem: vt quem Dei filius, Deus, vel Dominus, (variant enim hic libri; ſed res eodem redit: & vanum ſit argumentum, leue, friuolum, nullum, merum hominem habenti Chriſtum:) quem Chriſtus ergo, Deus & homo, ſanguine ſuo pararit, ſua morte vindicarit & ſibi ſacrarit, Vnde colligi velit, a)

quam cara ipſis eccleſia eſſe debeat, quae ſit Deo tam cara: b) quam nulli curae, nulli operae parcere debeant in tuendis iis, pro quibus non filio ſuo, Deus, non ſanguini ſuo ac vitae filius Dei, pepercerit: c) quam grauem culpam ſuſtineant, ſi neglexerint tam caros Deo & Dei filio. Affert 3) periculum, quod eccleſiae immineat poſt ipſius diſceſſum, (ἄφιξιν, quod *aduentum* alias notat, hic abitum, quaſi ἀπέλευσιν) wegkommen: vel aduentum in vrbem Hieroſolyma: vſ. 29. 30. venient lupi graues, doctores falſi, improbi, qui non parcant gregi, quin eum infeſtent ac turbent, dum ſuo commodo potiantur atque fruantur. Quin ex ipſorum numero exſtituros peruerſae doctrinae auctores; cui tanto periculo, tam propinquo, tam inteſtino, eoque difficilius & vitando & depellendo ac diſcutiendo, tam graui, (quod *luporum* appellatio innuat,) occurrere, conueniat, ipſos, & curatores, & diuinitus ſacratos & conſtitutos, & eccleſiae praefectos, ſanguine Chriſti ſacratae. 4) Suum ipſius exemplum: ab hoc incipit, in hoc deſinit: non iactantia ille quidem, ſed vt rationem redditurus in diſceſſu, & teſtimonium ablaturus muneris bene tractati; cum praeſertim rediturus ad eos non eſſet: vt perenne monumentum ſacraret, quod intuentes, imitari meminiſſent irreparabilem apoſtoli virtutem. Cuius virtutis partes & ſummam iam notauimus: doctrinae integritatem, i. e. puritatem & perfectionem; lucri abſtinentiam; operae induſtriam: pluribus tamen notaturi in Cap. de *Moribus*.

Hae

Hae ſunt ergo, vt dixi, cohortationes Paullinae, *vtilitatis* memores, & per hoc generis *deliberatiui.* Quarum quae omnino ſit indoles, quae veritas, quae fides, quae ſeueritas, quae humanitas, conſtet, iam ſatis apparuerit contemplato nobiscum, vt adhuc notarimus. Quod tamen & ipſum proprie ſeorſimque notabimus, vbi prius etiam *dehortatorem* Paullum ac *diſſuaſorem* ſignarimus. Nam &

II. *Dehortatur* Paullus, auertit, auocat, ab inutilibus, vel noxiis; diſſuadet nocitura. In hac cauſſa, in hoc genere & loco, valet ac dominatur ratio *incommodi*, damni: minime tamen neglecta aut ſepoſita ratione turpitudinis, aut iniquitatis: quoad & nobis, & aliis, vtraque noceat, ingrata ſit, moleſta, periculoſa, eoque vitanda. *Agendi* enim eſt hic locus, totus componitur ad actionem, praxin, agendi omittendique curam: in qua ratio habeatur nonmodo vtilitatis aut damni, ſed & aequi atque iniqui, honeſti & indecori, & vero eius, quod fieri tenerique poſſit vel non poſſit. Vt, cum Cicero, Philipp. 7, 3. pacem fieri cum Antonio diſſuadet, tria ponit ac deinceps docet: turpem eſſe pacem illam & flagitioſam: eſſe periculoſam: coagmentari & conuenire non poſſe: ἀ̓δύνατον ergo eſſe. Damni autem, cuius ratio dominatur in diſſuadendo, debet eſſe & oſtendi, ſicut vtilitas magna, exoptata, certa, facilis & expedita, ita hoc, e diuerſo, magnum, certum, facile contrahendum, alienum a ſtudiis eorum, quos dehorte-

mur, inuiſum illis, & quod in aliis rebus fugere ſoleant atque declinare. His locis & vti Paullum oratorem & qui vtatur, age, Deo iuuante, iam videamus: ita moderantes huic rei, ut omittamus, quae aut ad turpitudinem referenda iam tetigerimus in genere Demonſtr. aut quae ad iniquitatis, aut ad poſſibilitatis, immo impoſſibilitatis, cauſſam pertineant.

Initium facere liceat iam ab illa grauiſſima increpatione Iudaeorum, Rom. 2, 3—5. facientium contra legem, quae ab aliis facta damnent ipſi. Quos arguit & ſtolide facere, & ſuamet ipſos facta incuſare ac damnare, quae in aliis damnent. Quae duplex eſt ſtultitiae turpitudo: altera, quod putent, ſibi eſſe recta & licita, quae aliis non ſint; cum res eadem ſit; ipſis tanto minus licita, tantoque magis exprobranda, quod vtantur lege, non naturali tantum, vt pagani, ſed etiam ſcripta & diuinitus patefacta: altera, quod ſemet ipſos reos agant accuſandis aliis, cum faciant, quae in illis damnent: quo ipſo &, inique agere illos, oſtendat. Sed *periculo* maxime illos terret, quod proprie huc pertineat, & in dehortando maxime ſpectetur & valeat. Hoc ille periculum, oſtendit, eſſe 1) certum; interrogat enim: quo validius agat, & attendere illos iubeat ipſorum temeritatem: *An* tu putas, qui facias talia, & in aliis damnes, te effugere poſſe poenam Dei? Id eſt: fieri nullo modo poteſt, vt effugias. Cur autem non poteſt? Primo, quia eadem eſt natura eorum, par conditio,

tio, quae tu facis, & quae pagani faciunt: quae si in his puniet Deus, & in te puniat, necesse est: deinde, quia tu multo grauiori poena te dignum reddis & ostendis, qui perpetres, quae intelligas ipse & pronunties vindicanda; qui praesertim adeo proterue contemnas & in ludibrium vertas Dei benignitatem, indulgentiam, patientiam, clementiam, cuius consilium, consulto quidem, ignores ac negligas, non, delinquere te tam secure, volentis, sed poenitentiae admoneri, & a meliorem sensum moremque verti, ne ita ingratus offendas atque irrites Deum tam benignum, tam clementer tibi parcentem; quod eum tam temere facias: quid certius, quam tanto grauior poena sequatur, necesse est, & impunitatis diuturnitatem, & clementiae abusum? Certum idem est periculum, ex iustitia Dei remuneratrice, vs. 6. *Graue* idem ac terribile, vs. 5. 6. rel. tam ex delictorum multitudine, magnitudine, peruicacia delinquentium, insolentia edoctorum meliora & abutentium clementia Dei. Vnde terribili verbo vtitur, θησαυρίζεις, colligis, reponis velut in arca, deinceps, sensim auges, quod velut inscio & imprudenti crescat in eam magnitudinem, quae tibi, quo minus putaueris, eo terribilior offundatur olim, vt qui, pecuniam recondentes in arca, paruo pauca addentes, magnum aceruum cumulant. Sed & aliis grauibus verbis effert, appellando θλῖψιν, στενοχωρίαν, vexationem, malorum externorum, ani-

mi angorem, qui veluti ſpiritum intercludat. Eodem

Cap. 2. vſ. 25. 26. dehortatur Iudaeos a ſtolida fiducia & iactatione inani circumſectionis, & omnino legis diuinae, quam non ſeruent: monitos, 1) ita nil praecipui eos habere prae paganis; circumſectionem illorum eſſe præputium, i. e. nihilo meliori loco eſſe, quam ſi ſint pagani: 2) ipſos paganos, qui naturae legem ſeruent, ipſis fore opprobrio ignominiaeque, qui ne ſcriptam quidem ſeruarint. Grauis ſane dehortatio haec eſt: quo & vſ. 24. pertinet; quod iſta impietate vitae, cum habeant tamen formulam diuinitus praeſcriptam, locum materiamque paganis praebeant calumniaturis & criminaturis doctrinam diuinam, ipſumque eius auctorem, quaſi aut non prohibentem ſcelera & flagitia, aut non vindicantem: quod ſuae maieſtatis dedecus non poſſit non terribili exemplo punire Deus. Nec tamen proprie huc pertinet, quippe non *dehortandi* conſilio data vere aut directo, verum *increpandi*, arguendi prauitatem eorum, qua ſibimet ipſi praeciderint omnem conditionem placendi Deo per obſeruantiam legis, nec minus paganis opus habeant vicaria iuſtitia Chriſti, cuius neceſſitati probandae viam hic ſibi munit apoſtolus, ex ſumma & vniuerſa omnium prauitate: plane vt dogmatica magis diſputatio ſit, quam paraenetica. Per ſe tamen, & qua materiam, vera dehortatio eſt, & grauis.

A prauitatis ſtudio auocat Rom. 6. quadruplici argumento, iſt eſt, per omnes dehortandi locos: 1) impoſſibilis & incongrui: vſ. 2. Qui fieri *poteſt*, vt *viuamus* prauitati, qui ſimus *mortui:* quaſi vitam & mortem ſociaturi; quod non poſſit? Mortui autem ſumus prauitati, liberati ab eius culpa, poena, imperio. Relinquitur, vt ei viuere, indulgere, parere, nequeamus. 2) iniqui: vſ. 14—15. quia, liberati a lege, vtimini fauore Dei gratuito & benigno ac benefico, toti mancipati Deo: iniquum eſt, alii vos ſeruire, quam liberatori veſtro benigno & ſalutari: 3) indecori: vſ. 21. quorum vos ipſos iam pudet: vt non deceat repetere illa dedecora, quae talia eſſe ſentiatis: 4) inutilis & noxii: vſ. 21. 22. finis, exitus, merces iſtorum flagitiorum, *mors* eſt. Quid peius? Quid magis inuiſum vlli, vel cunctis? Eadem diſputat c. 8. pugnans argumentis a noxio, vſ. 6. 12. ab incongruo, vſ. 5. qui prauitatis imperio ſubſunt, vtuntur prauis ſenſibus, ſtudiis, moribus; vos autem eſtis κατα πνεῦμα, ſancti, liberi a prauitate; ergo non poteſtis vti ſtudiis illis: ab iniquo: vſ. 7. Senſus prauus eſt inimicitia aduerſus Deum: quo quid iniquius? Quid ingratius? Quid Deo ipſo aut homine indignius? Quid vero atrocius, aut periculoſius? Immo hoc vocabulo continetur, quidquid omnino mali eſt in moribus, vel in conditione ac ſorte, inceptu vel exitu foedi. Ita autem eſſe, per aetiologiam duplicem probat. Hoſtes Deo ſunt improbi. Cur? Quia non parent legi eius. Cur

non parent? Quia nequeunt. Quae impotentia, quia ſermo eſt de odio inimicitiaque, *voluntatem* etiam haud dubie indicat a Deo alienam; vt Ioh. 12, 39. Iudaei negantur *potuiſſe* credere; nempe ob peruicaciam ſua ſponte ſuſceptam, Ieſaiae praedictam. Neque enim difficilius homini quidquam eſt, aut quod minus poſſit facere, quam quod nolit. Quo ſenſu & Deo dicitur ἀδύνατον, mentiri, Ebr. 6, 18. nempe, quia *velle* hoc nequit. Ab indecoro quoque & turpi argumentatur (Rom. 8.) vſ. 8. placere Deo non poſſunt prauis ſtudiis dediti. Deo autem quod placere nequeat, turpe profecto eſſe debet, nec probari aut laudari vllo modo poteſt. Quae omnia, etſi, non eſt dubium, quin & periculo terreant; cum miſerrimum ſit, & impedimentum grauiſſimum ac certiſſimum ſalutis, felicitatis, tranquillitatis, non vacare culpa & poena prauitatis, Deo non placere, eumque laedere tam ingrate: & proprie tamen ſeparatimque hoc addit vſ. 6. & 12. vt docuit dehortantem: mortem denuntians prauitati: quae complectitur, quidquid eſt acerbum homini, triſte, miſerum.

Ab arrogantia & admiratione ſui auocat paganos ad Chriſtum verſos, 11, 17—22. placentes ſibi ob fauorem Dei, cum contemtu Iudaeorum, qui eo exciderint. Hunc faſtum arguit eſſe 1) turpem, vſ. 17. 18. vt ingratum & iniquum aduerſus ipſos Iudaeos, eorumque coetum, verum illum tamen adhuc & Deo probatum, ad quem accedendum fuerit paganis, in par-

partem venturis beneficiorum a Chriſto partorum: qui Iudaeis proprie & primis promiſſus, ex his ortus, ex iis ad alias gentes veluti fuerit traductus, per doctores Iudaeos, Iudaeus ipſe qua natales humanos: plane vt eadem ſit vera Iudaica formula & Chriſtiana; Iudaeis commiſſa primis, Rom. 3, 2. 9, 4. 5. ergo ab iis petenda ſolis: etiam poſt Chriſtum per apoſtolos primis Iudaeis patefacta & propoſita: Act. 13, 46. Luc. 24, 47. vt, qui Chriſtianus fieri vellet, nil aliud, niſi veterem doctrinam Iudaicam ſequeretur: &, qui Iudaeus hoc faceret, nil mutaret, niſi, vt iam, *veniſſe*, crederet, quem *venturum* credidiſſet, neque figuris amplius opus eſſe, vbi res illis deſignata adeſſet: 2) ſtolidum, falſum & inanem; cum *inſiti* ſint pagani Iudaeis, non hi paganis, qui, quaſi ſurculi, feri antea, inutiles, infelices, inſiti fuerint velut in arborem laetam, felicem, Iudaicae eccleſiae: a quibus traxerint omnia & acceperint, veluti ſuccum, vitam, fecunditatem, ipſi ad eos nihil intulerint. Vanum eundem arguit, vno argumento vſus in diuerſum: a) ſi peruicacia perdidit Iudaeos, & fauoris diuini copia exturbauit: & vos vtique poterit; ſi vos per fidem ſucceſſiſtis in eorum locum: quanto magis illi redibunt in ſuum, veluti poſtliminio, ſi eadem fide acceperint Chriſtum, qua pagani obtinueritis, vt reciperemini in illorum locum. Quod, ſi in paganis factum fuerit, quaſi praeter naturam, multo magis in Iudaeis, ſecundum naturam, fieri *poſſe*, monet, quia 1) valeat

leat Deus id efficere; 2) fidei conditio eadem pateat: (nam futurum ἐγκεντρισθήσονται, vſ. 23. hic eſt, poſſunt reſtitui;) & vero probabile eſſe, a paganorum ſimilitudine: quin *futurum* plane, e vaticinio, vſ. 25. 26. Quod oratorium plane eſt incrementum: poteſt: probabile eſt: fiet. Sed & 3) periculoſum oſtendit hunc faſtum & nociturum, adimenda illis copia beneficiorum per Chriſtum partorum. Quod periculum oſtendit eſſe a) terribile, ſignans vocabulo *exſtirpandi*, vel *excidendi*, apto hic ſane, quia de *ramis* loquitur, vt Matth. 3, 10. 7, 19. & graui, quia, vt reciſus ab arbore ramus α) amittit ſuccum, vitam, fecunditatem, vim omnem; β) in ignem, comburendus, abiicitur, ita impii ac peruicaces & beneficiis priuantur, & poenis damnantur: b) certum: α) ex ſimilitudine: par cauſſa, par efficientia, ἀπιστίας; i. e. defectionis, certe in paganis ad Chriſtum verſis: vt Ebr. 2, 12. ἀπιστία explicatur ἀπόστηναι: β) multo magis in paganis, vt adhuc alienis, ſi factum ſit in Judaeis, populo Dei, formulae eius ſequeſtris. Quae omnia tam grauiter, tam ſubtiliter diſputat, dehortandi conſilium profeſſus, vſ. 25 ne ſint pagani παρ' ἑαυτοῖς φρόνιμοι, ſibi ſoli ſapere aut Deo probari videantur, Iudaeos ſpernant, ſibi fidant, Deo diſpliceant, datis excidant.

A contemtu & vexatione infirmiorum, abſtinentium non vetitis, dehortatur C. 14. tot. & 15. init. vſus argumentis: 1) quod ſit iniquum, hoc fieri: idque duplici nomine & conditione: a) in Chri-

Christum, cui sint subiecti omnes, ad quem dirigenda & referenda sint omnium facta omnia, cuius honori & timidiores tribuant suum timorem: quibus nemo imperet, nisi Christus, cui & rationem reddituri sint vni, in quos nulli hominum ius sit. Hoc argumento pugnat a vs. 3. extr. ad 12. Deus, inquit, adsciuit infirmiorem, i. e. probat, amat, fouet, Christianum effecit, seruat, non repudiat ob illam infirmitatem. Quid tu tibi, homo, arrogas, quasi par Deo, aut maior, qui damnare audeas, quem Deus damnare parcat? Iam hoc ergo arrogantiam habet non tolerandam, velle sese inserere & obloqui his, quae Deus faciat. Sed accedit, quod ius homini non est in alios homines. Vnde grauiter insistit vs. 4. *Tu quis* es? Emphasin habet vtrumque vocabulum: *tu*, homo non minus illis, Deo subiectus, vt illi, nullo iure, nulla auctoritate in alios pollens? Tu ergo *quis* es, quis aut quid esse tibi videris, quam sapiens, quasi arbiter animi & consilii alieni, quam potens, quo iure in alios, aut aduersus Deum, illorum dominum? Tu quis es, qui hoc iuris tibi sumas, vt alienum seruum iudices, id est, eius facta interpretere, quasi tua interfit, aut tibi rationem reddi oporteat? Haec verba intelligenda sunt per locum communem vel sententiam, eam, quam *noëmatis* vocabulo signant, quae ad vnum hominem cauſſamque proprie conuertat vniuerse intelligenda: quasi dicat: Qui dominus, herus, paterfamilias hoc ferat, alienum hominem, cui nul-

nullum ius sit in re ipsius domestica, ingerere sese atque obtrudere arbitrum domesticis rebus & hominibus ipsius, & interpretari, quae apud ipsum gerantur, aut de ipsius famulis ac seruis sententiam ferre, an male egerint, an improbandi puniendique sint. Nonne illi dicat: Quis tu es, qui ius dicas domi meae? Quis tibi hoc dedit? Quid ius meum affectas? Quin tu procul facessis, alienis abstines, tecum habitas? Hoc ille, ductum ex aequitate ciuilis vitae, ad Deum confert. Deusne vt ferat, quod herus aut paterfamilias nemo patiatur? Deum ergo, vt iam vs. 4. dominum illum intelligit, cui talis homo, infirmior ille, stet vel cadat: id est, cuius existimatio sit vnius, recte an perperam faciat, vtatur fauore eius, nec ne? Deo iuuante, qui possit, (& vero velit.) Quo nomine & in hominem ipsum iniurius ille sit contemtus: quia ille infirmior possit tamen vti fauore diuino & seruari, modo in praecipuis rebus recte sentiat & agat: quod futurum sit, iuuante Deo, qui possit aut corrigere hanc ipsam eius infirmitatem, aut certe munire & sustinere a grauiori lapsu & errore, idque etiam velit. Abiiciendum ergo non esse, aut pro vere Christiano minus habendum, quem & nunc non abiiciat Deus, & ad meliora vertere, aut in grauioribus sensibus & factis integrum seruare possit ac velit. Iniuriam ergo maximam fieri, demonstrat, Christo, omnium domino. *Deum* antea dixerat, vs. 3. 4 nunc *Christum* nominat, vs. 9. quem eundem dominum vocat, vs. 6. 8.

quin

quin Deum & dominum; dixerat enim: *Domino* edit; nam (καὶ est pro γὰρ, quippe, nempe;) gratias agit *Deo*. Christo ergo, Deo & domino omnium, cui soli summum ius sit in homines, cuius solius quasi interfit & res agatur, si recte vel secus sentiamus & agamus; (id enim hic est, stare & cadere vel labi;) qui solus iudicare possit, & facultate & iure, quo quisque sit loco, quid sequatur: qui vitae quoque & mortis viuorum & mortuorum, ius habeat solus, vs. 8. Ioh. 5, 21—23. qui & viuos regat solus, & mortuos aut coelo beet, aut poenae addicat, vs. 10. 11. solus constituat & pronuntiaturus sit, in illo extremo iudicio, quo quemque loco haberi velit: (1 Cor. 4, 5. 2 Cor. 5. 10. 11.) Hoc Christo iuris esse, probat, (ne quid sine argumento ponat, causſam, vti opus sit, causſae suggerens,) partim *dominum* appellando, partim, prouocando ad mortem eius reditumque in vitam, & ipsum per se, ἀνέστη, & qua tenorem vitae iam aeternum, ἀνέζησε, aut, quoad sit factus ille reditus per se ἀνέζησε, & publice declaratus, ἀνέστη· quorum vtroque partim pararit, partim declararit, potestatem suam in viuos & mortuos. Quid ergo? Cui ius sit soli vitae mortisque nostrae, qui solus & vitam regat nostram, & sortem aeternam post mortem constituat, eine vt obloqui, aut arbitrio eius immiscerи audeamus in ciborum discrimine, re tam leui, tam nullius momenti ad summam, aliis exprobrando, de quorum vita & morte decernere nobis non liceat, soli datum

Chri-

Christo? Vt & huc conferri liceat Christi verba, Matth. 6, 25. Nonne vita maior est cibo? Sed & b) in homines ipsos iniquam ostendit hanc arrogantiam, & ab ea dehortatur, vs. 13. sequ. idque rursus dupliciter; immo tripliciter; vnum enim argumentum iam supra attulerat vs. 4. quod Deus posset (ac vellet) talem hominem rectum seruare. Sed hic propius ad hominem ipsum vertitur, quia ad Christum antea retulerat, & de iudicio magis locutus erat, quod temere ferrent censores atque interpretes alieni sensus & moris. Nunc magis loquitur de vexatione illorum vitanda, quae illis adhibeatur a) faciendo coram iis, quae religioni illis sit facere: b) ridendis illis & exagitandis, forte & increpandis, si nolint aut nequeant vincere illam religionem: c) adigendo facere, quae licere sibi illi non rati, tamen, exemplo inuitati nostro, aut orarione, forte & insectatione, irrisu victi & compulsi, faciant reluctantes, & cum delicti opinione. Quod vs. 13. appellat, offendiculum ponere, i. e. delinquendi materiam offerre. Hoc ipsum iam satis ostendat *turpitudinem* rei: quam tamen auget *iniquitate* addita, quae sane & ipsa habeat turpitudinis reprehensionem: primo, quod talis homo, qui tam proterue insultet infirmiori, non vtatur amore, amorem aliorum non habeat, aut non exerceat, id est, ne habeat quidem; etenim, qui vere alios amet, facere non sustineat, quod sit amori diuersum: qualis cum sit illa insultatio, ille contemtus, irrisus, illa exagitatio, increpatio, vio-

violentia; quis enim insultet ei, quem amet? turpem esse, apparet, hunc sensum & morem, iniquum, vt animi acerbi & amore vacui indicium. Quid enim est omnis asseueratio fidei, omnis scena pietatis & pompa, sine amore? Turpe esse idem ostendit, & iniquum simul, quod a) res, cuius caussa suscipiatur concertatio ista, non sit tanti, sed leuis, & facile vel omittenda ipsis, vel concedenda alteri aut remittenda. Quippe de cibo agitur, re corporea, nullius momenti vel ad cultum Dei, vel ad virtutem: cuius cibi tam multa genera & varia vel capi atque gustari libere, vel caueri, si quis metuat, & alius adhiberi cibus possit: & tamen, in tanta rei leuitate, & nullo per se discrimine, b) ingens iniuria fiat & homini, cuius tamen caussa Christus sit mortuus, cuius salutem sibi tam caram Deus probarit morte Christi, & Christus sua: quem tamen temere adeo inhumaniterque coniicias in periculum delinquendi sollicitatum ad vescenda, quibus vesci nefas putet; vt leuem plane habeas eius salutem, cuius salus vel filii sui morte (Rom. 8, 32.) redimenda sit Deo visa: Et vero in Christum inique & proterue agas, qui *mortem* quoque sustinuerit pro illo, quem tu *cibo* offendere aut turbare non verearis. Hoc vs. 20. vocat, ob cibum dissoluere vel destruere *opus Dei*, i. e. vniuersam salutem, a Deo prouisam, Christi morte partam, euertere cibi caussa, vt tibi vindices ius vescendi aliquo cibo, quo praeter necessitatem capiendo vel alterum irrites,

odio & contentione exaſperes, in delicta & culpam veram, grauem, acerbitatis, odii, inimicitiae te atque illum coniicias, aut hunc, ſollicitatum exemplo ſuo, aut odio, irriſu, impulſu & oratione, trahas, voces ad id faciendum, quod cum, haud recte fieri, ratus, faciat tamen, grauiter delinquat, quia non ſequatur conſcientiae iudicium firmum; (*fidem* appellat, vſ. 23.) vnde ille pereat, & mortem Chriſti irritam in ſe reddat voluntaria culpa. Ita & turpitudo rei atque iniquitas, indignitas ergo, vtramque amplexa, apparet, corrumpentium rem ſummam ob rem tam leuem, & libidini ſuae condonantium conſilia Dei, & ſeruire ſuo ſtomacho & cedere cogentium Deum. Vnde *inutilitas* ſimul vel noxia vis rei appareat. Quid enim magis peſtiferum ſit iactura ſalutis & felicitatis aeternae? Quam inferas ei iacturam, quem cogas vel impellas delinquere, facientem ea, quae pro vetitis habeat. Accedit alia ratio inutilitatis, vſ. 16. vbi ἀγαθὸν ſign. ipſam Chriſti doctrinam cum ſuis commodis, nominatim & in primis liberatione a lege rituum & religione cibaria; hoc bonum, hoc ius, ait, μὴ βλασφημείσθω, i. e. nolite locum & materiam dare culpandi & inſectandi, nempe & paganis ac Iudaeis, & inter vos iis, quibus videamini leuiter abuti beneficio libertatis euangelicae. Eo ergo periculo nocituram, ait, hanc leuitatem, quod iſta acerbitas concertandi ac diſſentiendi locum aperiat cōuitiis & calumniis, qua Chriſtianorum inter ſe, quorum qui ſint timi

midiores, infectentur meliora edoctos, vt legis diuinae contemtores, hi autem illos vt ſtolidos, ſuperſtitioſos, iudaizantes: vnde ipſa doctrina Chriſti, quae largiatur iſtam libertatem veſcendi ſecure omnibus, non poſſit non venire in ſuſpicionem & opprobrium vel leuitatis, vel ſuperſtitionis; apud paganos quoque, qui, eum videant vel audiant, Chriſtianos tam acerbe inter ſeſe rixari, ſeque mutuo infectari, idque ob rem tam leuem, auide ſint arrepturi materiam praue ſentiendi & opinandi de ipſa doctrina Chriſti, cuius ſectatores tam prauo exemplo agant. Cui calumniae locum fieri ab ipſis Chriſtianis in formulam innocentem, multosque abſterreri ab ea amplectenda, ipſos quoque in odium contemtumque dari, proditorum plane ſit, certe ſtolidiſſimorum, multisque inutile modis: cum praeſertim haudquaquam in eiusmodi minutiis verſetur regnum Dei, v. 17. i. e. formula Chriſtiana, Dei voluntas per Chriſtum ſignificata, ſed in virtutibus iis, quarum ſtudium plane impediatur iſta concertandi temeritate & arrogantia: quam & Chriſti exemplo arguit, 15, 2. 3 filii Dei, non ſibi placentis, non ſemet admirantis, aut ſua obtrudentis: quid homines tandem facere oportere?

Cap. 16, 17. monet, vt caueant auctores diſſenſionum & exemplorum malorum, quippe non Chriſto, ſed ventri & commodo addictos ſeruientesque ſuo, eoque ſuam captantes vtilitatem, non aliorum, quorum ſimplicitatem deci-

piant ſpecie & aſſeueratione probae doctrinae, id eſt, lege Leuitica, quaſi neceſſaria obtrudenda auertant mentes a vera ſimplicitate, libertate, liberalitate euangelica, priuent Chriſtianos vtilitate vera, magna, exoptata, per Chriſtum parta, oblata.

Ad Corinthios prima complures habet dehortationes, iam notatas tamen ſupra in Gen. Demonſtr. quia ad *turpitudinis* rationem referebantur, maxime, non ſine *vtilitatis* ratione tamen: qua, v. c. notat impunitatem inceſti, 5, 7. quod *parua* prauitas, i. e. vel vnius rei aut hominis, quaſi fermenti particula, maſſam corrumpat totam: id eſt, quod a) ex vno delicto tolerato aliorum libido & licentia conſequatur: b) vnius mali exempli nota atque impunitas cedat in opprobrium vniuerſi coetus & corporis. Litigandi peruerſitatem, 6, 9. compeſcit *damni* iniuſtorum, arcentium ſeſe plane ac certo intercludentium felicitate coeleſti; ſcortandi libidinem, ibid. vſ. 18. quod ſemet ipſe & ipſum turpiter contaminet homo libidinoſus: coniugii expetendi nimiam cupiditatem, 7, 28—32. 1) metu curarum & calamitatum imminentium: 2) interpellationis atque auocamenti a cultu Dei, vſ. 33. ſecuritatem cibi promiſcue cum paganis capiendi, 8, 10. eadem conditione, quam notauimus modo e Rom. 14. fiduciam arrogantem & abuſum libertatis Chriſtianae, c. 10. init. Iudaeorum exemplo: & ab incongruo, vſ. 20—22. Vbi & propria adhibetur ratio inutilitatis, vſ. 28.

ab

ab ira & poena diuina, quam prouocet temeritas iſta: Coenae S. abuſum, 11, 27. 29. 30. ab ingenti *periculo*, quod non poſſit non conſequi adeo contemtim habitum corpus & ſanguinem Chriſti, morbis idem iam mortibusque repraeſentatum. Quae omnia, iam in illo Cap. notata, monendo tantum repetimus, & huc quoque reuocamus, vt *inutilitatis* quoque ratio, quae propria ſit huius loci, conſtare his *dehortationibus* Paulli intelligatur.

Cap. 15. dehortatur ab errore graui, dubitandi de reditu mortuorum in vitam. Quam diſputationem huc referre liceat univerſam, etſi verſetur in dogmate tuendo & commendando: qua conditione commodius referatur ad Locum de *Poſſibili*. Dehortatus ergo, vel dehortaturus ab iſto errore, addit, quod huc proprie & directo pertineat, periculum ac peſtem, quam moribus inferat iſta errandi prauitas: vſ. 32—34. Si mortui, inquit, non redeunt in vitam: libere indulgere licet omni voluptati, neque animum quidquam curare, vt morte omnia tollente; Epicureorum talis erat doctrina, Horatio quoque ſubinde decantata, vt Carm. 1, 4. 2, 3. rel. & noſtris, heu pudor! ita repetita, vt paganorum impudentiam vincerent. Hanc conſequi, Paullus ait, & valituram ſublato reditu mortuorum in vitam. Quid autem? dixerit aliquis: Num, ſi *corpora* non reſurgant aut reuertantur, ideo *mens* & ipſa perit, aut nil habet, quod poſt corporis mortem ipſa & ſola ſperet aut metuat? Quam non ſuperſtitem modo corpore, ſed &

meliori conditione futuram olim ſine corpore, meliores paganorum crediderint? Quid huc momenti facit corporis reditus in vitam? Nempe ex eorum errore, qui plane *negarent*, reditura in vitam corpora, vt Sadducaei, & alii proxime ex Epicuri diſciplina. His enim fons erat erroris, quod crederent, omnia omnino poſt mortem ceſſatura, immo, libidinum ſtudio, ſibi aliisque perſuadere vellent, quo ſecurius agerent, omni metu futuri demto: nec plane animum per ſe quidquam eſſe, crederent, ſed ſpiritus omnino tollerent, vt Sadducaei, Act. 23, 8. & Epicurei, Lucretio interprete, L. 2. Nam, qui paganorum generoſius ſentirent, non vtique *tollebant* reditum corporum in vitam, aut *negabant*, corpora reuiuiſcere; tantum in mentem hoc illis non veniebat, non alio errore turbatis, niſi, quod aut ſuperuacaneum menti corpus haberent, aut incommodum etiam, in meliori mentis conditione, quam fingerent, ob vitia & tarditatem maſſae corporeae: a qua etiam ſola repeterent, in qua ſola quaererent atque locarent omnem prauitatis inſitae labem: nec vero ſatis aſſequerentur, qui reuocari, diſſipatis partibus, corpus poſſet. Quos & arguit Paullus, vſ. 35. rel. partim naturae exemplis, partim Dei omnipotentia, partim corporis meliori conditione olim futura: vt ſuo loco videbimus. Ab illo igitur errore, omnia tollentium poſt mortem, reuocat monendo, quam praua, turpia, periculoſa, flagitioſa conſequantur. Omninoque auertit ab uſu iſtorum hominum, grauiter

ter compellando: nolite falli: nempe tam grauiter, tam turpiter, tam periculoſe; hanc enim vocem & alias adhibet in demonſtrando errandi periculo, vt Gal. 6, 7. poëtae etiam pagani ſententia uſus, monentis, rectos quoque ſenſus moresque corrumpi prauitate ſermonis & conſuetudinis: multo magis ergo prauos, ſi iam adſint, roborari atque augeri. Quod, vniuerſe poſitum ab auctore, Menandro forte, ad ſuam hic cauſſam confert, vetans ſociari aut nimium fidere carentibus cognitione Dei, id eſt, pietate ſenſus morisque: Quod abrumpit, cum emphaſi & ſilentio oratorio: eos intelligens, qui non modo abiudicent Deo omnipotentiam, qua nominatim valeat & mortuos reuocare ſed & omnino ferant impia, flagitioſa, Dei cultu indigna, pietati iniqua & infeſta.

Ab eiusmodi hominum, aut ſimilium, impiorum, conſortio dehortatur & 2 Cor. 6, 13. vbi vetat ἑτεροζυγεῖν impiis, id eſt, iungi imparibus, & ipſorum mori haud congruis. Ipſum iam vocabulum habet vim dehortandi: ſiue ab imparibus animalibus ductum, quae iungi aratro aut vehiculo, minime conueniat: ſiue, vt Theodoretus explicat, in diuerſa tendentibus ac nitentibus, nec pariter, aut eodem velut animo aut conſilio, trahentibus iugum aut vehiculum. Nam vtrumuis oſtendat, ſocietatis conditionem tolli atque arceri diuerſitate ac diſſenſione animorum ac morum; in qua ſociari velle, & repugnet per ipſam rei naturam, & turpe ſit ipſis at-

que periculoſum. Quorum illud, turpitudinem dico, perſequitur vſ. 14—16. oratorie ſane: id eſt, 1) per interrogationes, vehementius rem excitaturas, & abſurdum monſtraturas: 2) per partitionem, non ſimpliciter vnum ponendo, aut ſummam complectendo, ſed ſingula enumerando: 3) per antitheſin variam & concinnam, veram & euidentem, virtutis & impietatis, lucis & tenebrarum, id eſt, ſapientiae & ſtultitiae, erroris ignorantiaeque & ſcientiae, Chriſti & diaboli, templi Dei & idolorum. Quae ſic e diuerſo conſociata extrema validiſſime oſtendant & ἀτοπίαν, abſurditatem, & turpitudinem. Quid enim ſtolidius, quam, copulare velle adeo diuerſa? Quid turpius autem, aut indignius, quam, velle res ſanctiſſimas ſociare rebus foediſſimis? Et, quoniam *templum* Dei dixerat, oratorie plane vſus hac imagine, defertur ad *periculum* rei demonſtrandum. Templum enim Dei ipſos eſſe, dicit, ut 1 Cor. 3, 17. eſſe autem non poſſe, ſi ſemet inquinarint ac profanarint, inceſtarint conſortio impiorum, relinquendo vtique volentibus frui fauore, auxilio, beneficiis Dei. Quod & propheiae verbis firmat, quae & ipſa ducta ſunt ab imagine templi, in quo habitare ſeſe ac verſari Deus dicat.

Ad Galatas Epiſtola dehortatur tota fere a religioni intempeſtiua, praepoſtera, Nouo Teſtamento indigna ſollicitudine retinendae legis Leuiticae, nominatim circumſectionis: idque primo dogmaticis argumentis rei ipſius, quae

non

non ſunt huius loci: ſed & moralibus, vt 4, 9 a pudore rei tam tenuis, corporeae. externae, quam turpius repetant liberati & ſoluti a tenuitate iſta moliminum, qua inter paganos operarentur. Paganos enim hic appellari a Paullo, certe & ipſos, apparet e vſ. 8. vbi hos ipſos, quibuscum hic agat, ſeruiſſe, dicit, falſis numinibus: quorum quidem cultus & ipſe verſaretur in feſtis, ritibus, ciborum diſcrimine vel abſtinentia, veſtibus, & alia tenuitate rerum corporearum, expreſſa ad ſimilitudinem Leuiticae legis. His rurſus implicari velle, ſtultum eſſe, monet, atque indecorum: habiturum ſane aliquid excuſationis & veniae in paganis, ignorantibus Deum verum, qui ſpiritus eſſet, nec ritus externos poſceret: Act. 17, 24. 25. 29. forte & in Iudaeis, nitentibus iuſſu diuino, vtut ad tempus dato: at vero in paganis, edoctis vanitatem & tenuitatem harum rerum, ex quo ad Chriſtum ſint verſi, vel veniae habere, ſi velint reuolui ad minutias iſtas, quae vocat στοιχεῖα τοῦ κόσμου, elementa & initia, adumbrationes rerum diuinarum, a rebus externis & corporeis ductas, hominibus aptas, qui velint aut opus habeant pueriliter imbui per ſigna externa; πτωχὰ καὶ ἀσθενῆ, miſera & infirma, indigna firmioribus, inſcitiae atque infirmitatis adminicula atque argumenta, ad rem ſummam nil valitura: eaque inſuper ab ipſis relicta, repudiata, ipſorum confeſſione inutilia. Ita percuſſis pudore ac ſtoliditate rei, etiam iniquitatis machinam admouet,

quam committant & in Paullum, vſ. 12 — 16. a quo nil iniuriae paſſi, tam acerbe illum laedant, vt vltro relinquant veri formulam, ab illo tam fideliter propoſitam, ipſis tam cupide expetitam: quod & inconſtantiae leuitatisque exprobrationem habeat, nouaque dedecoris cauſſa deterreat: qua de re plura afferemus in Cap. de *Moribus*: & vero in ipſos, qui, edocti meliora, veriora, digniora Deo & homine, commodiora ac liberaliora, cupideque amplexi, vltro reſpuant, ſeque ruptis veluti catenis reddant: & plus tribuant ſubdolis hominibus, ſui tantum commodi ſtudioſis. Vnde iam tertium argumentum conficiatur, inutilitatis, & proprium huius loci, v. 17. Non honeſte, id eſt, non probo conſilio aut modo, vos ζηλῶσι, venditant vobis ſtudium in vos ſuum, curam veſtri ſimulant, quaſi nolint, vos delinquere in Deum, lege eius negligenda: quaſi vobis rem grauem neceſſariamque commendent, & religioni veſtrae ſalutique conſulant: ſed non καλῶς, non in re & cauſſa tanto ſtudio digna, ſed leui, externa, ſuperuacua, corporea; nec vero animo probo, non vera cura veſtrae ſalutis aut religionis, ſed ſubdolo conſilio, vt vos *excludant*, i. e. priuent atque deiiciant libertate Chriſtiana, auocatosque a ſumma & arce formulae Chriſtianae, compingant in vincula rituum externorum: vt vos illos ζηλῶτε, illis operam detis, illos admiremini, vt ſanctos ſcilicet, pios, religioſos, illis vos praebeatis, pareatis, eos imitemini in lege ſeruanda, curam eorum agatis viciſſim,

ciſſim, quaſi vos curantium: plane vt inutile vobis ſit, illos ſequi. Eandem improbitatem illorum & notat, & pluribus arguit 6, 12. 13. legem urgeri ab iis metu & obſequio Iudaeorum, ne ab iis vexentur ob ſinceram & ſimplicem Chriſti profeſſionem; eo maxime Iudaeis inuiſam, quod legem Leuiticam abrogaret, cui eſſent aſſueti, in qua ſibi placerent, partim faſtu, partim inertia. Inutile ergo erat, ſequi doctores, non vera docentes; quod tamen vel maxime exſpectetur ab eo, qui ſe ferat doctorem, ſed ſibi commoda. Vnde addit: ne ipſos quidem ſeruare legem, ſed eius gratiam ſibi facere: (quod & Chriſtus obiicit Phariſaeis, Luc. 11, 46.) vere, quod Comicus ait, aliis acerbos, vt ſibi ſint dulces: quod obtinerent partim, vt dixi, Iudaeorum odio declinando, partim, vt pergit vſ. 13. vt gloriarentur *carne* Galatorum: i. e. vt ritus corporei atque externi, ab illis commendati, a Galatis ſeruati, materiam illis praeberent iactandi ſeſe Iudaeis iſta religionis pompa, videntibus ſcilicet, quam cordi ipſis eſſet reuerentia legis diuinae: vana illa quidem atque inutilis, vt in ritibus verſata externis, & in nouo Teſtamento inutilibus. Aliam inutilitatem iis oſtendit & 3, 4. tanta paſſi eſtis fruſtra? Nempe incommoda ob Chriſti profeſſionem & a paganis, & a Judaeis: fruſtra omnia, ſi quidem relinquitis formulam Chriſti, partim, qui Iudaei ſitis, relabendo ad Iudaiſmum per figuras & ritus iam inanes, vt iam nihil valentes poſt Chriſti aduentum: partim, qui pagani fueritis

ritis, cultum Dei ponendo in ritibus coporeis & externis. Damnum ergo affertur tanta perpessis, quorum nunc fructu, velut fraudati, careatis. Sed grauiter addit, cum emphasi, & silentio oratorio: si quidem *& frustra:* i. e. modo vt *frustra tantum* toleraritis, neque aliud nisi fructu eorum carueritis, *irrito* simpliciter labore; quod ipsum tamen & stolidum sit, & miserum, passos esse mala ob rem, quam deinde relicturi fueritis. Sed enim vereor, inquit, vt frustra tantum: ne non fructu modo careatis, sed mala etiam sentiatis, offenso Deo per inconstantiam istam vestram, qua vere Christum repudiaritis, perinde, ac si nondum venerit. Id enim existimare & iudicare, conuenit, eos, qui velint etiamnunc retinere legem Leuiticam, seruandumque censeant, sibi aliisque iniungant; quia continet tantum simulacra *venturi* Messiae, non porrigenda vltra aduentum eius, neque vsum habitura vllum, postquam venerit. Ita simul spreueritis tot ac tanta beneficia, Christi aduentu oblata: quorum non sit minimum ista ipsa immunitas ab onere liturgicae legis, qua repetenda vosmet ipsi comeceritis sub necessitatem totius seruandae legis; 5, 3. non Leuiticae tantum aut rituum, de qua maxime & proprie loquitur haec Epistola, sed & morum; vt apparet e C. 3, 2. 10, 11. & maxime vs. 12. qui fecerit ista, saluus erit per illa; & vs. 13. vbi & Iudaei & pagani leguntur liberati ab execratione & poena legis, (quae neque ad paganos pertineat qua ritus, neque

que in Iudaeis *ritus* neglectos execratione puniat, ſed *mores* malos;) & beneficiis ornati Abrahamo promiſſis: & vero ex re ipſa; nam, qui Chriſtum reliquerit ſalutis auctorem, neceſſario alteram viam inſiſtat, per opera quaerendi ſalutem. Hae enim ſunt duae ſalutis viae, nempe *aut* haec, *aut* illa, disiuncte: Rom. 11, 6. Quod cum teneri per opera nequeat: Gal. 3, 11. Rom. 1, 17. 3, 20. ſequ. & tamen Chriſti beneficium relinquatur lege amplectenda, Gal. 5, 4. relinquitur, vt, qui ſalutem tenere altera via non poſſit, altera nolit, vtraque excluſus, ſpe ſalutis excidat omni. Quo quid peius aut atrocius contrahere ſibi Galatae poſſint? Aliud incommodum retinendae legis oſtendit 5, 3. quod circumſectione retinenda cogantur univerſam ſeruare legem, Leuiticam primo, non modo, ex parte, totam; qui enim liceat, vnam ſeruare partem, velut excerptam, reliquis neglectis, quae tamen & ipſa praeceperit idem Deus? Iac. 2, 10. 11. verum etiam ex natura & conditione circumſectionis, quae primum eſſet praeceptum huius legis, Abrahamo ſolum & prae omnibus datum praeceptis, fundamentum, vinculum, auctoramentum & praerogatiua omnium rituum ſeruandorum, quos non poſſent non omnes ac ſingulos iniungere ſibi circumſecti: ſed & *morum* deinde legem; vt iam diximus: atque adeo multo magis, quo ſit grauior, Deo & homine dignior, & per ſe neceſſaria magis: cuius neceſſitate hactenus tantum ipſi ſoluantur Chriſtiani, vt ne; ſeruanda illa ſaluos

prae-

praeſtari, neceſſe ſit; quod per Chriſtum teneatur. Cur enim ſeruarent rituum legem? Quiane Deus vellet? An, vt illi probarentur? Multo ergo magis per morum ac virtutis legem. An, quod nondum veniſſet Chriſtus? Atqui venerat; quod non credentibus neceſſe eſſet vnice amplecti conditionem legis ad ſalutem ſeruandae, vt ſolam, ſine ſatisfactione Chriſti, relictam. In iſtos ergo laqueos ſeſe induere, quam incommodum, quam moleſtum erat, qua ritus! quam periculoſum autem, qua morum legem? Tandem 6, 9. damnum & periculum monſtrat per eandem ſententiam, qua & 1 Cor. 5, 6. eſſet uſus, de fermento exiguo maſſam imbuente totam. Quam vt ibi de moribus, ita hic de doctrina ponit, cuius vna pars corrupta, ea vtique, quae ad ſummam caputque referatur, facile & cito, leuplane momento, reliquas trahat. Nam &, illi neceſſitate legis admiſſa, alius error multiplea admittatur: faſtus ex operibus ſumendi, conx temnendae ſatisfactionis a Chriſto praeſtitae, repudiandi beneficii diuini, Gal. 2. extr. 5. init. pietatis in rebus externis ponendae: vnde Iudaeorum exemplo oriatur negligentia habitus interni & veri animi morisque: &, qui ſemel ſibi permiſerit addere aliquid ad formulam a Deo & Chriſto propoſitam, aut demere inde, ſane & alia ſibi permiſerit: quippe fundamentis ſolutis & labefactatis vnice ſequendae ac retinendae voluntatis & auctoritatis diuinae: quo velut obice remoto, omnis licentia humanorum commento-

rum

rum irrumpat. Quod ita factum, & illorum, & ſequentium temporum uſus docuit, & horam temporum docet. Eodem

Cap. 5. vſ. 15. auocat a diſcordiis & acerbitate diſſenſionum & litigandi: eleganti ſane imagine, ſed graui: quam intendit incremento & cumulo: ſi vos, ait, mutuo a) mordetis, rixando, vt ferae, b) deuoratis, partim nocendo, per iniurias, partim depauperando, per lites: cauete, ne ad extremum plane c) abſumti pereatis, tranquillitate amiſſa, fortunis excuſſi & euerſi, diſcordia diſſipati. Litigaſſe enim Galatae inter ſeſe videntur, vt Corinthii, 1 Cor. 6. init. ferocia etiam, genti Gallorum inſita, ſtimulante.

Ad Epheſ. 4, 25. ſequ. dehortatur a variis vitiis, vt breuiter, ita grauiter: vt a mendaciis, vſ. 25. ea de cauſſa, quod ſimus alter alterius membra; neque enim congruere, aut, ſi poſſit, vtile fore, vt membrum corporis alterum fallat, verumue celet: tanquam, ſi oculos celet aut mutet viſa, aut auris, quae audiuerit, vt manus, pedes, caput errent, offendant, laedantur: aut, ſi odoratus vel guſtatus ſinat ventri inferri corrupta, nocitura: quid aliud, niſi corporis interitum ſecuturum? Nititur autem haec argumentatio illa doctrina, quam adhuc expoſitam firmaſſet, de vnitate & conſociatione Iudaeorum & paganorum ſub vno capite, Chriſto: 4, 5. 6. 13, 16. Ab iracundia, vſ. 26. ne ſolem occidere patiamur, dum iracundia efferamur: id eſt, vt cito deponamus iram ſuſceptam: metu, ne, pertinacius

cius ei inhaerentes, interim morte intercipiamur; cum ſit incertum, an poſterum diem videamus, ac ſic moriamur animo infeſto: quod nos plane & certo arceat a vita aeterna. Quae dehortatio Paulli pertinet non ad *moderandam* modo iram & contrahendam, ſed plane ad *deponendam*, atque adeo plane *non ſuſcipiendam*. Quod partim ex eo patet, quod ait: iraſcimini, & non delinquite! Quod quis tandem praeſtet aut moderetur? Melius ergo aut non iraſci omnino, neque excandeſcere, aut, ſi hoc non ſiuerit vel ingenii violentia, vel acerbitas iniuriae & doloris, ſtatim reprimere. Nam alibi negat, hominem iratum ea facere, quae Deo probentur. Et, ſi occidere ſol iratis non debet, ob incerta vitae: num *interdiu* tutior vita eſt nobis, ante occaſum ſolis? Nec leue eſt argumentum vſ. 27. quo vetat locum & materiam dari, per iſta & alia flagitia, calumniatori & conuitiatori; id enim hic ſign. διάβολος, vt 1 Tim. 3, 6. 7. Quod criminationis malum, non dubium eſt, quin & grauiſſimum ſit, cum ipſis; quid enim grauius, quam rumore aduerſo flagrare, cum bona fama nihil ſit prius? tum doctrinae Chriſti, a cuius profeſſione auertant exteros, ſi viderint tam turpiter viuentes Chriſti aſſeclas: Deum quoque Chriſtum & Spiritum S. (vſ. 30.) offendant, criminationi vitiisque obiicientes eius maieſtatem atque doctrinam: Rom. 2, 24. ex quo non poſſit non grauis in ipſos commoueri & recidere ira & poena Dei: ſed & certiſſimum ſit

ma-

malum, cum per rei naturam, quam probare nemo possit, quam ipsi auersentur pagani: tum e paganorum studio, notandi atque insectandi, quidquid in Christianis deprehenderint vitiosi: ut quos non vna de caussa oderint: inuisum denique ipsis, & quod vltro declinent; quis enim aequo animo tulerit, aut se, aut suos, aut professionem sectamque suam conuitiis proscindi, seu falsis, seu, multo magis quidem, veris? Sed quam grauis ista ratio est, qua vs. 30. & a sermonum obscenitate, & ab aliis omnino flagitiis, auocat, terrore incusso: ne dolore afficiatis Spiritum S. quo estis obsignati ad diem liberationis! Multiplex ille quidem terror, grauis idem: siue eum spectes, qui offendatur; (id enim hic est λυπεῖν· neque aliter digne Deo explices: & Latini *dolorem* pro iniuria ponunt, vt effectum pro caussa:) Spiritum S. ergo, Deum ipsum ac verum; quis enim sit, qui aut offendi possit, aut quem offendere tantum terroris habeat? eumque datorem tanti muneris, quale hic describit: quo estis obsignati: i. e. quo dando Deus vobis firmam fidem dederit, quo pignore spem obstrinxerit felicitatis aeternae, in diem liberationis, vt hanc consequamini, & sciatis, vos consecuturos, eo die, quo Christus veniat, vos ab omni malo liberaturus: siue ergo illa munera & beneficia spectemus, quae, a Deo data, Spiritu S. firmata, quorum doctorem Deum, fideiussorem Spiritum S. tam proterue spernamus: vtrimque periculum ostendatur, & Deo offenso, &

tantis beneficiis Dei ſpretis, quorum copia nos per id ipſum priuemus, quae tamen & ſumma eſſe, ſciamus, & cupidiſſime expetamus. Nec minus 5, 5 — 13. auertit ab improbitate, praefracte abſciſſa omni ſpe ſalutis, per formulam: hoc ſcitote, ſic habetote! vſ. 5. &, qui diuerſum perſuadere iis velit, ab illo decipi eos, ait, ſermonibus vanis ac falſis, (neque enim, alias hic intelligi, tenor patitur;) vtique enim propter illa poenam Dei ingruere & effundi in *υἱοὺς τῆς ἀπειθείας*, impios, contumaces, paganos: de quibus aperte ſatis loqui videtur vſ. 11. 12. & iam vſ. 8. cum dicit: eratis olim tenebrae, id eſt, pagani, (2, 12.) errore caeci, prauitate foedi, miſeria ſepulti, vt nocte & tenebris. Quare, cum iam paganos oderit puniatque Deus, ob iſta flagitia, Chriſtianis quid faciet, meliora edoctis, tanto beneficio decoratis? Enthymema hoc eſt, non rem ipſam dicens, ſed ex effectis cauſſam & naturam colligere iubens ac monſtrans: neque enim bona eſſe poſſe, quae iam in paganis puniat Deus. Eadem, iisdem paene verbis, adhibet & Coloſſenſibus dehortandis, 3, 5. 6. Vbi & ab auaritia nominatim eo nomine dehortatur, quod ſit idololatria; quia auarus non modo aurum argentumque colat, vt pagani ſimulacra deorum aurea atque argentea, ſed & nihil videat, nihil amet, nil curet, nil expetat, nil per ſe, aut in quoquam, magni faciat, praeter pecuniam, omnia officia, fidem, iusiurandum, ipſam religionem, auro venalem habeat: plane vt nil

at-

attineat, ab idolorum cultu liberatos, ſi alii idolo, pecuniae, totum animum ſuum addixerint. Eorundem flagitiorum foeditatem & (Eph. 5.) vſ. 12. arguit, *dictu* quoque nefanda dicens: quanto magis ergo factu atrocia! Ita ab ebrietate abſterret vſ. 18. quia in ea, (non in vino ipſo, ſed ἐν τῷ μεθύσκεσθαι, quo refertur ἐν ᾧ,) ſit ἀσωτία, vita perdita, diſſoluta, non frugi, non bonae ſpei locum relictura, (cum & inſanabilis fere ſit,) aut famae, aut rei: ut actum ſit de tali homine nec ſiſti poſſit. Quid terribilius ad dehortandum aut grauius vno illo vocabulo poneret?

Phil. 3, 19. dehortatur a ſequendis & imitandis Iudaeis, vrgentibus legem rituum, maxime circumſectionis. At quam grauiter, paucis verbis! Primo per Enthymema: cum *lacrymis*, cum dolore intimo, nominari iſtos a ſe & notari, ait. Quam acerbos eſſe, conueniat, quam omni modo vitandos, quos ne appellare quidem ſine dolore aut fletu poſſit! Hoſtes vocat cruci Chriſti, ſummae & capiti Chriſtianae doctrinae, quam plane euertant vrgenda lege Leuitica, quam morte ſua aboleuerit Chriſtus, redditis omnibus figuris & adumbrationibus, quibus qui etiamnunc locum faciant, nil aliud, niſi negent, Chriſtum veniſſe, aut pro nobis mortuum eſſe; quo errore nil poſſit eſſe pernicioſius. Ventrem eos habere Deum, dicit, omnia referre ad commoda terreſtria, & lucrum turpe, a Iudaeis captandum: vt & turpe ſit, imitari tantam illiberali-

ralitatem, & periculi plenum, fidere ſuſpectis ob lucri cupidinem: In dedecore eos quaerere laudem, in pudendis partibus, ex circumſectione nunc plane dedecora, ſine lege Dei, quae nunc ceſſet: Quod vltro arceſſere dedecus, inutile certe ſit multis modis: Quorum hominum ſenſus ac ſtudia, inſeruientia rebus externis & corporeis commodis, plane abhorreant a ſenſu vere Chriſtianorum, coelo adſcriptorum, vbi nulla ratio ſit futura rerum corporearum: vbi ipſum hoc corpus, infirmum, abiectum, melius ſit redditurus Chriſtus: quod dehoneſtari ritibus, nunc vanis, quaſi neceſſariis, inutile ſit plane & contrarium ſpei & conditioni talis vitae, vbi & alia ceſſatura ſint, multo hic potiora circumſectione: nedum vt haec, tam inutilis, arceſſatur. Qua conditione & initio Capitis illam, vel ea notatos vocat *κατατομὴν*, mutilationem: qualis eſt ſane per ſe, & manet vtique, deſtituta conſilio iuſſuque diuino. Eius autem patronos vſ. 2. vocat *canes*, homines impudentes, auidos cibi a Iudaeis expetendi: *malos operarios*, vacantes rebus vanis, inutilibus, indecoris: idque ipſum dantes non aliorum vtilitati, quae nec ſit vlla, vtut credita, excuſare forte vanam operam poſſit, ſed ipſorum tantummodo commodis. Suo idem exemplo docet, iacturam ſibi videri omnem illam pompam rituum, quin ſordes, purgamenta, quisquilias, ex quo ſit Chriſtum amplexus. Grauiusne notare potuit inutilitatem ſummam? aut certiorem eandem ob oculos po-

nere

nere, qui ipſe antea & abundaſſet omnibus iſtis, quae ſumma viderentur Iudaeis, & plurimum iis ipſe tribuiſſet; quae nunc tam friuola, tam nullius plane vſus agnouiſſet? Eadem, vt inania, repudiare & Coloſſenſes monet, Col. 2, 17. *vmbram* vocans, nempe rerum ſolidarum, noui Teſtamenti; vmbram autem ſectari, & ita ſectari, vt rem & corpus admittas, & turpe ſit, & inutile. Et vſ. 22. corrumpi iſta omnia, dicit, nempe cibos, & alia corporea, vſu abſumi, nec poſſe pertinere ad ſummam & vim religionis, aeternum valiturae; inane ergo eſſe, iſtis operari.

Col. 3, 21. parentes dehortatur ab acerbitate in liberos, ne liberi ἀθυμῶσιν, i e. ne, timore fracti & perculſi, abiiciant omnem ſpem conatumque probandi ſeſe parentibus, vbi videant, ſe nihil probare poſſe: quin etiam, deſperatione odioque exaſperati, ad contumaciam, libidines, facinora protrudantur. Ingenti ſane malo terret, triſti, parentibusque inuiſo, nec minus certo, vt rei natura docet: quo nil ſane minus, ſiquidem ſapiant, parentes velint.

1 Theſſ 4. auocat a varia prauitate: a ſcortatione, vſ. 3—5. partim, quod Deus vetet; noxia autem per ſe ſunt, quae Deus vetat: &, offendere Deum, per ſe nocet: partim, quod Chriſtianos dedeceat, cum pagani, Deum ignorantes, ob id ipſum in eiusmodi flagitia ruant: Rom. 1, 26. ab auaritia & fraude, poenae & vindictae diuinae metu incuſſo: & omnino ab omni

labe morum, quod non ſint ea conditione vocati, i. e. Chriſtiani facti, vt impure, ſed vt ſancte viuerent: cui deeſſe conditioni, & turpe ſit atque incongruum, & vero nociturum, quia ſic Deus contemnatur, cuius vim ita irritam reddant: inutiliter, vt bonis ſeſe fraudantes: noxie, vt malis ſeſe induentes & culpae & poenae. Ab inertia & deſidia, vſ. 9. partim ignominiae metu ad paganos, cum contemtu odioque Chriſtianae doctrinae, inde redundaturo: partim egeſtatis, deſidiam ſecuturae. Ab eadem foeditate reuocat 2 Theſſ. 3, 10—12. partim eo nomine, quod ne victu quidem vel cibo digni ſint deſidioſi, partim, quod vti nequeant ſuo victu, proprio, opera ſua quaeſito, velut iis debito, ſed cogantur aliena viuere quadra, precario vti victu. Quo quid miſerius? aut quid turpius illi, qui meliore conditione agere poſſit, quam ſua ſibi culpa intercidat? Alio metu eosdem terret, vſ. 14. cum iubet, tales homines ſibi ſignificari, & congreſſum eorum declinari. Qua ignominia & miſeria quis non moueretur? Et 1 Theſſ. 5, 4—7. omnia iſta abigit tempore & conditione, in qua agant; quam *diem* vocat, vt Rom. 13. id eſt, tempus cognitionis, puritatis, alacritatis: abiiſſe tenebras ignorantiae, erroris, foeditatis, deſperationis; quibus liberatos, flagitioſe agere non deceat, nec proſit.

Ad Timoth. 1. vt cohortationes continet plurimas, ita non dubium eſt, quin & dehortationes. Quas tamen, quia iam ſimul notauimus

inter

inter illas, vt iis intertextas, hic omittere liceat: tanquam, quod 3, 6. vetat, epiſcopum eſſe nouitium Chriſtianum, ne a) ſuperbiat amplitudine prouinciae tam cito mandatae, b) maledicis & conuitiatoribus locum praebeat: vnde duplex incommodum oſtendatur, idque & magnum ac noxium rei ſacrae, & certo euenturum. Cap 5, 11—13. grauiter diſſuadet, iuniores viduas adhiberi miniſteriis eccleſiae, vel diaconiſſas creari. Moderato quidem vocabulo vtitur, παραιτοῦ, deprecare eas, abſtine iis, noli illas recipere, ne petentes quidem, aut commendatas. Id diſſuadet grauibus argumentis, demonſtrantibus, inutiliter iſtas legi, vbi καταστρηνίασωσι τοῦ χριστοῦ, i. e. vbi laute vixerint & commode ex eccleſiae bonis vel collectis Chriſtianorum, ad eas ſuſtentandas: quod iis largiatur eccleſia Chriſti cauſſa, vt fidelem operam edant in Chriſti coetu, ad Chriſti honorem: vnde ait: vbi luxuriatae fuerint *contra Chriſtum*, quaſi in fraudem Chriſti, in contemtum eius atque ignominiam, ſumtibus eccleſiae Chriſtianae, quibus abutantur. Hoc ipſum oſtendit inutilitatem earum legendarum, quia non ſint operam praeſtiturae, ſed tantum commode victurae ad tempus, ſumtu publico atque alieno, deinde prouinciam relicturae, & veluti ſtatione deceſſurae, ſimul amor eas inceſſerit coniugii repetendi: Quod alterum eſt incommodum; non, quod nubere velint; id quod nemo vetatur: Rom. 7, 3. 1 Cor. 7, 39. ſed, quod relinquant ſtationem diaconalem, celeriter

forte & subito, per breue tempus administratam: vt aliae subinde in earum locum sint circumspiciendae; quod molestiam habeat & iactationem perpetuam, nec patiatur vnquam satis solide rem consistere aut tractari: cum praesertim eiusmodi homines, qui alii vitae immineant, perfuncto rie fere deproperent munus suum. Illas autem, Paullus ait, non modo non vacare muneri suo, segniter illud agere, vt propediem relinquendum, verum & praua agere, discursantes per domos: vbi per nugas & famigerationes (Klätscherey en,) non modo tempus perdant sibi aliisque, sed & famae noceant aliorum: vt, quas hodie, ab inani pietatis pompa, Betschwestern, vocamus, Galli *dévotes*, non multum fere alias ab his, quas vocant Stadtklatschen. In hoc loco, fateor, temperare mihi vnquam me vix potuisse, quin pro μανθάνουσαι, quod & sensum, *exercendi* & structuram cum participio pro infinitiuo, (περιερχόμεναι pro περιέρχεσθαι,) impeditiorem, legendum putarem, λανθάνουσαι. Ceterum hoc ῥήμα earum vocat, quod sustineant; non damnationem, nec poenam aeternam, sed opprobrium, crimen, notam inconstantiae atque leuitatis, quod mutarint & fefellerint πίστιν, priorem fidem ecclesiae datam, quasi a mansuris in ea statione.

Eod. cap. vs. 22. Timotheum dehortatur a celeritate & leuitate inaugurandi muneri sacro, ne veniat in societatem culpae alienae, nempe, si cooptarit indignos, munus gesturos male,

aut

aut imperite, aut perfide: non habituros materiam aut locum male agendi, nisi Timotheus admisisset: cuius culpa peccetur, quidquid deinde male gesserint. Quod vtinam omnes munerum arbitros terreat atque aduertat!

Ab inanibus controuersiis dehortatur 6, 4. ostendendo incommoda ex illis consecutura & redundatura: inuidiae, dum alienae auctoritati obtrectent, suam vnice valere sententiam cupientes: litium & conuitiorum, quibus haud facile careant controuersiae, eae vtique, quas omnium maxime deceat, Theologicae: suspicionis improbae, dum alter alterum suspicatur officere ipsius dignationi, aut aliquo errore imbutum, graui ac pestifero, laborare, & summae religioni nocere velle; temporis operaeque frustra pereuntis, παραδιατριβῶν, disceptationum scriptorumque de rebus inanibus ac superuacaneis: lucri amorem, non tam consequentem istas concertationes, quam praecedentem, comitantem, fouentem, excitantem: quod & Paullus demonstrat, istas παραδιατριβὰς esse hominum perditorum, vel corruptorum, i. e. imperitorum doctrinae summae & verae, non veri studiosorum, sed suae gloriae commodique, praedicari volentium ex istis contentionibus, vt lucrum capiant ab his, quibus placere & obsecundare cupiant: aut etiam sectatores auditoresque abstrahere ab aliis, forte &, sicut hodie, ditari libris de re noua & paradoxa scribundis. Tota haec Paulli disputatio, vna cum superioribus, luculenter ostendit,

quod iam Salomo deprehenſum monuit, nihil admodum aut omnino noui accidere in rebus humanis, neque alios aut fuiſſe hominum mores, aut fore, quam ſint, aut fuerint. Sed enim, praeter ſuperbiam, (quam notat vſ. 4. vocabulo τετύφωται, ſuperbia plenus tumet,) ex auaritia quoque & lucri ſtudio gigni, monet, tales diſſenſiones. Vnde ab auaritia grauiter dehortatur, vſ. 9. 10. radicem vocans mali omnis, effectricem, fontem, originem. Quid enim eſt, *quo non mortalia pectora cogat auri ſacra fames?* Aut quod officium non eſt auro venale? Aut quo malo non obruitur amans appetensque diuitiarum, vel, vt elegantiſſime loquitur Paullus, ſemet περιπείρει, quaſi aculeis, aut ſpinis, vndique configit, dolorem, vulnera, periculum quoque ſibi infert? A *ſpinis* maxime ducta metaphora eſt, quibus itidem auaritiam Chriſtus confert in notiſſima illa imagine, Matth. 13, 22. Luc. 8, 14. quoad ſegeti officiant: quibus ea conditione Paullus vtitur, qua per illas incedens *vndique* configatur. Quod committere quam ſit turpe, quam demens, quam noxium, clare monet vſ. 9. *dementes* vocans cupiditates & *noxias*, demergentes in perniciem, velut in mare profundum. Ita noxium oſtendit morem iſtorum, & ſi qui ſint iis ſimiles: plane vt ſolent eloquentes: partim ex *cauſſarum* natura, turpi & noxia; arceſſit enim ex ſuperbia, vſ. 4. ex ignoratione, ibid. Plerumque enim nil coniunctius inuenitur faſtu & inſcitia: vnde & participio vtitur

Paul-

Paullus, μηδὲν ἐπιστάμενος *cum* nihil intelligat: e ſtudio rerum inanium atque inutilium: eleganti rurſus verbo vſus, νοσῶν, quaſi morbo laborans illarum ſtudio: ſicut Philoſophi, maxime Stoici, πάθη, *morbos*, vocabant animi motus: Cic. Tuſc. 1. ex auaritia, vſ. 10. quam, per locum communem, vel ſententiam, diſerte plane & appoſite, omnis mali radicem vocat: partim ex *effectorum* foeditate & inutilitate, vſ. 4. 9. 10. contentionum; quas eodem conſilio memorat 2 Tim. 2, 23. inimicitiarum, odiorum, vſ. 4. cupiditatum, & ſtolidarum, & noxiarum, vſ. 9. dolorum, vſ. 10. quin plane abiiciendae fidei & religionis, quam & ipſam auro habeant venalem auari. Sed

Ad Ebraeos maxime Epiſtola ſicut tota eſt compoſita ad conſtantiae cohortationem, ita a defectione grauiſſima dehortatur: initio iam facto 2. 1 — 4. per parentheſin: vbi argumentatur progrediundo ex minori ad maius: ſi Moſaicae legis, angelorum tantum miniſterio promulgatae, violatio nulla impune eeſſit: quanto minus euangelicae formulae contemtus, a Chriſto propoſitae, Deo, Domino, angelis potiori! (1, 3) Eadem eſt ratio 10, 28 — 31. Moſis legem qui violauerit, ſine miſericordia interficitur. Quid futurum, *cenſetis*, illi, (ad *ipſorum* exiſtimationem prouocat: ipſos iudices facit:) cenſetis ergo, ipſi exiſtimatis, euenturum illi, qui non Moſen, non hominem tantum, ſed Dei filium, non neglexerit tantum, ſed & proterue procul-

ca-

carit, proterue, ceu vilem hominem, ſpreuerit, contumeliis proſciderit, vt leuem & vanum; qui ſanguinem ipſius, quo formulam nouam ſanxerit, non doctrina tantum, ſed & morte, neque ea ſimplici, ſed acerba, cruenta, eaque tam ſalutari, innocentiae ſanctitatisque cauſſa effectrice, talem ergo ſanguinem non ſpreuerit tantum, ſed profanum plane duxerit, quaſi a malefico effuſum: qui Spiritum S. fauoris diuini teſtem, non ſpreuerit tantum, ſed contumelia inceſſiuerit, omnia beneficia eius, omnem efficientiam ſalutarem, omne auxilium, irritum reddiderit, velut irriſum, vano conatu, reiecerit, omnibus praeceptis ac praeſidiis eius, aduerſatus conſulto, illuſerit atque inſultarit. Ita grauius omni Demoſthene, ob oculos ponit & culpae ſcelerisque acerbitatem atque atrocitatem, partim ex faſtigio eius, in quem committatur, Dei ipſius filii, coelitus delati ac locuti, (Ioh. 3, 13. 31.) vt 12, 25. ait, in eiusdem rei contentione; cum Moſes tantum fuerit ἐπὶγῆσ, id eſt, ἐκ γῆς, homo ſimpliciter, in terra vnice natus & agens, non e coelo delatus, vt Chriſtus, qui ſane & ipſe fuit ἐπὶ τῆς γῆς, *in* terris egit, ſed non venit *ex terra*, vt Moſes aliique prophetae, quorum inde nemo dicitur *a Deo*, multo minus *a Patre*, *egreſſus*, vt Chriſtus, Ioh. 16, 27. 28. nec *veniſſe* in terram, vt Chriſtus, ibid: & al. vtut *egreſſi* ἐις τὸν κόσμον, *inter homines*, dicantur doctores ſimpliciter, 1 Ioh. 4, 1. Partim probat ex beneficiorum magnitudine, quae ſpernatur,

tur, tum ex facinoris proteruia, valentiſſimis vocabulis deſignata, & poenae grauitate & ſumma, & vero certiſſima, e comparatione Moſaicae legis. Atque grauior Emphaſis, aut plane terribilior, addi potuit verbis illis, vſ. 30. *Nouimus eum*, qui dixerit: *mea* eſt vindicta; *Ego* poenam reddam. Nouimus illum, inquit: quem non nominat, quo validius cogitetur Deus, & potens, & iuſtus ac ſeuerus, & verax, tam terribiliter minitatus, & certo facturus: &, terribile eſſe, incidere in manus, in poenam ineuitabilem, grauem, Dei *viui*, veri, efficacis, validi. Iudaeorum idem exemplo terret, c. 4. init. de quo ſupra iam dictum eſt. Omnium vero grauiſſimus terror eſt, quem incutit C. 6, 4 — 8. ἀδύνατον pronuntians, fieri non poſſe, difficillimum certe eſſe, vt reſipiſcant, qui conſulto defecerint a doctrina ſemel probata. Quem tamen reſeruamus locum, qui exemplo luculentiſſimo inſtruat locum de *Poſſibili*. Eſaui exemplum hic addamus, 12, 16. 17. Quem primo vocat βέβηλον, profanum, quia, vt ipſe addit, pro cibo, quem, cum vera Emphaſi, vocat *vnum*, ſemel veſcendum celeriter, in momentum horae oblectaturum, nil deinde iam profuturum, cum iactura rei illo cibo emtae perpetua foret & grauis: pro vno igitur cibo, breui & cito abituro, vendiderit iura primogeniti, *ſacroſancta* illa, diuinitusque ſacrata, ad familiam prodendam, regendam, ſacra quoque pro ſacerdote tuenda. Cuius ſimiles eſſe, ipſa illa appellatione vetat.

Pro-

Profani enim sunt, qui pro leui commodo temporario, mox abituro, in breue tempus oblectaturo, perdant fauorem Dei & spem salutis inaeternum: sicut Esauus nunquam deinde vertere potuit, vt Isacus in ipsum transferret promissa prophetice in Iacobum collata. Quippe haec est illa *μετάνοια*, cuius *τόπον*, locum, conditionem, facultatem, copiam cum lacrymis quaesitam inuenisse, nactus esse, negetur Esauus. Quanquam & Esaui ipsius poenitentia intelligi possit, redire quaerentis, veluti postliminio, in primogeniti iura, & in integrum restitui. Sed illam suam ipsius poenitentiam dici nequeat Esauus ipse cum *lacrymis expetisse*. Motus enim animi *tui* est poenitentia: quam si cum lacrymis *quaeras*, iam profecto sentias: vt tunc Iacobi magis retractatio sit intelligenda. Quae tamen si vel maxime intercessisset; mutare Isacus non posset diuinitus praedicta, aut Iacobo destinata bona in Esauum deriuare; Deo quippe vetante; nempe, ne ista beneficia cederent in Esauum: non vtique, ne hic primogenitus esset: quae ipsius Esaui culpa esset: & ipsa tamen irretractabilis, & leuitate animi vituperanda. Quare illam teneamus retractationem, quam a patre quaesisse *lacrymabundus* legatur Gen. 27. 36. 38. Hactenus ergo Esaui exemplo terret defectores, multo periculosius illo peccaturos, & in re maiori, & culpa grauiori: Quae sane leuior erat Esaui culpa, multis quidem nominibus & rei leuioris, & animi, hac quidem in caussa, minus improbi; & ipsius Dei, volentis, ista cede-

re

re in Iacobum; Quae contra ſunt omnia in defectione a Chriſto; vt ſimilis tamen ſit a) leuitate animi, b) rei tenuitate, videtur, c) nulla ſpe aut conditione reſtituendi in integrum. Ita & turpitudinis & damni metu terret ac dehortatur. Nam & ſtolidum ac turpe eſt, ac plane impium, Deum ipſum ſpernere ob rem tam leuem, & abiicere irreuocabiliter felicitatem aeternam, ſummam, pro iſta commodorum terreſtrium exilitate & breuitate; quod, dubium non eſt, quin & periculoſiſſime faciant defectores. Quos & 10, 26. 27. terret neganda conditione expiandae culpae, quia ſibimet ipſi piaculum non relinquant, ſpreto illo ac reiecto, de quo nimirum diſputaſſet in illa Epiſtola; quod neceſſario, & per ipſam rei naturam, irritum in ſe reddant defectores, quia id ipſum ſpernant atque reiiciant, quod pro iis praeſtiterit Chriſtus. Nempe ἁμαρτάνειν hic eſt, quaſi per Emphaſin, & κατ' ἐξοχήν, *deficere* a formula & profeſſione Chriſti: vt 3, 13. ἀπάτη τῆς ἁμαρτίας ſignificat illecebras ad defectionem ſollicitantes; partim in animo, per dubitationes & cupiditates, partim rebus externis, per commoda aut incommoda, Chriſtum profeſſis oblata, deficiendi praemium: quam ibidem vocat ἀπιστίαν, vſ. 10. manifeſto interpretatus ipſe, ἐν τῷ ἀποστῆναι ἀπὸ θεοῦ, quae ἁμαρτία nempe poſita ſit, ſe oſtendat atque exſerat in defectione a Deo & Chriſto. Hanc qui commiſerit, per ipſam rei naturam & conditionem in ſe irritam reddiderit

ſa-

ſatisfactionem Chriſti, praeter quam, vt ſemel & pro omnibus peractam, in omne tempus valituram, nec peragatur alia, neque adſit omnino, aut per ſe, cum una ſit, deſtinata, reddita, ſuffectura, aut ei, qui illam repudiarit, carituras illius fructu, neque alia ſacrificia habituras, cum illa priora & euanuerint per Chriſtum, nec tamen per ſe quidquam, vt vmbra, valuerint: quod multis antea diſputaſſet, 9, 9. 10. 10, 1—9. ne quis de Iudaeis tantum interpretetur, non vſuris amplius ritu ſacrificandi, quippe & ante Meſſiae aduentum, cum Deo tamen iubente peragerentur, inutili per ſe atque inualido expiandis culpis, figuram tantum habente vnicae illius expiationis per Chriſtum reddendae, pro omnibus valiturae, non Iudaeis tantum: Rom. 3, 21. Ebr. 9. 26. 1 Ioh. 22. Ioh. 11, 52. Quid ergo relinquitur contemtoribus ſacrificii eius? Nempe terribilis exſpectatio poenae, peruicaces abſumturae. Tam potenter reuocat a defectione voluntaria atque peruicaci, & ſalutis ſpem intercidendo, & interitum denuntiando. Nec minus, breuiter quidem, & cum magna Emphaſi, a ſcortatione & adulterio, 13, 4. *Deus*, inquit, puniet ſcortatores & adulteros: Deus ipſe; quandoquidem homines iſta fere negligunt, cum in alia diligentius & ſeuerius animaduertant: Deus *hos* puniet, quaſi praecipuos, eximios, velut unice, maxime commeritos. Ibid. ſqq. 9. dehortatur ab inani rituum ſtudio; diſerta *inutilitatis* mentione, negans, quidquam illos tractantibus profuiſſe:

&

& vſ. 17. a peruicacia in doctores: partim acerbitate & iniquitate, ne cum gemitu faciant opus muneris ſui, tam graue, tam moleſtum, tam periculi plenum, tam ſancte a Deo mandatum, cum conditione rationis reddendae; tam ſalutare nobis, & conſilio, & efficientia: cum animi noſtri curam ſuſtineant, vt vigiles & excubitores: partim periculo; quod per extenuationem affert, ſed rei augendae: *inutile* vobis eſt, i. e. perniciosiſſimum. Ita & Cicero: multis modis *inutile*, i. e. nociturum, peſtiferum; & Germani, nicht gut, gratius etiam innuentes, quam, eum directo *malum* dicimus.

Ita defunctis fere *deliberatiui* generis tractatione, notentur quaedam uniuerſe, immo colligantur, ex iis tamen, quae ſingula diſputauimus, de *modo*, quo hortari ac dehortari ſoleat Paulus: Qui

1) ſuperſtruit cohortationes vel dehortationes velut fundamentis doctrinae, vel ex inſtituto tractatae, vel commotae obiter & commemoratae. Quod fecit in doctrina vel diſputatione de ſalute per Chriſtum parta, & liberatione a neceſſitate ſalutis tenendae per legem; Rom. 6, tot. 8, 12 — 15. & latius Capp. 12 — 15. de repudiatis Iudaeis & admiſſis paganis, 11, 17 — 24. de aduentu Chriſti, 13, 11. ſequ. de lege Leuitica Chriſto ſuſcepta, & paganis diuino fauore beneficioque impertitis, 15, 7 — 14. de reditu Chriſti, mortuorumque in vitam, 1 Cor. 15. extr. 1 Theſſ. 4, 13. & 18. liberatione atque im-

munitate legis Leuiticae, Gal. 5, 13. rel. 6. 16. de Iudaeis & paganis reuocatis & consociatis sub unum caput Christum, Eph. 4, 1 — 7. 17. rel. & c. 5. 6. extremo aduentu Christi, 1 Thess. 5, 4. sequ. persona & maiestate Christi, Ebr. 2, 1. rel. 12, 25. beneficiis ab illo sperandis, 3, 7. sequ. 4. init. de satisfactione eius piaculari, 10, 19. sequ. de natura & virtute fidei, c. 13. tot.

Quin & consulto breuiter praemittit praecepta dogmatica, quibus superstruat morum praecepta: vt 1. Cor. 8. init. doctrinam de vno Deo & domino, vt ostendat, quid de idolothytis statuendum & obseruandum sit 1 Cor. 11, 23 — 26. de origine & institutione diuina Coenae S. vt cohortetur ad eam reuerenter habendam, & ab eius contemtu absterreat: ibid. vs. 3. de comparatione mulierum ad viros, virorum ad Christum, Christi ad Deum, vnde arcessat decorum velandi vel non velandi capitis inter publica sacra & preces: de vnitate & efficientia Spiritus S. 1. Cor. 12. init. vt sciant Corinthii, aliique, quo loco habeant eius dona, quomodo iis utantur: de sacrificio Christi piaculari & morte eius extra urbem, Ebr. 13, 10 — 13. vt moneat, similiter excedere coetu impiorum, nec vereri, eius caussa, velut impuros, ad mortem duci. Nempe illic, in priori conditione, praecepta subiiciuntur doctrinae propter ipsum propositae; hic doctrina praeceptis datur, & eorum caussa praemittitur.

2)

2) *grauiter* cohortatur ac dehortatur: id est, ita, vt ostendat, rem esse grauem, *magnam*, necessariam, nullo modo deprecandam, pertinentem ad Dei maiestatem, ad ipsorum felicitatem. Hoc, quia tenetur explicanda *magnitudine* rei, sane reseruetur ad *magnitudinis* locum. Nam repetitur & apparet ex auctore, natura, caussis, effectis, adiunctis loci, temporis, hominum, rel. Sed &, *animi motus* concitando, monstrat, rem esse grauem: quod videbimus in Cap. de *Affectibus*; increpando idem & obiurgando: de quo paullo post. Nec minus huc facit, quod rem agit *precando* Deum & ipsos: quod suo loco & ipsum notabitur. Sed idem

3) *vere*, simpliciter, cum *fide*, hortatur ac dehortatur. Fides autem & veritas eo censetur, vt ostendas, a) tibi ipsi esse persuasum de veritate rei: quod teneatur partim professione huius ipsius sensus, partim argumentis afferendis: quae qui afferat, ipse primus fidem iis habere haud dubie censeatur, & ipse verum agnoscere, quod alios credere velit, quia non temere credatur: partim & prouocando ad ipsorum sensum iudiciumque: vt 1 Cor. 10, 15. 11, 14. Rom. 6, 19. Gal. 3, 2. vbi quasi magistros constituit, *discere* se ab iis velle, professus. Quid mordacius simul & validius poterat? Nec minus 4, 13. 15. vbi prouocat ad ipsorum sensum, quo studio exceptam doctrinam nunc repudient. 1 Thess. 2, 1. 2 Cor. 11, 19. 20. velut per ironiam: Gal. 1. 13. Ebr. 10, 29. per vocab. *de-*

κεῖτε & ex eorum ſtudio priſtino, ibid. vſ. 32. Cauſae nimirum fiduciam iſta loquuntur! b) cordi tibi rem eſſe, tum propter ipſam, tum propter amorem Dei & hominum. Hoc efficitur α) obteſtatione graui, vel Dei, vel eorum, ad quos loquare: β) ſignificando amore, quo in illos ferare: γ) oſtendendo, te nihil tibimet cupere, nihil quaerere, ipſorum tantum aut rei ipſius cauſſa laborare: δ) te ipſum facere aut non facere, quaerere aut declinare, quae aliis ſuadeas aut diſſuadeas. Sed enim *morum* haec omnis cauſſa & diſputatio eſt, quorum loco ſeruetur. Nec parum ad fidem facit, quod

4) *blande*, amanter & comiter cohortatur aut dehortatur. Quod multum ſane addat auctoritati; vel amoris documento, vel quod leniat & minuat ſeueritatem, & quaſi auſteritatem abſtergat hortandi, & acerbitatem ac moleſtiam dehortandi. Id quomodo efficit Paullus? Oratorie ſane! Primo blanda ſubinde compellatione ac molli: vna perpetua, *communi*, *fratrum*: Rom. 8, 12. 11, 15, 12, 1. 15, 16. 1 Cor. 1, 10. 10, 1, 11, 2. 33. 14, 39. 15, 58. vbi & *dilectos* addit, vt *ſanctos*, Ebr. 3, 1. 2. Cor. 8, 1. Gal. 4, 13. 5, 13. 6, 1. Phil. 3, 17. & blandius 4, 1. *dilectos* ſimpliciter, 1 Cor. 10, 14. *propria* alia, *filiorum*, Filiorum dilectorum, 1 Cor. 4, 14. vbi & *patrem* ſe dicit Corinthiorum, quia ad Chriſtum eos perduxerit: vt Gal. 4, 19. vbi dicit ſe rurſus illos *parere* vel parturire, quaſi denuo efficere Chriſtianos, vt denuo conformentur

ad

ad ſenſum & formulam Chriſti, quam reliquerint atque exuerint amplectenda lege Leuitica. At Philippenſes, 4, 1. etiam *gaudium* & coronam ſuam, fratres *deſideratos*, dilectos, & rurſus *dilectos*: & Theſſalonicenſes, quam blande, quam honorifice 1 Theſſ. 2, 19 20. ſpem ſuam, gaudendi gloriandique materiam, coronam vel decus ſuum apud ipſum Deum & Chriſtum, in ipſo olim aduentu Chriſti ad iudicium, tam ſeuero, tam horrendo! Quid apoſtolo negarent tam comiter appellanti? *Prudentes* vocat Corinthios: ſerio quidem ac vere, 1 Cor. 10, 15. vt prudentibus, inquit, dico: ipſi iudicatote, quod dicam. Quid modeſtius? Quid amantius? Semet in ordinem cogit, eorum iudicio ſubmittit, diuinitus loquentem! Etſi hic ironice dictum haberi liceat: vt prudentibus dico, nempe, quales videamini vobis, qui eſſe velitis, vt non probantes re ipſa, ne in hac cauſſa quidem. Quam eosdem amanter compellat 2 Cor. 7, 3. non dico, inquit, quo exprobrem vobis quidquam; dixi quippe, vos eſſe in pectore noſtro incluſos ad ſocietatem viuendi ac moriendi. Timotheum inprimis & Titum comiter honorificeque appellatos monet, γνήσια τέκνα vocans, veros filios 1 Tim. 1, 2. Tit. 1, 4. & *rurſus* τέκνον Timotheum, 1 Tim. 1, 18. ἄνθρωπον θεοῦ 6, 11. hominem diuinitus eruditum, Spiritus S. muneribus inſtructum, Dei miniſterio ſacratum, pium & ſanctum: quem ſcilicet dedeceant illa, quae fugere illum velit; vnde dupliciter oratorium

est epitheton, quod & promtum ac beniuolum reddat, & causſam praecepti contineat. Idem

Per *Ironiam* blande agit: cum *Corinthiis* maxime, vt arrogantiam eorum retundat: 1 Cor. 4, 8. iam ſatiati eſtis, iam ditati, iam reges & potentes facti eſtis, ſine nobis apoſtolis: i. e. a nobis quidem non habetis abundantiam illam atque potentiam, qua vobis placetis; nos quidem illa caremus, qui carere minime debebamus: vt, vos tam laute agere, haud ſatis credibile ſit. Ironiam eſſe iſtam, & res docet, & votum apoſtoli: atque *utinam* ſitis tales: ergo *non* erant tales. Sed faſtum tangit contemnentium prae ſe ipſos apoſtolos. *Prudentes* eosdem vocat, 2 Cor. 11, 19. pari ironia, qua ſemet *ſtultum* appellat. Quam prudentes enim fuerint, aut a Paullo hic habeantur, adiecta declarant: ita prudentes eſtis, vt indigniſſima quaeque perferatis, rapinas, ſeruitutem, verbera, contumelias ab iis, qui abutantur patientia veſtra, facilitate, credulitate. Ita per ironiam concedit, 1 Cor. 15, 32. indulgere omni libidini: quin hortari plane videtur: per abſurdum nempe, ſi valuerit error tollendi reditus mortuorum in vitam. Et 2 Cor. 12, 13. *iniuriam* vocat, eiusque veniam rogat, quod noluerit eos ſumtu ferire. Qui blandius diceret? Quid valentius eodem? Huc & μείωσιν refer, vel *extenuationem*, eiusdem comitatis, 1 Cor. 11, 22. in hoc vos *non laudo*, i. e. grauiſſime reprehendo. Quod magis etiam mollinit interrogatione, qua rem ipſorum iudicii faceret: Vultisne,

vos

vos a me laudari? Et 1 Cor. 5, 6. *non decora* eſt gloriatio iſta. Sed haec propriam notationem habent in Figuris, & hic tamen conſilio erant reddenda.

Communicando quoque mitigat exhortationem, quaſi ſemet admiſcens, ſemet increpans. Vt 1 Cor. 10, 20. an *prouocamus* Deum: ecquid eo *ſumus* valentiores? pro, *eſtis*, provocatis vos: & vſ. 6. 8. 9, ne *ſimus* cupidi malorum, ne *fremamus*, ne Chriſtum *prouocemus*. Ebr. 10, 30. *nouimus* eum, qui dixerit, ſe vindicem fore: i. e. vos nouiſtis. Adde Rom. 13, 11. ubi, ſicut 1 Cor. 10, 6. 9. & *ſecundam* perſonam admiſcet, vt appareat, quos dicat. Blande idem agit cohortando ac dehortando per *ſuum* exemplum. Quod ſuo loco reddetur in *moribus*.

Precando itidem atque obteſtando agit, & *laudando*: quod proprie notabitur; ad comitatem pertinet tamen. At enim idem ille tam comis & lenis Paullus non minus, vbi eſt opus,

5) *ſeuere* ſane cohortatur ac dehortatur, & graui compellatione: eaque partim *directa* eorum, *quos alloquatur*, quîcum agat. Ita Rom. 2, 5. Iudaeis, quos alloquitur, tribuit peruicaciam inuictam, & pectus poenitentiae neſcium: quid aliud, quam duros & meliorum indociles increpans? 1 Cor. 3, 1. 2, diſerte Corinthios vocat νηπίους; infantes, ſolidiori doctrinae inhabiles, σαρκικοὺς, infirmos, leues, vanos, ſtudiis nugarum & rebus externis deditos, rei verae ac ſummae prorſus immemores. Tales eſſe, praefra-

ste dicit: estis enim, inquit, σαρκικοί. probat idem, dignos isto nomine, qui factiones & dissidiae alant. At Galatas etiam *dementes*, vecordes appellat, Gal. 3, 1. 2. primo simpliciter: o dementes Galatae! deinde insistit, cum asseueratione: *adeone* dementes estis, plus, quam credibile sit? 1 Cor. 15, 36. dubitantem de reditu mortuorum in vitam increpat, ἄφρον, stulte! Ebr. 5, 11. Ebraeos vocat νωθροὺς, tardos, stupidos, primorum elementorum & rudimentorum ignaros & indigos, cum tamdiu tamen sint Christiani, vt aliorum esse magistri per tempus possint ac debeant. Quid, quod pontificem, Act. 23, 3 increpat parietem dealbatum, i. e. virum falsum, specie tantummodo sanctum? Et cum Emphasi, plura intelligens dictis, Rom. 9, 20. tu, homo, quis es, qui expostules cum Deo, auctore tui? *Quis* es? Respice, quid sis; nihil omnino, nil videns, nil valens, nil iuris aduersus Deum habens, nil boni promeritus ab eo, totus ab illo pendens. Partim *indirecto* increpat, *de* quibus loquatur. 2 Cor. 11, 15. falsos doctores vocat Satanae ministros, qui, ad eius exemplum, eius impulsu, ex consilio eius, induant speciem proborum Dei ministrorum. Gal. 2, 4. defensores intempestiuos legis Iudaicae, rituum, circumsectionis maxime, vocat παρεισάκτους, subreptitios, subdole sese insinuantes aliis, e quorum formula non sint, specie, non re, Christianos: & 5, 12. vocat ἀναστατοῦντες turbatores ecclesiae & pacis: & Phil. 3, 3. etiam *canes*, for-

ſordidos, auidos, ventre omnia metientes, nil non facientes lucri cauſſa: *malos operarios*, malorum opifices, malo conſilio: κατατομὴν, *mutilationem*, mutilos, curos, ex circumſectione, per ſe indecora, tum minime neceſſaria, quin abolita: & vſ. 19. hoſtes crucis Chriſti, dedignantes atque euertentes doctrinam de morte Chriſti, & omnino formulae Chriſtianae iniquos, paganis ad Chriſtum verſis moleſtos: 2 Theſſ. 3, 2. vocat ἀτόπους, abſurdos, intolerabiles, peruerſos, fide carentes. 1 Tim. 4, 1. 2. vocat errorum opifices, impoſtores, compunctos conſcientia, id eſt, flagitiorum culpa & dedecore maculatos, quae abluere velint aut obtegere iſta eſſeueratione urgendae legis; partim hominibus verba daturi iſta ſpecie ſanctitatis, partim velut apud Deum expiaturi facinora: vt hodie multi, detonando contra dedecora leuiora iis, quibus ſeſe ipſi obruerint, aut nunc occulte contaminent, urgendisque externis quibusdam, abſcondere ſatagunt dedecora ſua, & quaſi rationem cum Deo ponunt, vt pro iis, quae tam cenſorie vrgeant, gratiam faciat ipſis eorum, quae in aliis rebus deliquerint: vel obduratos & praefricta fronte, pudore exuto ac depoſito, callum habentes obductum conſcientiae, ἀπηλγηκότας, vt paganos vocat Eph. 4, 19. qui dedoluerint, occalluerint, morſus conſcientiae vicerint nullo iam pudore, nullo metu poenae aut ignominiae vel turpitudinis retardentur. Diſſenſionum inanium inutiliumque auctores, 1 Tim. 6, 4. 5. vocat ſuperbos,

omnium imperitos, aegrotantes ac perditos ſtudio nugarum, mente corruptos, id eſt, intellectu errantes, voluntate improbos, pietatem habentes in ſordida mercede: Tit. 1, 16. abominandos, foedos, contumaces, nullius bonae frugis. Cretenſes idem, Tit. 1, 12. Epimenidis poëtae increpatione notans, veramque appellans, quid aliud, niſi ſuam vocem facit?

Res quoque, a quibus dehortetur, graui & ſeuera appellatione increpat. Impudicitiam paganorum, Rom. 1, 27. appellat debitam mercedem erroris atque impietatis: Terribiliter ſane! Quod ſi flagitium ipſum ſit poena impietatis: quantum eius atrocitatem eſſe conuenit, quantum ipſum manere poenam! Senſum prauum & ſtudia mala, Rom. 8, 7. vocat inimicitiam in Deum. Quid atrocius? Inceſtum Corinthi admiſſum, 1 Cor. 5, 1. appellat paganis ipſis inſolitum atque inauditum. Legem rituum, Gal. 4, 9. vocat elementa, rudimenta, vt pueris digna, rerum & imaginum corporearum, tenuia, exilia, quaſi mendica, famelica, nil opis, nil uſus habentia. Ornamenta Iudaismi & Phariſaismi, quibus ipſe olim ſuperbierit, quibus fidere Chriſtianos nolit, *iacturam* vocat, operae curaeque diſpendium, Phil. 3, 7. 8. Nec ſatis hoc; *quisquilias* vocat & purgamenta. Auaritiam vocat idololatriam, Col. 3, 5. (vt auarum idolalatram, Eph. 5, 5) & omnis mali radicem, fontem, 1 Tim 6, 10. Quaeſtiones inutiles, quas caueri Timotheo velit, profanas increpat, ani-

aniles fabulas, vanos clamores. 1 Tim. 4, 7. 2 Tim. 2, 16.

Per *ſententias* idem, longiores & graues, ſeuere increpat, quae rem atrocem oſtendant, malum ineuitabile. Rom. 2, 3. An tu putas, te, talem, effugere poſſe poenam Dei? 8, 12. ſi prauis ſtudiis indulſeritis, moriemini. 1 Cor. 5, 2. Et vos etiam inflati eſtis, ac non lugetis? vſ. 7. non bella eſt iſta gloriatio: paruum (vnius) vitium vniuerſos foedat! vſ. 13. tollite vtique improbum de coetu veſtro! 6, 5. Hoc dico, quo pudorem vobis incutiam! Vsque adeone nemo eſt inter vos, qui dirimere velit aut poſſit controuerſiam inter vos ortam? Vſ. 9. Ne errate! (haec ſemper ſeuere increpantis Paulli vox eſt, ut 1 Cor. 15, 34. Gal. 6, 7.) nemo flagitioſorum aut improborum potietur aeterna felicitate! 10, 12. Qui ſtat, videto, ne cadat! vſ. 22. ecquid audemus & ſuſtinemus irritare Deum? An validiores eo ſumus? 14, 20. nolite repueraſcere mente: vſ. 23. nonne, qui audierint, dicent, furere vos? vſ. 36. an e vobis prodiit Chriſti doctrina? an apud vos ſolos manſit & ſubſtitit? nempe, vt eam veſtro iure & arbitrio habere & immutare poſſitis? 15, 34. falli nolite: praui ſermones corrumpunt bonos mores! Edormite illam crapulam (ignorantiae, erroris, ſecuritatis, temeritatis, inſolentiae) iuſte, (v. Phil. Paull. Thuc. p. 116. lit. β) nec (porro) tam peruicaciter Deum offendite, quem nonnulli (veſtrum) plane ignorant ac negligunt. 2 Cor. 12, 11. Vos me adegiſtis ſtulte loqui & age-

agere. 13, 2. denuntio vobis hoc: vbi venero, haud parcam. Quia vtique requiritis ſpecimen Chriſti me adiuuantis: dabo maius, quam velitis. Cui denuntiationi ſimilem incutit 1 Cor. 4. extr. vtrum vultis, me venire ad vos cum virga, caſtigatorem ſeuerum, an cum lenitate & comitate? Veſtrum eſt, optare, atque ita vos adhibere, vt fiat a me, quod vobis placuerit, dignum fuerit factis veſtris. Oratoria ſane deliberatio & conceſſio eſt. Gal. 1, 9. bis grauiter intonat: ſi vel angelus de coelo alia docuerit: execrabilis eſto! Cuius vocis terrore idem pugnat 1 Cor. 16, 22. Si quis non amat (nec colit, nec profitetur) dominum Ieſum, exſecrabilis eſto! Ipſe Chriſtus Dominus noſter ad iudicium aderit. Gal. 3, 1. Quis vos faſcinauit & mente emouit? 5, 10. Qui vos turbat, poena non carebit ſua, merita, non impune feret, *quisquis ſit;* Deum non effugiet, etſi me latet. Nam & illa infinita appellatio, ac velut obſcura deſignatio, & quaſi ignorantis admiratio, habet & ipſa vim quandam ſeueritatis; ſiue notum mihi, non nomino, non aperio vel parcens ei, ſi forte ſe colligat monitus, vel indignum appellari: ſiue ignotus latet: Deum quidem non effugiet. Ita & ſupra: *Quis* vos incantauit? id eſt, miror, quis efficere hoc potuerit, non credideram, inter vos eſſe, qui hoc vellet aut poſſet. Eum vero oportet eſſe mira calliditate, & perſuadendi, immo fallendi, arte, & vero egregie improbum. At quam grauiter, nec ſine ſtomacho, vt commotus peruerſitate

ſitate & abſurditate & rei, & hominum inardeſcit atque inſurgit contra illos patronos circumſectionis, vſ. 12. vtinam vel ἀποκόψονται, qui vos turbant: id eſt, vel ſe exſecent, licet, ſi parum eſt, circumſecari. Nil aptius dicere potuit rei abſurditati, neque indignationem ſeuerius, quaſi cum ſtomacho, aut moderatius tamen, aut aptius ad cauſſam, ſignificare. Nec vero minus poterat loqui de exſectione ſaluo pudore, quam de ipſa circumſectione, aut de praeputio inducendo, 1 Cor. 7, 18. aut de eunuchis ipſe Chriſtus, Matth. 19, 12. Certe aptior eſt illa interpretatio & cauſſae propoſitae, & mediae formae, *ſemet* excidant, quam altera illa: vtinam exſtirpentur: quod eſt & durum, a Paulli ingenio alienum, nec formae mediae congruum: & vero frigidam atque otioſam relinquit particulam καὶ. Eph. 5, 5, 6. Sic habetote: certa res eſt: nemo auarus, ſcortator, impurus, rei partem habet in regno Dei! Nemo vos fallat vanis ſermonibus, quaſi leuiora ſint iſta! Ob iſta enim *paganos* punit Deus! (Quanto certius & grauius Chriſtianos!) Et vſ. 12. quae occulte ab illis patrentur, *dicere* quoque turpe ſit. Ebr. 10, 30. 31. Nouimus eum, qui dixerit: mea eſt vindicta! Et: terribile eſt incidere in manus Dei potentis! 13, 3. Scortatores quidem & adulteros Deus (ipſe) puniet! Emphaſin habent iſta omnia, & reticentiam plane diſertam, aliamque grauitatem, ſuo notandam loco, ut in Cap. de *Figuris* & de *Sublimitate*. Sed &

6) *precando* hortatur ac dehortatur Paullus. Precatur autem a) Deum ipſum, vt hoc vel illo ſenſu imbuat aut arceat illos, quos, dubium non eſt, quin hoc ipſo hortetur aut dehortetur; grauem enim rem eſſe oportet atque neceſſariam, quam fieri ab illis velit vel nolit, ſi Deum in partes vocet, Dei auxilium imploret, vt rem in iis efficiat aut impediat. Act. 26, 29. Deum precor, vt omnes mei ſint ſimiles! Quid aliud, quam hortatur Agrippam, vt fiat Chriſtianus? cui rei ſe promtum paene ille oſtendiſſet; qua felicem ſe Paullus deputaret. Reliqua exempla ſunt, vltra loci indicium haud notanda: Rom. 15, 13. 2 Cor. 13, 7. & inprimis copioſe, effuſe, enixe, Eph. 1, 16. ſequ. & rurſus, ex parentheſi, 3, 14. ſequ. Nam, quae vt Epheſii intelligant, Deum roget, ſimul tam late, tam grauiter explicans, ea vero intelligi profecto & expendi ab Epheſiis velit: quibus iſta nimirum ipſis, non Deo, explicet. Porro Phil. 1, 9. 10. Col. 1, 9. ſequ. vbi ſimiliter, longam diſputationem attexens precationi, vult ſane, illa diſci atque expendi a legentibus iſtas preces: 1 Theſſ. 3, 12. 13. 5, 23. 2 Theſſ. 2, 16. 17. 3, 5. Ebr. 13, 20. 21. b) precatur ipſos, quicum agat: quid aliud, niſi α) blande, ſed & β) ſeuere, hortaturus, vel dehortaturus? Quam ille machinam ſubinde admouet cum magna aſſeueratione. Exempla, veluti vulgatiora, exſtant, vbicunque vtitur appellatione per vocab. παρακαλεῖν, quod non *hortari* modo notat, ſed & *precari*, obſecrare:

re: Rom. 12, 1. vbi & molliter, & potenter addit: per miſericordiam Dei. Rom. 16, 17. 1 Cor. 1, 10. vbi addit, per nomen Ieſu Chriſti, id eſt, eius auctoritate, quia illi eſtis addicti, vni domino veſtro, cuius auctoritatem, formulam, profeſſionem, non conueniat, in Apoſtolos deriuare, aut in factiones ſcindere. 2 Cor. 2, 8. & 5, 20. precamur vos, pro Chriſto, eius cauſſa, loco, quaſi Chriſtus roget! 7, 2. capite nos: ferte nos: neminem laeſimus: concedite nobis ſane, frui hac alacritate conſcientiae, vobis ſalutari! 10, 1. obſecro vos per Chriſti manſuetudinem atque lenitatem: nempe, vt me audiatis aequo animo, gloriari coactum. Hanc ipſam gloriandi copiam, neceſſitati concedendam, rogat & 11, 2. vtinam tolleretis ſtultitiam meam! & vſ. 16 ſi ſtolidum me habere vultis, qui me iactem: vel vt ſtolidum me admittite! Tanta vis ſimul & commoditas eſt apoſtoli, velut in ordinem ſe cogentis, vt ne ſtolidus quidem haberi recuſet, dum Chriſti doctrinae, a ſe propoſitae, vnice verae ac ſalutari, ſua auctoritas conſtet: ad quam omnia refert, 5, 13. cum impotenter agimus, Dei cauſſa facimus. At quam blande, quam Attice plane, 12, 13. Quod ſi iniuriam feci vobis, cum vos ſumtu ferire nolui: ignoſcite mihi hanc iniuriam! Eph. 3, 13. rogo vos, αἰτοῦμαι, ne deficiatis ob vincula mea. Quid potentius? *Mihi*, inquit, gratum feceritis, ſi mea cauſſa non laboraritis; quia nil attinet, neque ego laboro; confirmo vobis, nil ſubeſſe periculi aut incommodi:

aegre

aegre mihi feceritis, si ob id animum desponderitis. 1 Thess. 4, 1. 2 Thess. 2, 1. Sed in primis quae sunt obsecrationes, omnium & blandissimae & grauissimae: Gal. 4, 12—16. Fratres, quaeso vos. Iam hoc humanitatis est, precari, non hortari, nedum incipere, vbi possis, & prouoceris illorum merito, quos precere! Nulla, pergit, me iniuria affecistis: nempe adhuc? Cur ergo repente tam acerbi in me consurgitis? Immo adhuc & doctrinam a me propositam ita cupidi excepistis, vt beati etiam plane vobis videremini: vs. 15. & me, eius ministrum atque interpretem, excepistis non vt hominem, sed vt angelum: quid angelum dico? vt Christum ipsum. Oratorium plane incrementum! Nec puduit vos mei in ista vexatione; immo oculos mihi dedissetis vestros, vobis eripuissetis, si opus foret, aut posset: nil omnino mihi denegaturi. Quid ergo? Nunc repente ille ego, vobis carior, quam oculi, ille angelus vobis, ille quasi Christus, contra omnia hostis sum factus vobis, vera promendo, ea ipsa, quae ab eodem tam promti, tam cupidi accepissetis? Altera est obtestatio Phil. 2, 1. 2. Si qua cohortatio valet a Christo, per Christum, Christi nomine: si qui est aut si quid potest amor in me vester, in vos meus: si quid valet sensus & consociatio beneficiorum Spiritus S. reddite mihi & explete hoc gaudium, vt sitis concordes! Quid hic non commotuit, quasi non ipsorum, sed sua res ageretur? Aut quid negarent ita roganti ac velut supplicanti?

Huc

Huc & *obteſtationes* referas graues: 1 Tim. 5, 21. obteſtor te coram Deo, coram Domino Ieſu, coram dilectis eius angelis, vt iſta teneas! 6, 13. obteſtor te coram Deo, qui omnia (omnes) reuocabit in vitam, (cui tu aliquando rationem ſis redditurus,) coram Ieſu Domino, qui apud Pilatum depoſuerit teſtimonium tam praeclarum, profeſſionem tam liberam, tam veram, tam ſalutarem, noſtra cauſſa; cuius te conſtantiae imitatorem eſſe conueniat, vt incorruptam ſerues doctrinam, in aduentu eius probandam! 2 Tim. 4, 1. obteſtor te per Deum & Dominum Ieſum, omnium olim iudicem futurum, publice, cum plane illuſtrabitur aeterna eius maieſtas, vt inſtes docere, hortari. Sed gradatim attolli cum apoſtolo liceat, qui non precando tantum, quod in certam etiam nunc rem relinquat, ſed &

7) *ſperando* hortatur: quod & rei neceſſitatem monſtret, adeo euidentem, vt ne cohortandi quidem videantur, quos iam ſua ſponte paratos eſſe confidat: & laudis ſtimulum adhibeat, ex ſecunda de illis opinione & laeta exſpectatione, & beneuolentiam firmet bene ſentienti: cui deeſſe, quam deſtituere illos pudeat. Ita triplicem machinam admouet genus hoc cohortandi, immo quadruplicem: rei neceſſitatem, hortantis beniuolentiam, audientium vel legentium laudem, detrectándi pudorem. Hoc ergo modo hortatur Paullus Act. 26, 27. Scio, rex Aprippa, te fidem habere prophetis: vnde confido, te non damnaturum doctrinam, eorum au-

ctoritate nixam. Rom. 15, 14. ipſe iam certum habeo, neque aliorum teſtimonio egeo, vnde conſtet, vos eſſe iam ante plenos bono ſenſu, amore aliorum, omni cognitione rerum diuinarum, & prudentia Chriſtianis digna, vt alios quoque poſſitis docere ac monere; quo magis confidam, parituros mihi vos, inſuper hortanti. 1 Cor. 10, 15. vt intelligentibus loquor: ipſi iudices ſitis? id eſt: *ipſi* intelligitis; non poſſe iſta inter ſe componi atque conſociari; ergo ſperare licet, non amplius iſta vos commiſſuros. 2 Cor. 9, 1. 2. de collecta in Chriſtianorum vſum ſuperuacuum eſt, vobis ſcribere. Noui enim voluntatem veſtram & promtam mentem, quam & Macedonibus laudo. Haec non ſperantis modo oratio eſt, verum & laudantis; vt 8, 7. De Timotheo inprimis ſpem laetam & profitetur, & firmam eſſe oſtendit, cauſſis allatis: 2 Tim. 1, 5. (gnarus &) memor fidei & pietatis, qua plena fuerit auia primo tua, deinde mater: qua & te plenum eſſe, certum habeam. A parentum exemplo repetit argumentum ſpei: partim ob imitandi conditionem, partim ex inſtitutione, qua tales parentes haud dubie filium imbuerint; quod & vere factum, oſtendit, nouamque ſpei cauſſam affert, 3, 15. quia inde a paruulis cognouiſti ſacram ſcripturam: a cuius auctoritate & formula ſalutari non deficies. Nempe huic legendae & cognoſcendae ab illis parentibus erat admotus. Sed & ipſum Paullum, vſ. 10. 11. *audierat* per omnia, *imitatus*que erat: quorum vtrumque eſt

in

in vocab. παρακολουθεῖν: prius tamen hic maxime, certe qua vexationes, vſ. 11. quas perpeſſus Timotheus, certe, cum ſcribebat iſta Paullus, non inueniatur. Argumentum tamen hinc repetit apoſtolus conſtantiae Timothei, per quam ſimilis non ſit futurus, neque obſecuturus illis aut ceſſurus, quorum eum diſſimilem eſſe, quibus obſiſtere, velit, vſ. 9. vnde ſubiicit: tu vero, rel. nempe cauebis talia & impedies, quia iam illa meliora & didiciſti, & tenuiſti. Philem. 21. confiſus animo tuo, in me & alios promto, ſcio plane, te cumulatius etiam facturum eo, quod dicam & a te fieri cuplam. Ebr. 6, 9. meliora de vobis ſperamus, & connexa cum ſalute: id eſt, ſpero, vos probaturos & fideliter retenturos Chriſti formulam veram & ſalutarem; etſi ita loquimur: id eſt, etſi vos terremus ſeuere, ſalubriter tamen, triſti conditione defectorum; quibus vt nondum ſimiles vos exhibuiſtis, ita porro diſſimiles eritis, ita praeſertim moniti; quippe qui iam dederitis documenta conſtantiae, (ita argumentis firmat ſpem ſuam,) quorum obliuiſci nequeat benignitas Dei, nempe, vt vos deſtituat, aut non ornet auxilio ſuo fidem adhuc a vobis ſeruatam. Eodem fere modo hortatur 10,33.34. recordari iubens priſtini temporis, quo iam multa & grauia ſint perpeſſi, quibus ne nunc male reſpondeant, operam daturos, confidat. Sed &

8) *laudando* adeo hortatur ac dehortatur. Quod iam ille ipſe locus oſtendit. Ebr. 10,33.34. quem iam attulimus: vt 6, 9. Laudat enim vti-

que memorando constantiae documenta, quae ediderint Ebraei: neque alio consilio laudat, nisi, vt hortetur, tueri illam laudem. Oratorium plane genus hortandi, molle, beniuolum, gratum, efficax! Quis enim non cupiat laudari, aut non libenter pareat laudanti, aut vereatur effundere laudem quaesitam, & ab ipso hortatore tributam? Nam & amamus laudantem laudati, & terremur pudore amittendae laudis; quam & a nemine libentius excipiamus, quam ab hortatore; qui hoc ipso, quod hortetur, ostendat, nos esse indigos laudis eius, ad quam vocet: simul &, honestam esse rem, ad quam vocet, & fieri posse, hoc ipso, quod iam factam a nobis ostendat, valide sane & laetantibus, monstret; molliat idem comitate laudandi austeritatem cohortationis, cuius seueritatem per se nemo lubens admittat. Quare & Cicero, cum validissime vult hortari, laudibus agit, currentes imitaturus, vt ipse loquitur, vel profitetur: ad Qu. F. 1, 1. 16. init. vt hunc fratrem Quintum, Ep. ad Qu. Fr. 1, 1, 2. *haec non*, inquit, *vt facias, sed, vt, te facere & feciſſe, gaudeas, scribo. Praeclarum est enim*, rel. nempe, quod adhuc feciſti. c. 12. *Quid ego te haec hortor, quae tu non modo facere potes tua sponte, sed iam magna ex parte feciſti?* C. 6. *nescio quomodo, ad praecipiendi orationem delapsa est oratio mea; — — quid enim ei praecipiam*, rel. Nec Paullus aliter: quod &, quae attulerimus, loca monstrent, & alia plura. Rom. 1, 8. per omnem orbem celebra-

lebratur fides vestra. Quid honorificentius diceret? Quid enim valentius? 15, 1. conuenit, nos, qui simus, quia simus firmiores cognitione, alacritate, iudicio, conscientia euangelicae libertatis, pati infirmitates infirmiorum. Laudat vt firmos, monstraturus simul, quid deceat firmos, ne inueniantur indigni nomine illo. Infirmi enim est, non pati dissensionem. Neque enim arrogantiam modo arguit, aequum censentis; suam opinionem vnice dominari: sed & ignorationem rei ipsius, quam cum leuem esse, vt firmior, scias, tamen veluti magnam, grauem, periculo plenam, pati non possis in eo, quem in aliam sententiam de re illa trahere nitaris & acerbus pugnes: 1 Cor. 1, 5—7. ditati estis & diuinitus abundatis omni sapientia (rerum per se intelligendarum) & cognitione (vtendi iis legitime ac salubriter,) fidem habetis doctrinae Christi: nullo Dei beneficio caretis: laeti denique exspectatis aduentum Christi. Haec laudat, quo deinde moneat & hortetur caute ac diligenter vti tam praeclara intelligentia. Qua de re, ne non constare sibi apostolus arguatur, plura deinde loquemur. 10, 15. vt *prudentibus* dico. 11, 2. laudo vos, qui memineritis mei per omnia: nempe, vt me de omni re consulatis, & formulam a me proditam teneatis: ergo & nunc monenti parebitis. 14, 12. Quandoquidem cupidi estis atque studiosi munerum Spiritus S. mirificorum. Quod studium, vt laudandum, ita caute est habendum. 15, 1. Euangelium Christi accepistis, etiamnunc

tenetis. Laudo, inquit; sed ob id ipsum nolo, vos ab eo discedere, ne frustra credideritis. At quam prolixe & effuse Corinthios laudat ob salubrem illam mentis mutationem, incesti poena commotam & inductam! 2 Cor. 7, 11—16. Diuinitus estis afflicti, inquit, id est, a Deo, per praecepta eius, metu & verecundia eius, dolore & pudore Dei a vobis offensi, desiderio ei rursus placendi. Cuius doloris, tam salubris, tam decori Christianis; etiam specimina affert, per partes, cum vigore & vehementia iterandae particulae ἀλλὰ, *at*, porro, tum: studium, vt festinarent mederi illi malo: defensionem, vt sese purgarent, inuitis sese factum ostenderent: metum, ne Deo aut aliis coetibus displicerent: indignationem, in auctorem tantae foeditatis: desiderium, videndi Paulli, restituendi fiduciam eius in ipsos, & fauorem Dei: plane innocentes sese hac in re praestitisse: nempe, vt probarent, haud volentibus ipsis factum. Nam, quod 1 Cor. 5. dixisset, eos esse *inflatos:* id non ad ipsum incestum pertinebat: quod non patiantur haec verba Paulli; sed, quod, aliis de caussis inflati, placerent sibi ob huius vel illius magistri nomen, spernerent alios, ipsum Paullum prae aliis negligerent. Illam autem salubritatem sensus eorum porro probat testimonio Titi, qui rem ita offenderit, ipsum mire erexerit istis narrandis & referendis, ipse magno Corinthiorum amore ob id incensus; cui amori ingens cumulus accesserit, vs. 15. quod & ipsi Paullo laetanti acciderit, quippe

pe non fruſtra gloriato apud Titum, de Corinthiis ſuis; quod iam videat gaudens, ſe per omnia illis fidere poſſe. Qua quidem laude, qua fiducia ſua commemoranda oratorie plane viam ſibi muniit ad obtinendam collectam, quam Iudaeis petere pararet, C. 8. Vbi ſimiliter eos laudando hortatur, vſ. 7. *ſicut*, id eſt, *quia* abundatis & valetis omni re bona, in virtute, qua promti ſitis ad efficiendum, quod a vobis contendam, in fide, doctrina, prudentia vitae Chriſtianae, ſtudio rerum bonarum, vt & hanc benignitatem abunde exhibeatis; diuinitus excitatam. Haec non vno modo oratoria eſt cohortatio: primum, quod laudando procedit, & beniuolentia captanda: deinde, quod oſtendit, dignam eſſe rem ac decoram illis, a quibus eam petat: tum, quod, fieri poſſe, docet, per eas virtutes, quas illis ineſſe dicat, quae aptos illi munificentiae reddant; nec minus, quod per partes exſequitur ſingulas illas virtutes. Et vſ. 10. vtile eſt hoc vobis, qui iam dudum probaritis alacritatem non faciendi modo, ſed & volendi. Nempe plus eſt, velle, id eſt, libenter & animo promto, miſericordi, Dei hominumque amanti, benigne & largiter facere, quam omnino & ſimpliciter (αὐτὸ μόνον,) facere: quod ſaepius detur neceſſitati, aut ſimulationi, aut aliorum aemulationi, aut honoris cupiditati. Voluntas quidem vbi ſit vera & promta, res ipſa & effectus non abfuerit: quem nunc ſequi & reddi Paullus cupit, quod vſ. 11. per elegantem concinnitatem

ponit; ſicut alacritas ex voluntate: ita & effectus e (vel *pro*) facultate. Sed potentius vtitur hac blandiſſima laudandi violentia, & velut in anguſtias illos cogit, 9, 1—4. ſuperuacuum eſt, Vobis ſcribere, inquit: nempe veſtra ſponte paratis. Laudo enim Macedonibus (quos hic ab Achaeis diſtinguit, e veruſtiori deſcriptione, non, vt tum fere aſſolebat;) promtum a vobis animum: quod Achaia (cuius partis proprie eſſet Corinthus,) dudum (inde ab anno proxime elapſo,) parata ſit a collecta. En oratorem! Non Corinthios vtique, dixit, paratos; necdum enim fuiſſe, patet e vſ 4, 5. Sed, cum, Achaiam, diceret, a ſe laudatam vniuerſe, cuius principes Corinthii eſſent, intelligere poterant, ſe quoque comprehenſos in illa laude, certe, ab ipſis vel maxime exſpectari, quod reliqui praeſtitiſſent, tenuiores; nec velle debebant ſemet excludere ipſi, comprehenſos a Paullo in illa ſocietate laudis & quaſi vniuerſitate, & Macedonum exſpectatione de vniuerſis. Sed acrius iis ſubiicit hunc ſtimulum, & plane adigit: ſtudium, inquit, veſtrum plures accendit, acuit: Metu quoque & pudore incuſſo, terret, oppugnat, ne iſta laus, iſta exſpectatio, ad irritum cadat: vnde ad ipſum quidem Paullum venturus ſit pudor, cui eum obiici ab illis, non ſit dignum aut amore illorum in Paullum, aut pietate in magiſtrum, aut gratia in laudatorem; ſed tamen & ad ipſos redundaturus: quod, quo modeſtius, & quaſi timidius, eo potentius dicit: ne dicam, vos ipſi, pudore

dore feriamini. Quî diſertius potuit hortari laudando? Aliud afferre ſpecimen datur, Gal. 4, 14. 15. vbi laudat Galatarum & in ſeſe amorem, quaſi hyperbolice augens: vt angelum, vt Chriſtum Ieſum, me excepiſtis: oculos vobis eruiſſetis, quos mihi daretis: Potuitne impenſius laudare? Sed & ſtudium laudat, quo exceperint formulam Chriſti a ſe propoſitam. Vnde enim ille effuſus in Paullum amor, niſi, quod doctrinam illis proponeret, qua probanda beati ſibi merito viderentur? Quod & ſeorſim addit: Quam beati tunc & eratis, & vobis videbamini! Quorſum ergo laudat? Nempe, vt pudeat illos leuitatis atque inconſtantiae, tam leui momento impulſos, vt deſciſcerent: vt maturent repetere doctrinam tam cupide & merito expetitam. Porro 6. vos, qui ſitis πνευματικοὶ, leniter corrigite lapſos. Et hic laudando ſtimulat: cum ſitis prudentes, pii, pleni ſenſu diuino ſapientiae & amoris, certe velitis eſſe, haberi: exhibete vtrumque in lapſis & errore ablatis, & corrigendi ſapientiam, & amoris lenitatem! Phil. 2, 15. 16. lucetis inter improbos, vt lumina orbis, vel, vt candelabra, lumen praebentes, ſuſtinentes, vt candelabra, lumen doctrinae Chriſti ſalutaris, cognitionis, fidei, conſtantiae, ſanctitatis, morum exempli. Quam decorum per ſe! Quam pulchrum & inſigne in tanta aliorum diuerſitate! Quare tenete hunc ſplendorem, ne exſtinguite, aut deponite, neque obſcurate! 4, 10 — 14. gaudeo, quod tandem (pungit ſimul: ſero quidem,

quaſi vix tandem, ſed tamen,) commouiſtis, quaſi reſloreſcere voluiſtis, ἀνεθάλετε, id eſt, ἐποιήσατε ἀναθάλλειν, (vt 2 Cor. 2, 14. θριαμβεύοντι pro ποιοῦντι θριαμβεύειν,) memoriam mei, vt me ſubleuaretis aliqua copia ſuppeditanda. Pupugerat, vt dixi, tarditatis nota: ſed corrigit, excuſat ſumma humanitate: partim ex ipſorum conditione: in animo, inquit, habebatis, cupiebatis, curabatis, ſed ἠκαιρεῖσθε, id eſt, *copia* carebatis; nam *mittendi occaſio* & commoditas aliena ab h. l. eſſe videtur. Cur enim illa defuerit? Et diuerſum, εὐκαιρεῖν, notat etiam, copiam rei habere; vt 1 Cor. 16, 12. veniet, cum εὐκαιρήσῃ, i. e. cum potuerit, cum ei licuerit: quaſi dicat hic Paullus: conditio veſtra, res, tempora, non erant ea, per quae dare commode ſatis poſſetis: vt Liu. 2, *tributum iniquo ſuo tempore imperatum*, i. e. cum minime ſoluere poſſet, ob anguſtias rei familiaris: & ex ſua conditione excuſat, quod non opus habeat, nec requirat, ob αὐτάρκειαν ſuam, animum vel paucis contentum & vtrique ſorti paratum, vel abundandi, vel carendi: quem ſenſum deſcribit ſuum vſ. 11—13. Laudat tamen, quod nunc prolixe fecerint, ita, vt a) ſoli hoc facerent inter omnes Macedonum eccleſias, vſ. 15. b) ſaepius facerent, vſ. 16. c) largiter facerent, vt plus ſatis haberet Paullus. Verus hic *magnitudinis* locus eſt, infra notandus. Nec tamen eo conſilio Paullus hic laudat, quo velit, ſibi porro dari a Philippenſibus & ſummitti. Vnde & addit, v. 11. non, quo inopia labo-

laborem: & vſ. 17. non, quo cupiam aut quaeram munus. Quare hic facta magis laudat, quam ad facienda laudando prouocat: vt demonſtratiui potius generis locus ſit, quam deliberatiui. Propius huc pertineant Theſſalonicenſium laudes, 1 Theſſ. 1, 3—10. 2, 14. 19. 20. ſupra allata in Genere Demonſtr. ſed & huc reuocandae: quippe conſilio datae hortaturi, vt pergant: quod & res ipſa docet, & c. 4. tot. vbi & ad beneficentiam laudando cohortetur, vſ. 9. 10. de caritate, inquit (& beneficentia) in Chriſtianos, nihil attinet, vos moneri: ipſi enim diuinitus edocti eſtis ad amandos (& iuuandos) vos mutuo: quod & facitis in omnes Chriſtianos Macedoniae. Ita laudatos hortatur: *tamen*, inquit, *hortamur* vos, vt plura in dies documenta edatis huiusce ſenſus. Ita & Timotheum incitat 1 Tim. 4, 14. noli negligere facultatem diuinitus datam, ſed excita magis & commoue, (2 Tim. 1, 6.) quae eſt in te, interna, interpretandi ſcripturam & doctrinam, externa, muneris dati per cooptationem. Fac ergo, memineris, qui ſis & ſcientia ac facultate & iure. Et Titum ſic hortatur, 1, 5. ea de cauſſa reliqui te in Creta, expleturum, quae deeſſent, correcturum, quae laborarent, & presbyteros ſuis locis impoſiturum. Ingens laus eſt, mandati negotii tanti, a non mandaturo, niſi *idoneum* iudicaret: quam fiduciam ab illo deſtitui nolit. Et Philemonem, vſ. 5, 7. laudat a fide, amore, humanitate, miſericordia ad ſe delata, ſibi cognita: qua ſcilicet dignum

gnum ſit facturus Philemon, ſi receperit Oneſimum, a Paullo commendatum. Ebraeos denique laudat, Ebr. 10: 32 — 35. a conſtantia, vexationibus toleratis, caritate in ipſum: manifeſto conſilio, quod vſ. 35. aperit, ne abiiciant illam laudem.

Ab externo quoque decore laudat, hortandi conſilio: 1 Cor. 6, 2. 3. cum dicit, ſanctos olim iudices fore impiorum, quin angelorum, malorum. Quid inde? Illuſtre vero decus, a Deo deſtinatum; ſed quod pudorem incutiat non valentibus aut nolentibus diſceptare controuerſias leues, inter ipſos de rebus terreſtribus ortas. Nec minus

Ironica laus huc pertinet: Iudaeorum, Rom. 2, 18. 20. qui velint, ſe eſſe magiſtros, duces, lumina imperitorum; Corinthiorum, qui ſibi videantur magni & felices, 4, 8. prudentes, 10, 15. 2 Cor. 11, 19. 20. patientes perverſitatis, ibid. quam falſo tamen arrogent ſibi laudem, nec factis oſtendant aut tueantur. Vult ergo, hortatur, vt quaerant illam & rite teneant, vbi ſit opus: Iudaei, ſeruando, quae aliis praecipiant: Corinthii, prudenter agendo in exiſtimandis doctoribus, vitandis paganorum ſacris, audienda Paulli defenſione, cauendis falſis apoſtolis. Ad hanc ironicam laudem referre vix dubitarim 1 Cor. 5, 12. nonne vos iudicatis veſtri coetus homines, Chriſtianos? Hoc ſiue ad intempeſtiua iudicia pertinet de apoſtolis aliisque magiſtris, eorumque diſcrimine, quod iudicandi vocabulo

ſig-

ſignat 4, 3. 5. ſiue ad illiberalitatem interpretandae alienae religionis, C. 8. & 10, 29. 30. ironice vtique & irridens laudat aſſeuerationem iudicandi, quaſi prudentium. Sed non incommode traxeris ad argumentum Cap. 6. cui per iſtam interrogationem, vehementer ſane ironicam, ex occulto muniat viam & aditum iis arguendis, quod non poſſint, nec conentur componere controuerſias leuiores. Ad quam illorum ſocordiam grauiter alludens, vocat eos iudices ac diſceptatores hominum ſuorum, qui diligentius curare debeant, quid apud ipſos agatur. Sed enim

In iſta ſimplicitate ac veritate hortandi, quam adhuc expoſuimus & probatam dedimus, in iſta & humanitate, & rurſus ſeueritate, idem

9) *liberaliter* hortatur ac dehortatur cum fide & aequitate: raiſonnable, billig. Nam 1) nil ſuadet aut diſuadet, niſi, quod a) graue, vtile aut inutile partim ipſe ſentiat, & curae cordique habeat: vt euangelii ſtudium & doctrinae Chriſti verae & ſummae, Rom. 1, 16. 2 Cor. 5, 15. ſequ. Gal. 1, 7 — 10. 2, 19. 20. 6, 14. Eph. 1, 3. ſequ. & CC. 2, 3. tott. Phil. 3, 1 — 17. 1 Tim. 1, 15 — 17. mentis bene ſibi conſciae, 1 Cor. 9, 15. 2 Cor. 1, 12. partim, vere vtile eſſe, argumentis probet grauiſſimis: quae iam affatim notauimus. Nec vero poſcit aut vetat, niſi, quae b) ipſe faciat caueatue: 1 Cor. 4, 6. 8, 13. C. 9 tot. 10, 32. 11, 1. 14, 18. 19. 2. Cor. CC. 4. 5. 6. tott. 7, 1 — 10. Gal. 2, 11. ſequ. 4, 12. 5, 11. Eph. 3, 13. 4, 1. Phil. 1, 30.

2.

2, 17, 18. 3, 4. ſequ. 1 Theſſ. 2, 1 — 10. 2 Tim. 2, 9. 10. 3, 10. 11. 4, 6. 8. Quo & referre licet, quod nulli ſeorſim priui oneris quidquam imponit, ſed quod c) omnibus aeque iniungat. 1 Cor. 7, 19. Sic apud omnes coetus rem diſcepto, decerno; non apud vos ſolos; quod doceat, 1) rem mihi videri *per ſe* veram, rectam, decoram, ſalubrem, commodam: 2) me vobiscum agere probe atque ingenue, qui ſuadeam, quae in commune vtilia cenſeam, neque inconſtanter alia aliis praecipiam. 2 Cor. 8. & 9. docet, ſe non alia, aut grauiora, Corinthios poſcere, quam quae alii Achaei aut Macedones praeſtiterint. Huc & retuleris, quod vult, Col. 4, 16. epiſtolam ad Coloſſenſes miſſam Laodiceae quoque legi, & viciſſim Laodicenſium epiſtolam Coloſſenſibus: quo alio conſilio, niſi, vt intelligant vtrique, nil a ſe proprie cuiquam iniungi, nil variare, eadem omnibus praecipi? Eiusdem eſt liberalitatis, quod nil exigit, niſi, quod c) poſſe effici, fieri, teneri, aut per ſe appareat, vt in praeceptis breuiter poſitis, aut ipſe doceat, partim auxilio Dei, Chriſti virtute, efficientia Spiritus S. Rom. 8, 10. ſequ. 15, 13. 16, 20. 1 Cor. 15, 18. 2 Cor. 9, 8. 10. 11. (nam vſ. 11. πλουτιζόμενοι pendet a vſ. 8. περισσεύητε. vſ. 9, 10. ſunt in parentheſi;) Eph. 6, 10. rel. Phil. 1, 28. 2, 13. 3, 15. 4, 6. 7. 9. Col. 2, 12, 13. ſequ. 1 Theſſ. 5, 23. vbi, poſt varias exhortationes, notabiliter ſubiicit: *ipſe* autem Deus, rel. nempe efficiet, quae vobis difficilia videantur:

vt

vt 2 Theſſ. 2, 16. 17. 3, 16. 2 Tim. 2, 1. 15, 16. partim exemplo, qua ſuo, vt vidimus, & in *Moribus* videbimus, qua aliorum: 2 Cor. 8. & 9. Ebr. 10, 13 — 15. 11. tot. 12. init. quin ipſorum, ad quos ſcribat, qui antea iam idem effecerint, quod aut teneri ab iis, aut repeti, velit: vide ſupra, n. 7. & 8. 2 Cor. 8, 10. Gal. 4, 15. Phil. 4, 15. 16. 1 Theſſ. 1, 5. rel. 9. Ebr. 10. 32 — 35.

Altera pars eſt liberalitatis Paullinae, quam & *prudentiae* partem ponas: quod 2) longe aliter agit in rebus grauibus ac neceſſariis, in quibus nil mutare, nihil remittere aut ipſe poſſit, aut aliis liceat: vt in euangelii formula, Gal. 1, 7 — 10. in S. Coena, 1 Cor. 11, 33. rel. in ſanctitatis ſtudio, Ebr. 12, 14. de cauenda defectione, Ebr. 6, 4 — 8. 10, 26 — 31. ſcortatione vitanda, 1 Cor. 6, 15. ſequ. & alibi: aliter in eiusmodi rebus, vbi ſuadeat aut diſſuadeat non vtique per ſe neceſſaria, aut a Deo praecepta vel prohibita, ſed hominum arbitrio & vſibus relinquenda. Cuius rei exemplum longe illuſtriſſimum attulimus & late tractauimus ſupra, ex 1 Cor. 7. vbi libertatem coniugii vel coelibatus ita relinquit Chriſtianis, vt aperte neget, vſ. 25. ſibi quidquam ea de re a Deo, vel Chriſto, praeceptum: vt ſua conſilia diſtinguat ac ſegreget a praeceptis Dei ipſius, vſ. 12. nec ſe legis auctorem, ſed conſilii tantum profiteatur, vſ. 6. neget, ſe cogere poſſe, aut velle, vſ. 35. aut Deum offendi ab aliter facientibus, quam ſuaſerit: libere plane ſtatui a quoli-

bet

bet posse ostendat, vs. 28, 36. 38, 39. At non diuortium eadem commoditate permittit, quippe diuinitus vetitum, vs. 10. Quid verius aut simplicius? Quid aequius, liberalius? Quid prudentius denique & cautius, quam, ita secernere necessaria a liberis? Quid aptius tuendae seueritati in necessariis, ista facilitate in liberis? Sic & vescendi quolibet cibo & abstinendi libertatem relinquit, Rom. 14, 3. 6. 1 Cor. 8, 8. 10, 25. 29. 30. qua in re summam verti formulae Christianae, ita neget, Rom. 14, 17. vt grauissime vetet idem, contemnere aut odisse secus sentientes de his vel agentes, aut insectari vel damnare, Rom. 14, 3. 13. & multo magis nolit, turbari alios abusu eius libertatis, aut sollicitari ad idem faciendum, quod tamen religiosum illis videatur, aut ipsi doctrinae Christi offici leuitatis suspicione: aut, qui infirmior sit, facere, quod, nondum sibi persuaserit, recte fieri, vtut recte fiat, per se: Rom. 14, 14. 15. 16. 20. 24. 15, 1 Cor. 8, 9. sequ. 10, 21 — 24. 28. At contra quam seuere obiurgat idem illud ciborum discrimen, illam peruersam religionem & cunctationem, & alia rituum vincula, ad Galatas, 4, 9. 10. 5, 1 — 3. ad Philippenses, 3, 1. 2. 18. 19. Col. 3, 8. 16. 20. 24. 1 Tim. 4, 1 — 5. Ebr. 23, 9. Quid? parum ne constat sibi? Diruit, aedificat? Immo egregie constat! Nam haec est illa diuiua simplicitas Paulli, liberalitas, prudentia, disputationem accommodantis conditioni cuiusque rei, tempo-

ris,

ris, loci. In Epiſt. ad Rom. & Corinth. *agendi* cauſſa proponitur, *practica*, vitae commoda; ad Galatas, Philipp. Coloſſ. Timoth. & Ebraeos, *theoretica*, dogmatica, contra eos, qui *neceſſitatem* inferrent & obtruderent liturgicae legis, plane infeſtam formulae Chriſtianae. & ob id ipſum plane eliminandam, quod nulla eſſet: qua ipſa rurſus de cauſſa liberum cuique eſſe debere, in illis locis defendit, ubi non agatur de puritate doctrinae, ſed de vſu vitae & concordia. Et tamen illic quoque aperte proponit formulam doctrinae ſinceram, Rom. 14. 14. 17. 20. 23. 1 Cor. 8, 8. 10. Quam & ob id ipſum tuebatur contra falſos doctores; quibus ne momentum temporis quidem, vel, ne temporis quidem cauſſa, πρὸς ὥραν, ſeceſſiſſe aut obtemperaſſe, oſtendit, quin contra Petrum ipſum, cogere nitentem paganos in iſtam formulam rituum, Gal. 2, 14. Vnde fruſtra ſunt, quiqui illam commoditatem Paulli trahunt ad doctrinam leuiter habendam, quam ille tanta ſeueritate tueatur in iſtis ipſis rebus, ob quarum vſum tamen, vel abſtinentiam, quoad doctrinae ſumma non laboret, odia vigere nolit. Nulla eſt rituum neceſſitas aut per ſe, aut poſt Chriſtum natum: haec doctrina eſt: hanc tuetur: At enim, ob id ipſum, quia non ſunt neceſſarii, liberum cuique eſt relinquendum, tenere, an negligere malit: hic eſt mos, ipſi doctrinae congruus: hunc commendat; Quid hic inconſtantiae? Quid varietatis? Aliud enim & hodie ſit, abſtinere, v.

c. carnibus, libere, si cum Pontificio vescare; aliud, pati, tibi illam abstinentiam pro lege iniungi. Aliud sit, intermittere concentum inter sacra, vt non necessarium, aliud, quasi a Deo vetitum in sacris cauere aut abrogare. Quod idem de imaginibus valet. *Discrimen* vero hoc est, non inconstantia. Hoc nos deducere potest ad nouam notationem: quod

10) *prudenter* hortatur Paullus ac dehortatur. Nam a) inseruit & paret conditioni cuiusque rei: necessaria vrget seuere, vt vidimus, libera mollius & laxius tractat. Morum legem longe aliter habet, vbi negat, eam valere ad placendum Deo, ad salutis copiam: quo loco eam habet ad Rom. C. 1. 2. 3. 4. 5. 10. Gal. 3, 1 — 14. 21. 22. (Nam, de *morum* lege & hic, ad Galatas, eum loqui, manifesto apparet ex eo, quod vtiliter & eodem exemplo Abrahami, vs. 6. 7. quo vsus esset Rom. 4. & eodem loco Habacuci, quo vsus esset Rom. 1, 17. & de *poena* & execratione vel minis loquitur violatae legis, vs. 13. 14. qua Christus liberauerit non Iudaeos modo, sed & paganos, qui tamen non tenerentur lege Leuitica: & legem ponit per se salutarem, efficacem ad salutem & felicitatem, modo seruetur, vs. 12. 22. quod non cadat in ullam rituum legem.) Aliter de lege loquitur, cum ex ea viuere iubet, vt fidem probemus factis, amorem & gratiam Deo significemus,

mus, &, liberati a prauitate, teneamus *alterum* consilium mortis Christi, 1 Pet. 2, 24. sanctitatis efficiendae, tuendae: Quod agit Rom. 6. 8. 12. sequ. Gal. 5, 13. rel. Vnde & commendat vsum legitimum legis, per se bonae, & ab abusu distinguit, 1 Tim. 1, 7. 8. Et omnino ita diligenter ac seuere tuetur dogmata formulamque doctrinae, vt abusum eius vbique cautus notet, sedulo tollat, Rom. 3, 5 — 8. 31. C. 6. tot. 7°, 13. rel. 11, 17. sequ. 1 Cor. 8, 9. 10. 12 — 14. sequ. Gal. 5, 13. rel. & verum vsum commonstret atque urgeat, ibid. & Rom. 12, 1. sequ. Eph. 4, 1. sequ. Ebr. 10, 19. sequ. neque unquam condonans aut morum probitati sinceritatem doctrinae, aut hanc illi, utramque misceat: v. Log. Paull. p. 375. morum praecepta superstruat doctrinae verae, purae, propositae ac vindicatae: moniturus, necessarium esse utrumque, sed *doctrinam prius* rite habendam, *deinde mores* ad eam componendos, ex ea regendos, ac veluti suspendendos. Nec minus b) rationem prudenter habet hominum, locorum, temporum: Vt Rom. 14. diligenter secernit ac longe aliter instruit firmiores, aliter infirmiores. Illos vetat superbire & abuti sua cognitione, parcere iubens infirmioribus, ne illos contemnant, infectentur, aut illo contemtu, odio, irriſu, exemploue suo sollicitent ad faciendum, quod sibi non videantur satis pie facturi: vs. 3. 15. 20. Hos autem vetat vicissim irasci firmioribus, velut impiis aut leuibus, aut postulare, vt illi ipsis

obſequantur, velut lege iubente; aut illorum exemplo dare, quod nondum poſſint dare firmo iudicio animi & conſcientiae ſuae: vſ. 14, 23. Ita aliter & alia viris, alia praecipit feminis, 1 Cor. 11. init. 14, 34. 35. Viduas iuniores ſedulo ſegregat a miniſteriis eccleſiae, 1 Tim. 5, 11. ſequ. Ita Corinthiorum infirmitati ſeſe accommodauerat, 1 Cor. 3, 1 — 4. vt non ſolidiora, ſed faciliora, iis traderet, vt leuibus & infirmis. Temporis rationem habendam, quam prudenter monet, 1 Cor. 7, 26. 29. Ita, quod liberum plane firmioribus reliquiſſet, veſci promiſcue omnibus, ſoli ſi eſſent, neque infirmiori notarentur publice veſcentes, aut ab eo monerentur, id fieri ab iis, non vult, in templis idolorum, 1 Cor. 8, 10. ſi conſpiciantur ab infirmioribus, aut ab illis moniti fuerint: 10, 28. Ita longe aliter tractat inceſtum, 1 Cor. 5. malo exemplo delinquentem, aliter eundem, 2 Cor. 2. poenitentia immutatum: &, quem antea coetu eiici voluiſſet, iam recipi rogat. Omninoque ita videt, quid cui dicat, vt etiam eosdem homines, varia conditione, nunc laudet humaniſſime, nunc increpet ſeueriſſime. Corinthii maxime exemplo ſunt, quos, vbi poteſt, laudat, 1 Cor. 1, 6 — 8. 11, 2. 2 Cor. 8, 7 — 10. 9, 2. at rurſus, vbi opus eſt, acerrime reprehendit, eum aut merentur, aut leniori via corrigi nequeant: 1 Cor. 1, 11. ſequ. 3, 1. ſequ. 4, 8. C. 5. init. 6. init. 11, 17. rel. 14, 20. 36. 15, 34. 2. Cor. 11, 20. Nec minus Galatae docent, laudati impenſe, 4, 14. 15. & increpiti grauiter,

3,

3, 1. 3. 4, 10. 11. Ebraei quoque, ornati 6, 10. 32. 34. & notati 5, 12. Et plane obſeruare licet, quantum videat, quibus ſcribat. Nam Romanos, Epheſios, Philippenſes, nuspiam reprehendit aut increpat, aut ſeuerius monet; rogat magis, ſperat, laudat; ſecus illos, quos ſupra retulimus, Corinthios, Galatas, Ebraeos; grauiter quippe aegrotantes, molliori manu curari non poterant: ſuperbi Corinthii, luxurioſi, diſcordes, leues: inconſtantes Galatae, feroces, temerarii: ſocordes Ebraei, nutantes, ignaui: reliqui probatiores: quibus tamen haud ita mollem ſe praebeat, quin ſeuere idem & praefracte proponat & vrgeat, quae teneri grauiterque vrgeri attineat: nec rurſus ita duriter habet illos, quin & mollius agat, quin precibus, laude, ſpe miſceat ac temperet minas atque ſeueritatem: multiplici ſane prudentia! ita enim α) oſtendit, ſe veris niti, non ambitione, ſed cauſſae fidere: β) docet, grauem eſſe rem, quam ita ſeuere grauiterque inculcet: γ) ſuperbire laudatos prohibet, increpando: increpitos rurſus, exaſperari, aut diffidere, aut deficere animo prohibet, laudans, precans, bene ſperans: δ) fidem denique per omnia probat, id eſt, animum plenum & veri ſenſu, & amore eorum, ad quos ſcribat. Nec minori prudentia ε) ad Deum omnia refert: non precando modo, vt ſupra vidimus, aut ad eius auctoritatem prouocando, 1 Cor. 11. 23. Gal. 1, 11. ſed & in laudandis iis, quos hortetur, vt Rom. 1, 8. 1 Cor. 1, 4. Phil. 1, 3. Col.

1, 3. 4. 1 Theſſ. 1, 2. vbi ita laudat illos, vt *Deo* gratias agat pro bonis illis, quibus ornatos illos & inſtructos florere gaudeat. Quorſum hoc? Primo, vt videant, rem eſſe grauem, magnam, pro cuius copia Deum celebrari conueniat, ergo & illos elaborare: deinde, vt amorem in illos ſuum ſignificet, laetantis illorum bonis: tum vel maxime, ne ſuperbiant inſoleſcantue bonis & virtutibus, vt a Deo datis, non ex ipſorum indole profectis, aut ipſorum opera quaeſitis: 1 Cor. 4, 7. 2 Cor. 3, 5. Sed

Ad cohortationes, vel dehortationes, dubium non eſt, quin & *Conſolationes* pertineant. Quid enim aliud, niſi ad alacritatem hortantur, a dolore ac deſperatione dehortantur? Etſi poſſunt & ad locum de *Affectitibus* reuocari, quia metum & dolorem adimunt, & alacritatem excitant atque firmant. Sed quia hic *vtilitatis* ratio dominatur, & liberum eſt, quo referas: age ſane, hic occupentur! Exempla ſunt 2 Cor. 1, 7. Sicut calamitatum noſtrarum eſtis conſortes: ita & ſolatii eritis. Solatium autem antea attulerat ſuum ipſius exemplum, idoneum ſane ad conſolandum: vel, quod ipſo exemplo doceret, tolerari poſſe calamitates, neque a Deo ſine conſolatione relinqui tolerantes incommoda, nec doctrinam Chriſtianam carere ſolatiis firmis, quae ipſe expertus ſenſiſſet Paullus: vel auctoritate & fide confirmantis eos, qui eadem incommoda paterentur, quibus ipſe conflictatus, ſolatiorum laetitia recrearetur, eosque erigentis iisdem ſolatiis,

tiis, quorum virtutem ipſe in animo ſuo ſenſiſſet, quam expertus, commendare & aliis adhibere poſſet: quod & Dei conſilium & ſuum gaudium aperit vſ. 4. & 6. Videtur autem Paullus innuere, ſane & alia incommoda, grauiſſima illa utique, etiam vſ. 8. 9. memorata, maxime tamen illum dolorem, quem, ex inceſti labe ac dedecore conceptum atque inuſtum, communiter cum Corinthiis, ſenſerit: cuius hominis poenitentia, & recipiendi reſtituendique copia, iam & ipſum & Corinthios erigat. Qua de re locuturo ſibi C. 2. aditum & hic munit, & vſ. 17, 23. Eodem pertinet, quod 7. 8. ſequ. ſolatur triſtitiam Corinthiorum, ſuſceptam ex illo dedecore & poena, eo argumento, quod, a) Dei cauſſa ſuſceptus luctus & poenitentia b) ſaluberrimos illis fructus tulerit. Quod ſupra iam explicatum dedimus. Quid, quod ſemet ipſum ſolatio erigit, exemplo Corinthios incitaturus, ex fiducia rectae conſciae mentis, 2 Cor. 1, 12. vbi καύχησις notat alacritatem, animum erectum: vt καυχώμεθα, Rom. 5, 3. laeti ſumus: & ſpe vitae aeternae, 2 Cor. 4, 16 — 18. 5, 1 — 8. Ita Epheſios ſolatur, & bono eſſe animo iubet, de vinculis ſuis, Eph. 4, 13: quod *honori* ſint illis: quod & ipſum iam explicauimus. Sed illa inter reliquos conſolatio lucet, qua, immodice lugeri pie defunctos, vetet, 1 Theſſ. 4, 13 — 18. argumentis vſus, quod a) triſte ſit atque dedecorum, paganorum ſimiles eſſe, carentium illa ſpe, qua Chriſtiani fruantur: b) non minus illi ſint ad vi-

tam redituri, veniente Chriſto, quam iſti ad vi tam aeternam ſint peruenturi, quos ſuperſtites deprehenderit Chriſti adventus. Nam videntur in eo errore verſati, vt crederent, deteriori loco & conditione futuros, qui ante Chriſti adventum fato eſſent functi. Vnde ait: nos non φθάσομεν illos, non prius, non certius rapiemur ad Chriſtum, qui ipſe venturus ſit ad mortuos reuocandos: c) quod deinde perpetuo ſint una cum illis apud Chriſtum futuri: vt neque ipſorum, nec defunctorum cauſſa dolendi locus iam relinquatur. Semet ipſum rurſus iam erigit, 2 Tim. 2, 9. vincula patior, inquit, quaſi ſceleſtus; at non Dei doctrina vincta detinetur, ſed tanto liberius proditur, neque ulla vi inhibetur. Quod & Phil. 1, 12. ſequ. perſequitur laetabundus. Et 2 Tim. 4, 16, 17 ſolitudinem ſuam, a nemine defenſi, ſolatur Deo defenſore: & alia mala: partim quaſi analogia & praerogatiua iam allatae ſibi opis diuinae, vt 2 Cor. 1, 10. quod & porro ſperare detur a conſtantia Dei: partim ſpe vitae aeternae & beatae. Quod ſolatium & Timotheo, & omnibus horum ſimilibus, adhibuit 1 Tim. 6, 6 — 8. Ebraeos denique vt ſolatus ſit calamitatum & decore & ſalubritate, Ebr. 12, 1 — 13. paullo ante notauimus.

Vnum etiam reſtat, quod & propius huc pertineat, nec commodiori loco aſſignetur: *Commendationes* dico. Quae, etſi ad *demonſtratiuum* quoque genus referantur, quia verſantur plerumque in laude eius, quem tradamus & commendemus: non tamen ſemper laudant ſimpli-

pliciter: vt plurimae Ciceronis Epiſtolae commendatitiae: in quibus tantum amicitiam ſuam memorat in eos, quos commendet, &, gratum ſibi fore, confirmat, quod in eos benigne factum fuerit: & proprie tamen in *vtilitatis* cauſſa verſentur vel eius, quem commendes, vel tua, cui ſit gratum futurum, vel eius, cui aliquem tradas: quem certe aliqua ſpecie vtilitatis obiecta inuites, vel gratum tibi facturum, vel a commendato gratiam initurum, eoque vſurum cum fructu, vel dignationi ſuae & gloriae conſulturum. Noſtram quidem vtilitatem & multo maxime eius, quem commendemus, ſequimur commendantes, & commendationem dare illi ſolemus: hortamur denique, vt aliquid *vtiliter* fiat, plane vt κατάστασις, conditio, qua cenſeatur commendatio, ſit vtilitatis ratio. Hoc & Paullus munere fungitur: cum leuius, vulgarius, breuius, Rom. 16, 1. rel. in Phoebe, diaconiſſa Cenchreenſi: quam commendat 1) a munere eccleſiaſtico, quod gerat loco illuſtri. 2) a cura fideli & operoſa, quam & aliis multis, & apoſtolo ipſi, exhibuerit: vnde illam προστάτιν, vel προστάτιδα, vocat, curatricem: Commendat autem 1) excipiendam *in Domino*, i. e. vt Chriſtianam, ob Chriſtum, cuius non modo nomen profiteatur, ſed etiam ſacris operetur: digne Chriſtianis, vt ipſos Chriſtianos facere deceat, benigne, liberaliter, animo promto: 2) quam non patiantur re ulla egere, omnia largiter illi ſufficiant. Timotheum commendat Co-

rinthiis, 1 Cor. 16, 10. 11. vt ſine timore apud illos verſetur, quod, per metonymiam, notat, vt ipſi ita agant cum illo, vt poſſit vacare timore, & eſſe bono animo: ne quis contemnat eius iuuentutem, quae iam ipſum redderet timidiorem: vnde & animum eius ſtudet firmare Paullus, 1 Tim. 4, 14. 2 Tim. 1, 6. 7. memorem eſſe iubens virtutis, & muneris: vbi & addit, altero loco: neque enim vult Deus; nos eſſe timidos, neque dedit nobis eum Spiritum, ea munera, eam conditionem nobis propoſuit, quae nos eſſe timidos patiantur. Timidior ergo Timotheus erat, apud arrogantes vtique, quales eſſent Corinthii, vel ob diuitiarum faſtum, vel ſapientiae opinione: 4, 6 — 8. Cauſſam affert, & commendandi, & rogandi, quod roget: quia Dei opus tractet, vt ipſe Paullus, nec minus Paullo verſetur in munere docentis: quod & amorem ei conciliet, & contemtum arceat. Epaphroditum Philippenſibus commendat Phil. 2, 25 — 30. vt ſocium operis & certaminis ſui, vſ. 26. vt ipſorum Philippenſium apoſtolum, id eſt, qui apud ipſos ſit verſatus doctor euangelii: aut, quod aptius ſit iis, quae ſequantur, quem ipſi Philippenſes miſerint ad Paullum, nempe ſi, λειτουργὸν τῆς χρείας, ſignificat, miſſum a Philippenſibus antea, 4, 16. miniſtrum collectae Paullo perferendae: quam ſe eo miniſtro accepiſſe, clare profiteatur 4, 18. Quo maior ipſis fiducia & beniuolentia conſtare debeat in eum, quem ipſi ornarint iudicio mandandae rei, quae

fi-

fidem poſceret. Sed & verti poteſt: miniſtrum, interpretem, cognitorem meae neceſſitatis, mei ad vos deſiderii. Quam tamen χρείαν appellare Paullus non ſolet; nec λειτουργὸν ita dixerit. Et vſ. 30. firmat illam priorem interpretationem, vbi liberalitatem Philippenſium vocat λειτουργίαν ad ſe, cuius ὑστέρημα illum, dicit, ἀναπληρῶσαι, id eſt, attuliſſe & feſtinaſſe afferre Paullo, quae Philippenſes nondum miſiſſent, tempore aut copia excluſi, 4, 10. ac, ſero quidem, properaſſent mittere tamen, vt deſiderata adhuc, nec dum reddita. Dignitatis tamen & fidei commendatio eſt: quam auget atque intendit ſignificatione amoris, cum ſui in illum, laetitiam profeſſus, quam ceperit ex reſtituta valetudine eius, vſ. 27. quod beneficium praedicat non illi tantum a Deo praeſtitum, ſed & ipſi: tum Epaphroditi in Philippenſes, deſiderium demonſtrando, quo feſtinarit ad illos viſendos. Ita aequum oſtendit, benigne excipi, & Paullo dilectum: & ipſorum amantem. Addit & miſericordiae argumenta, non ſine noua commendatione fidei & ſedulitatis, quod, contra valetudinem ſuam, cum mortis periculo, feſtinauerit tamen fungi *opere Chriſti*, id eſt, liberalitate Philippenſium in Paullum perferenda, ſimul tamen & officio viſendi eos firmandique in fide & virtute Chriſtiana: qua ex via, iam ante inualidus, contraxerit morbum grauem & diſcriminis magni, vſ. 30. Ita ornatum, tradit, quem lubentes, laeti, promti, benigni excipiant: nec

vero ipſum vnum, ſed omnes, ſi qui ſint eius ſimiles. Huc & aliorum doctorum commendationes pertinent, cum omnino, Ebr. 13. 17. Gal. 6, 6. tum ſingulorum, in extremis fere Epiſtolis: quos iubet ἐπιγινώσκεσθαι, id eſt amari, coli, foueri, ali.

Sed feſtinat animus praeuertere breuioribus illis ad illuſtrem plane commendationem & longam, cui datam Epiſtolam ad Philemonem totam illa occupauit atque expleuit. Quam quidem ego audacter praetulerim omnibus commendationibus Ciceronis: quas nunquam ſatis libenter lego, ſatietate offenſus & multarum & breuium & leuium, & ita fere ſimilium, vt, ſi vnam cognoris, omnes fere noris, &, laboraſſe magis Ciceronem, videas, quam ſatis tenuiſſe, vt taedium vinceret obuiae ſatietatis. Haec quidem Paullina commendatio & illas poſt ſe relinquere longe, & plane inſtar habere inueniatur eloquentiae Paulli vniuerſae: ita & conſilio prudens eſt; cauta & efficax, & grauitate potens ac decora, & beniuolentia mouens ac valida. Et conſilii quidem prudentia elucet ex eo, quod non ab initio ſtatim rem ipſam cauſſamque proponit atque effundit, aut ad illam prouolat auidus, quippe inuidioſam & diſcriminis plenam, cum ſeruum commendet domino, fugitiuum antea, vſ. 15. nec dubie furem, certe in pecunia male fidum ac negligentem, vſ. 18. nullius frugis, ἄχρηστον, vſ. 11. Quem etſi ipſe nouerat & Chriſtianum factum, ipſius adeo opera, vſ.

10.

10. ad meliorem mentem moremque rediiſſe: quod ex eo apparet, quod ad dominum redire voluit, nec ſecum retenturus fuerit Paullus, ſi per dominum liceret, nec domino commendaturus, niſi, probe mutatum, ſciret: Philemon tamen hoc ignorabat, difficulter etiam creditu-rus, iratoque & animo & vultu ſeruum ex fuga reducem excepturus. Huic ergo periculo ita occurrit Paullus, eo maiori prudentia vſus, quo maior erat rei difficultas, vt primo, quaſi aliud agendo, rem ita differat, ſeponat interim ac velut diſſimulet, vt ei quaſi proludat, viamque muniat, excitanda beniuolentia Philemonis & animo ad omne obſequium promto. Id efficit partim laudando illo, vſ. 1 — 8. vocando ſocium operis, qui & ipſe docendo euangelio operetur: quod & laudem habeat, & amoris ſignificationem ex neceſſitudine: praedicando, auditam ſibi fidem eius in Chriſtum, & amorem in Chriſtianos: (ita enim, per Chiaſmum, quem vocat, explicanda eſſe iſta, apparet; neque enim fides vel fiducia ſalutaris locum habet in Chriſtianos, eo quidem ſenſu, quo in Chriſtum: amor quidem vtrisque reddatur;) vnde & laus in eum redundet, & fides firmetur, facturum, quod ab eo fieri Paullus velit, dignum iſta fide eius in Chriſtum & amore in Chriſtianos, vt recipiat hominem Chriſtianum. Probat idem hanc Philemonis virtutem, ne aſſentatorie, ambitioſius, quam verius, videatur dixiſſe. Ait enim, vſ. 5. *audire* ſe, ex iis, qui iſthinc venerint: *ſpecimina*

af-

affert, vſ. 8. Chriſtianorum deſideria eſſe expleta & ſedata per illum: (id eſt, *ab illo*, vt auctore, non miniſtro: quod notetur ad vſum particulae διὰ pro ὑπὸ, in qua de Chriſto argutantur & calumniantur Ariani;) quod eorum vſibus conſuluerit, neceſſitatibus ſubuenerit, deſideriis ſatis fecerit. Hac laude conciliatum, porro delinit, amore in illum ſuo teſtando, *dilectum* eum vocans, vſ. 1. & vſ. 4. profeſſus, precari ſeſe pro illo Deum, ſemper memorem eius in precibus, quin gratias agere Deo pro eius laude ac virtute. Quae & manifeſta eſt amoris profeſſio, & certa ac fida, fauere alterius laudi, felicitati, virtuti, eam precibus expoſcere, pro ea Deum venerari. Ex hoc amore in eum ſuo, ex hoc Philemonis ſenſu & ſtudio, iam tertium praeſtruit, fiduciam & ſpem bonam, qua confidat, promtum ſibi ad omnia Philemonem fore. Quae eſt noua beniuolentiae conciliatio, & conſilium tenendi, quod efficere velis: vel *ſubiectiue*, quod confidas, illum, a quo petas, eſſe humanum atque officioſum: vel *obiectiue*, ex re, quam te petere profiteare, aequam, honeſtam, facilem, tibi iucundam, illi, a quo petas, decoram. Idem hic Paullus facit: de Philemone ipſo ſpem bonam profeſſus, vſ. 8. cum, per illa omnia, quae audita de te memorarim, magna mihi ſit fiducia, παῤῥησία, alacritas, praecipiendi tibi, quodcunque contendam, (nondum nominat, *quid* petat, etiamnunc proludens premit, laxe tantum ponit;) & plane pro officio imponendi

ti-

tibi τὸ καθῆκον, quod deceat, quod ſit dignum pietate Chriſtiana, cum te ſciam ita eſſe promtum ad optima quaeque. Nondum hic, vt dixi, rem ipſam promit; vt eo tamen nomine appellet, quo oſtendat, ſe petere rem aequam, iuſtam, quam facere & poſſit, & velit, & vero debeat ille, quem cognouerit ita paratum ad omnia officia. En aliam Paulli & prudentiam, & humanitatem, vel liberalitatem! Iubere poterat, praecipere certe, poſcere atque exigere, quod peteret; malui tamen, inquit, per amorem cohortari te & rogare: per amorem, & in te meum, & in me tuum, & tuum in alios Chriſtianos probatum, huic vt dares libere, quod & per ſe deberes. Illi autem mutuo amori nil perfecto negaris. Ita praemiſſis, velut occupando praeſidio & firmando, argumentis, & ab animo Philemonis, & ab aequitate rei, nondum tamen cauſſam ponit, quin & de ipſo, qui roget, ea praemittat, quibus nil omnino negare Philemon ſuſtineret. Ea quae ſunt? Tria omnino: 1) *Paullus* te rogo, quem noris, quem ames, quem colas, qui nil iniqui poſcam, cuius animum probes, cuius muneri tantum tribuas: quod munus & ipſum adhibet: 2) legatus Ieſu Chriſti, apoſtolus. Ita enim hic accipere malim πρεσβύτην, Genitiuo ſubintellecto, quem ſubiicit vocabulo δέσμιος, Ieſu Chriſti. Nam etſi πρεσβύτης ſeniorem fere notat, & aetate prouectum, nec leue pondus ſit ſenectutis, ſenis rogantis: tamen & legatum notat; quia ſeniores tantum adhiberi

ſo-

ſolebant legationibus, & rectius adhibentur: neque ita prouectus aetate erat Paullus, vt iuuenis ad Chriſtum verſus: Actor. 7, 58. Etſi voc. γεννίας, vt Ebr. בַּחוּר, & Latinum *iuuenis*, virum quoque notat: vt ſexagenario forte immineret poſſet Paullus, cum iſta ſcriberet. Quare, ſi placuerit, vt Theodoreto placet, ſeniorem intelligi πρεσβύτην, nouum commendationi pondus acceſſerit, aetas Paulli, forte & occupata aerumnis & iactationibus; & in nomine ipſo Paulli inerit cogitatio & pondus apoſtoli roganti. Sed tertium addit: nunc & 3) captiuus ob Chriſti doctrinam. Satis erat, Paullum rogare: ſatis, apoſtolum: ſatis, aetate grauem! Captiuum quidem cum addit: negandi conditionem reliquit nullam. Ob Chriſti enim doctrinam vincto apoſtolo ſeni quis, quid negaret? Aut quis eius captiuitati, tam moleſtae, tam honeſtae eidem, ac venerabili prorſus, ſubtraheret ſolatium annuendi, aut dolorem inureret recuſandi? Tali iam praeſidio munitus, tam multiplici, tam firmo, quaſi cominus congreditur, cauſſa proponenda, ac velut velamine remoto nudanda: id quoque prudenter & caute. Non enim Oneſimi nomine ſtatim ferit aures Philemonis, ne refugiat, offenſus & exaſperatus odio nominis, ſed ita quaſi adumbrat clientem ſuum & e longinquo deſignat, vt, quod negaturus ſit, nec ſibimet ipſi, ita promto ad officium omne ita probato cunctis, ita laudato per apoſtoli vocem, nec rei, quam καθῆκον vocarit Paullus, nec

Paul-

Paullo, apoſtolo, ſeni, captiuo, id neque homini iam ipſi negare poſſit: quem ante, quam nominet, vocat & deſignat *filium* ſuum, quem a) filii loco amet, ob indicia pectoris probi, b) Chriſtianum effecerit, idque c) in vinculis, cum Romae captiuus ipſe eſſet. Quid tali hominis cauſſae negaret Philemon? Filiumne Paulli repudiaret? An Chriſtianum effectum? An captiui apoſtoli opus. Ita deſignati, iſta quaſi praeſcriptione muniti, iam non diſſimulat nomen: Oneſimum, tutus iam Securusque vocat. In Graeco eſt accuſatiuus, etſi eſſe debebat Genitiuus, qui penderet a verbis, περὶ τοῦ τέκνου· ſed pendet ab altero, ὃν ἐγέννησα· quaſi non dicat, ſe deprecari pro illo, ſed hoc tantum, a ſe illum genitum Chriſtianum effectum. Eleganter ſimul & feſtiue, quo deliniat Philemonem magis, alludit ad nomen Oneſimi, quod *vtilem* notat, frugi hominem. Cui alluſioni forte & datum dixeris, vſ. 20. ἐγώ σου ὀναίμην, ita ego te fruar, tua humanitate vtar! *Inutilem* antea fuiſſe, dicit, immo concedit faſſus. Et hoc prudenter idem ſimpliciterque: Non diſſimulat eius culpam, non excuſat: molliter tamen appellat, *inutilem*, pro noxio forte, appellans: & inuidiae leniundae, & cum alluſione, per anthiteſin, ad Oneſimi nomen, *vtilem* notantis, & vere, quia ἄχρηστος & *noxium* notat: at nunc, pergit, & mihi & tibi vtilem; quippe Chriſtianum iam, & poenitentia immutatum, & Paullo probatum vtilitate operae & hanc operam iam domino nouaturum. Quae noua additur commendatio nomi-

nis, re firmati. Remiſſum a ſeſe, demonſtrat, ad dominum vel herum: nempe, quem ita & dignum oſtendat, qui recipiatur ab hero; & ſpem ſuam interpretetur, non remiſſuri tam alacriter, niſi confideret, aequum illi Philemonem fore: quod non confideret, niſi dignum remitteret. Nunc ergo, veluti per ſcopulos eluctatus, *vela facit, & pelago* decurrit apertò: ſimpliciter, amanter, grauiter agit. Animum fuiſſe ſibi, demonſtrat, ſecum illum retinendi, ipſi miniſtraturum. Duo hic innuit: primum, potuiſſe illum a ſe retineri; non, quo ius illi eſſet, detinendi ſeruum alienum, fugitiuum, inuito aut inſcio domino; ſed ad tempus, dum eo haberet opus: quod libenter Philemonem conceſſurum, ſciret: dum domino ſcriberet eius cauſſa: dum ira heri reſideret. Quid ergo? Cur remittebat? Scilicet, vt dignum oſtenderet, quem reciperet herus, non repudiaturus, quem Paullus adhibere ſuis miniſteriis eſſet dignatus: deinde, ſe noluiſſe retinere; partim, inſcio domino vel inuito: ex quo ipſo fauentem haberet Philemonem, liberalitate ſua probanda: partim, vt videret Philemon, dignum plane beniuolentia ſua remitti Oneſimum: quem tam cito non remitteret Paullus, niſi confideret aequitati & humanitati Philemonis. Cui iudicio de ſe quid negare ſuſtineret Philemon? Quod iudicium cumulat, profeſſus, velle ſe, omnia fieri voluntate Philemonis, nil eum cogere. Intelligebat enim apoſtolus, promtius fieri, quae non imperarentur aut co-

ge-

gerentur, ſed pro beneficio peterentur, & arbitrio facturi relinquerentur. Iam & vtilitatis ſpe probabili eum mouet, vſ. 15. *Fortaſſe*, ait: caute ſane, prudenter ac modeſte, ne cupidus videatur, aut plus recipiat, quam praeſtare poſſit: fortaſſe a te diſceſſiſſet; en diſertum! non dicit: aufugit, te deſtituit; tantum hoc ponit: abiit a te, afuit, ſegregatus fuit: ad tempus, dum, Romam delatus, Chriſtianus effectus, mihi cognitus, probatus, melior tibi rediret, quem in perpetuum haberes, tecumque retineres, nempe iam fidum vtilemque futurum, quippe & poenitentia mutatum, & Chriſtianum effectum, & ab ipſo Paullo inſtitutum, quid deceret facere frugi ſeruum. Ac vere meliorem factum, ex eo apparet, quod rediit ad dominum, eique hanc epiſtolam reddidit, non interuerſam; quod nemo impediret ſemel a Paullo degreſſum; ſua ſponte ergo venerat; quis enim cogeret? Nec tamen, *ideo* abiiſſe a Philemone, dicit, vt melior rediret; quod neque Oneſimo fugienti propoſitum eſſet; nec Dei conſilium verſabatur in delicto & culpa ſerui fugientis. Vertit tamen in bonum Deus mala praeuiſa & permiſſa, vt odia fratrum Ioſephi, Gen. 50, 20. In poenitentiam verſum detulit illum Romam ad Paullum, ad quem ſeſe applicaret, a quo Chriſti ſacris initiatus, mutaretur totus, meliorque ad herum remitteretur: quem inſigniter certe hoc mouere & poterat & debebat, vt etiam laetaretur ſerui fuga, ex qua Chriſtianus meliorque

effectus reuerteretur. Validum ſane & hoc argumentum, magnaeque prudentiae, vti ad excuſationem facti euentu, vtut non quaeſito! Iam vero de ipſo Oneſimo quam amanter loquitur! Quid maius poterat, quam (vſ. 12.) vocare *viſcera* ſua, intime ſibi dilectum, *animae dimidium ſuae?* & rogare vſ. 17. vt tanquam ipſum reciperet? Nil potentius! At humanitatem quoque vide talis viri, liberi, ciuis Romani, Phariſaei, Chriſtianorum vel ſummi Apoſtoli, & facile principis. *Seruum* hominem ita non tuetur modo, ſed & amat, colit, alterum ſe vocat. Nempe hi ſunt ſenſus vere Chriſtiani! Quorum diſſimilem eſſe Philemonem profecto pigeret! Quid mirum, ſi vſ. 16. recipi iubet non vt ſeruum, ſed vt honeſtiorem ſeruo & cariorem, plane vt fratrem, ſibi parem, eumque dilectum? Amari ergo poſcit, quem commendet: cauſſis quoque allatis, ne temere aut nimium exigere videatur: a) quod ipſi Paullo ſit carus: ad quem ſeſe applicuerit, quo auctore Chriſtum ſit ſecutus, quo interprete ad dominum reuerti parauerit. Sed Paullo carum Philemon odiſſe quî poterat? b) quod & Philemoni carus ſit, tum ἐνσαρκὶ, humanis & ciuilibus de cauſſis, quia ad illum redeat, fidus ei porro futurus, nam, cognationem forte innui vocabulo σαρκὸς, non placet: niſi ponere libuerit, immo ſumere, nullo ſane indicio, herum ipſum Philemonem antea ſeruiiſſe, heredem inſtitutum teſtamento domini vel patroni, hereditario ſeruo Oneſimo vſum. Sed &

nunc

nunc *in domino* carum illi vult Oneſimum eſſe, i. e. vt Chriſtianum. Sed illud quám graue, quam ſimplex, quam liberale, quam efficax, & quod omnem cunctationem abſcinderet! vſ. 18, 19. Si quid te laeſit: id mihi imputa! ego reddam: id mea manu ſcripſi ipſe Paullus. Debitorem ſeſe pro ſeruo offert; expromiſſórem ſe opponit, ſe vicarium obligat: in ſe deriuat culpam & ſatisfactionem: ſua manu ſcribit, ne qua dubitatio relinquatur! Quid hic reliqui fecit? Acceptурus ſane Philemon non videtur fuiſſe; quid ſi tamen? Promtum quidem ſoluendo habebat Paullum, & obligatum! Grauius tamen agit, poſt tanta blandimenta, ne videatur ambitione pugnare tantum, aut diffidere vel ſuae auctoritati, vel Philemonis voluntati atque officio: Apoſtolum iam exhibet Paullum, vſ. 19. id quoque modeſte; ne dicam, inquit, oratorie praetermiſit, quod vel grauiſſimum eſſet: quod te ipſum mihi debes, προσοφείλεις; quaſi *inſuper* debes, (ſi quis inſiſtere voluerit praefixae πρός, in quo ego non aſſeuero;) vltra id, quod a te exigo, parum futurum prae eo, quod mihi te ſolum debes. Summae grauitatis hoc eſt, & animi ſuae magnitudinis ſibi conſcii. Chriſtianum enim haud dubie Philemonem reddiderat Paullus, aut & aliis officiis iuuerat. Quae non exprobrat illi, nec iactantantia imputat, aut ſui commodi ſtudio reddi poſtulat; ſed vniuerſa alii delegat & transſcribit, Oneſimo ſuo; quidquid ſibi debeat Philemon, in hunc vertit & confert: ſatis ha-

biturus, si illo recipiendo gratum sese ostenderit. Ita nulla omnino suspicio residet aut arrogantiae, aut mercedis captandae, cum pro *alio* annitatur, alii petat, e cuius commodo nil ad ipsum redundet. Nempe intelligebat, quam in difficili loco & scopuloso versaretur, pro fugitiuo, forte & furaci, certe male fido ac negligente, ad herum deprecator offensum: propriae dignitatis & existimationis periculum aditurus. Quare nil intentatum omisit. Obsecratione claudit orationem: ita sane te, frater, fruar, Christiano, Christi caussa: Fac, Christianum te experiar: fac, Christi caussa facias, more & amore Christi, apostoli eius, & hominis ad eum versi: recrea & exhilara meum animum, studium, Christiani Christianus! Sed validissima clausula est *fiduciae*: scio, te prolixius etiam facturum, quam petam. Confisus obsequio tuo, minus etiam scripsi & postulaui, quam tu facturus sis vltro, Forte innuit, vt eum liberum esse iubeat, (ὑπὲρ δοῦλον, vt supra posuit, periphrasi forte vsus:) pecunia idem iuuet, victus copiam vnde vnde assignet. Quae aperte tamen & directo petere ita veretur, satis habiturus, si benigne, vel vt seruum, receperit, vt tamen, confidendo, facturum, potentius petat. Nec nihil momenti facit, quod vs. 22. hospitium sibi vult parari, vt e captiuitate ad illos redituro. Dupliciter id quidem valet. Nam & pudori erat futurum Philemoni, offerre Paullo os suum, cui negasset tam impense roganti; & laetitia liberum vi-

den-

dendi Paullum alacritatem additura erat Philemoni ad obſequendum: quae ſane vis eſſe gaudii & ſpei ſolet. Et coram acturus pluribus exſpectari poterat.

CAPVT V.

DE

GENERE IUDICIALI.

Huius generis conditio & cauſſa verſatur in conſtituendo *vero* & *aequo*. Eius tres ſunt quaeſtiones: *an* ſit, verumne, an falſum: *quid* ſit, quo nomine veniat: *quale* ſit, aequum, an iniquum. Et prioris quidem cauſſae diſputatio tota pendet a quaeſtione de eo, quod *poſſit* fieri, vel non poſſit; ad quem locum illam ſeruabimus. Altera, quid ſit, quo nomine appelletur, paucis hic abſoluatur; neque enim multis e Paullo exemplis inſtrui poſſit. Eius autem diſceptatio regitur ac cenſetur illa formula Dialecticorum, qua iubeamur reddere nomen & vocabulum, indicem alicuius notionis, ei homini vel rei, in quo quaue illa notio deprehendatur: & rurſus moneamur, notionem rei conſtare, vbi nomen conſtet, quo res illa ſignetur. Vtriusque argumentationis exempla attulimus in Log. Paull. p. 147. C. de Argum. n. 6. 7. Omnino enim hoc genus *dialecticum* aptius dixeris: certe, quoad neque apud nos hodie, neque apud Paullum, in iudiciis verſetur, quae quidem proprie dicantur; Immo in *definitione* vindicanda verſa-

tur, & omnino, quod conueniat rei, quid diſcrepet, quaerit atque oſtendit. Sic contra duo illa, demonſtratiuum & deliberatiuum, *moralia* dixeris. Sed ibi allatis exemplis hic addere poſſumus, quod Rom. 1. & 2. probat, & paganos, 1, 21 — 31. & Iudaeos, 1, 32. 2. tot. eſſe improbos, malos, corruptos, diuino fauore indignos, poenam commeritos: quia fecerint, quae & per ſe aduerſarentur legi diuinae, & ipſis eo nomine cognita ſatis eſſent: 1, 21. 32. 2, 18. Adde & Act. 17, 19. vbi negat, Deum eſſe ſimilem figurae corporeae, qualem idola habeant: quia ſit auctor hominum, quos effecerit ſui ſimiles, ſuum genus. Hoc idem exemplum & ex diuerſo valet, vt idola non poſſint haberi diciue numen, quia non ſint viua, neque intelligentia, vt homines; Deo ſimiles ab ipſo effecti. Nec vero periculum hic reliquit Paullus, ne *homini* forte ſimilem habendum Deum crederent Athenienſes. Pedetentim Apoſtolus incedebat, ſatis ab initio habiturus, ſi ab idolorum cultu illos reuocaſſet. Et quia progrediebatur a notis & conceſſis, κατ' ἄνθρωπον, ex auctoritate poëtae illis noti ac probati, non plus tribuit huic argumento, quam poſſet, quam in illo eſſet, tantum effecturo, vt muta illa idola non poſſent eſſe numina, quippe deſtituta ſenſu, vita, viribus, cum homines, Dei genus, ſimiles ergo Deo, vterentur a) vita, b) ratione, c) viribus inſitis. Sua ſponte iam reliqua ſequebantur, partim porro explicanda praebentibus porro aures, partim ex illo intelligenda, quod a) negauerat, numen

ſi-

ſimile eſſe figurae ab hominibus inuentae & effictae, ergo & omnino corporeae atque circumſcriptae: b) negauerat, cura hominum indigere Deum, qua, velut homo infirmus, foueretur: c) dixerat, Deum vbique eſſe, a nemine abeſſe: quod ſatis tolleret omnem corpoream circumſcriptionem. Hoc tamen nomine iſta notari hic attinet, quod oratorie plane perſequitur, 1) teſtimonio Arati, 2) per Soritem & cauſſam cauſſae ſubiectam, vt, cum, σαρκικῶν nomen in Corinthios cadere, probat, 1 Cor. 3. init. 3) per ſingula eundo, vt Rom. 1, 25. recenſet idololatriam, impudicitiam, alia flagitiorum nomina, quae collecta, plane impios probent: 4) interrogationibus erigit & incendit orationem: vt 1 Cor. 3, 3. Ita dementiae ſuſpicionem, dementis vel furioſi nomen, a ſe amolitur, Act. 26, 25. 26. a Feſto ſibi impactum: repellitque a) per ſimplicem negationem, profeſſus, vera & ſana a ſe promi: b) prouocando ad conſcientiam teſtimoniumque regis Agrippae, qui ſecum ſciat, α) vere illa eſſe ita geſta, quae protulerit de Ieſu Nazareno: β) a prophetis ita eſſe praedicta, quibus γ) fidem rex habeat, vt neque contemnere illa poſſit, neque exitu caritura pitare; quem illis exitum conſtitiſſe in Ieſu Nazareno, ipſe iam Paullus cognitum affirmet. Accuratam ſane defenſionem & prudentem, partim ex veris per ſe, partim e conceſſis! At idem dementiae crimen nomenque, probat, in Corinthios poſſe conferri, 1 Cor. 14, 23. ſi tam cu-

pide vtantur linguis exteris, nemini intellectis: & Galatis imponit ipſe, 3, 1. partim, qui tam temere deſciſcant a Chriſto, tam euidenter agnito, partim, qui velint deſinere in tenuitatem rituum coepta per fidem euangelio habitam:

vt turpiter atrum
Deſinat in piſcem mulier formoſa ſuperne.

Tardos & ſtupidos arguit Ebraeos, 5, 11. 12. vt ne elementa quidem ſatis tenentes eius doctrinae, cuius, per temporis ſpatium, magiſtri eſſe poſſint ac debeant. Dei filios eſſe, probat, Chriſtianos Gal. 3, 27. 28. vt Chriſto per baptiſmum intime iunctos, ſimiles ei redditos, & compotes beneficiorum ab eo partorum: nothos contra & alienos a Deo, Ebr. 12, 7. 8. qui non caſtigentur ab eo; quia omnes vere filii a patribus caſtigentur. Illuſtre exemplum explicandi, quid ſit res, paullo poſt notamus, ex Rom. 9, 8. vbi notat veros filios Abrahami. Omninoque, huc referri & repeti, attinet, e Log. Paull. Caput de *Definitione.* Cui addo *deſignationes* ex certis *notis*: vt, cum Rom. 8, 12. *filios Dei* ponit, qui a *Spiritu Dei* impellantur, (& ſe patiantur impelli,) ad bona: & e diuerſo negat, vere Chriſtianos eſſe, qui careant illo ſenſu, vſ. 8.

Sed propria huius generis loca ſunt, vbi probatur, aliqud licere, aut non licere, eſſe iuſtum, aut iniuſtum, aequum, aut iniquum: idque

1) ex ipſa rei natura, vel conditione eius, cui tribuatur. Ita Rom. 1, 18. ſequ. oſtendit, ae-

aequam esse iram Dei & poenam, tum in paganos, quod, a) meliora edocti, certe, vt possent atque deberent scire, vel ex operibus Dei, 1, 19. vel e conscientiae sensu, 2, 15. tamen b) stulta & turpia & crediderint, vs. 21 — 23. & fecerint: unde ait, defensione eos omni carere: tum in Iudaeos, 2, 1 — 24. qui & sciant rectiora, vs. 18. vt habentes legem Dei, & damnando in aliis ostendant, se scire, quid non liceat: vs. 1 — 18. 21. sequ. & alios doceant facere recte, cauere praua, vs. 19. sequ. damnent etiam alios perperam agentes, vs. 1, 4. & legi ac formulae diuinae ingerant summam ignominiam conuitiandique materiam, vs. 23. 24. Per quae iustissimam eos manere sententiam Dei & poenam, pronuntiat vs. 2. neque effugere illos posse, vs. 3. Eiusdem aequitatis rationem habet, quod demonstrat, 2, 12. paganos, scripta lege carentes, damnari & puniri, non ex illa, sed ex naturae lege, quae illis innotuerit; at Iudaeos non ex hac sola, sed e scripta, ex illis patefacta: quod manifesto & per se aequum appareat: plane vt 3, 19. Quae lex loquitur, ea loquitur subiectis legi: ad quos nimirum pertineat increpatio ista. 3, 5 — 8. Dubitationem monet ex iniquitate, quae sit futura, si Deus voluerit punire mala, quae vertant, quae vertere velit, certe versura, sciat, in maiestatem eius illustrandam: sed enim & illa iuste puniri, quia non id propositum fuerit Deo, vt e malis morum quidquam redundaret ad suam maiestatem illustrandam:

&

& iuſtam eſſe poenam tuentium hunc errorem. A quo errore haud multum abeſſe mundi optimi vindices videantur, vtut conſilio haud impropo, impie tamen ex falſo, fruſtra reclamante apoſtolo. At enim quem apoſtolum audiunt nil aliud quam ſibi philoſophantes? Rom. 9, 20. 21 probat, iniquum eſſe, expoſtulare cum Deo, ſummo omnium arbitro, qui, nemini obnoxius, poſſit vel tribuere vel adimere beneficia ſua, cui velit. In cuius argumenti cardine vertitur tota illa diſputatio inde a C. 9. ad 11. extr. de excluſis Iudaeis & receptis paganis. Cuius rei aequitatem & ius demonſtrat, 1) explicanda vera notione *filiorum* Abrahami: quos eſſe, interpretetur, non omnino aut ſimpliciter poſteros eius corporeos, phyſicos, naturâ, ſed moribus, qui teneant imitenturque fidem eius, 4, 12. non vniuerſe tantum, aut cuiuis promiſſo Dei exhibitam, ſed ei maxime; quod ad Meſſiam pertineat ex Iſaci progenie proditurum. Quod inde probat, ſubtiliter ſane, quod *promiſſus* fuerit Abrahamo Iſacus, & ex eo Meſſias: quorum neque ille natus eſſet, niſi Abrahamus fidem habuiſſet Deo, neque hic teneatur aut proſit, niſi credentibus. Ita aſſerit Deo veracitatem, in omnibus conſtituram, in Iudaeis quoque, qui per fidem acceperint Meſſiam, promiſſum Abrahamo & ex Abrahamo; reliquos, qui non acceperint, ne eſſe quidem vere Iudaeos, aut dignos nomine filiorum Abrahami: neque inique agere Deum, aut fidem mutare, ſi reiecerit non

am-

amplexos promiſſum, quod amplectentes, ſint & recte dicantur veri Iudaei. Demonſtrat porro, quod ſuſcepiſſet, 2) vindicando iure Dei, auctoritate & libertate adimendi vel impertiendi beneficia ſua, commoda externa & corporea, quibus voluerit: quod vſ. 17. vocat ἐλεεῖν & σκληρύνειν. Id ei auctoritatis aſſerit exemplo Eſaui & Iacobi, vſ. 10. ſequ. *vno* eodemque patre natorum, & tamen diuerſa ſorte vtentium, nulla omnino meriti ratione: Pharaonis quoque, vſ. 17. a Deo *conſeruati*; id enim hic eſt ἐξεγεῖρειν, *excitare*; quod vſ. 22. expl. *ferre* cum multa patientia: ſeruati ergo a Deo, qui perdere ſtatim poſſet, ob inuictam peruicaciam, a qua non diſceſſurum, praeuidiſſet. Vindicat idem 3) ipſa maieſtate Dei, hominumque conditione vſ. 20. 21. pendentium plane a Deo, vt lutum ſit in figuli poteſtate. Quae comparatio grauiſſima doceat, non Deum hominibus, ſed hos illi, plane obnoxios: 4) ex patientia & clementia Dei, qua diu ſatis tolerauerit peruicaces, dudum commeritos poenam, vſ. 22. Ubi facundo ſilentio utitur: ſi Deus clementer tolerauit poena dignos, ad perniciem maturos ſua ipſorum culpa! „Conſequens non reddidit, facile tamen intelligendum: Quid tu cum illo expoſtulas? Sed multo maxime Deum defendit 4) ipſorum Iudaeorum peruicacia & peruerſitate nitentium, quod non poſſint, placere Deo per ſemet & facta ſua, repudiata conditione placendi ei per Chriſtum, quod debeant: vſ. 32. ſequ. 10. 3

Ita

Ita e diuerſo, 11, 17. interdicit paganis ad Chriſtum verſis Iudaeorum contemtu, iniquum arguens eo, quod copiam nacti ſint beneficiorum, ab illis, Iudaeis, profectorum ad ipſos, paganos: Rom 14, 4. rel. iniquitatem oſtendit damnandi infirmiores, vt non noſtro, ſed Dei iure ſubiectos; iniquum autem eſſe, minuere aliena iura, aut ſibi arrogare: vſ. 4. nec minus iniquum, turbare eos exemplo, & ſollicitatos trahere ad faciendum, quod licere non putent: idque tam graue, tam pernicioſum, facere ob rem adeo leuem, ob cibum, vſ. 15. quo profecto nil ſit iniquius. Rom. 15, 20. negat, euangelium a ſe propoſitum iis, quibus iam alii tradidiſſent: ne *alienis* fundamentis inaedificaret: id eſt, ne *inique* ageret, alienae operae fructum in ſe verteret. Scortationis, & libidinis, praeter foeditatem, etiam *iniquitatem*, huc referendam, demonſtrat 1 Cor. 6, 15. quod illi deditus auferat Chriſto membra ei ſacrata, vindicata, Chriſti ſanguine & morte redemta, atque ita inuadat rem non ſuam, adimat Chriſto ius ſuum: & vſ. 18. quod in ſemet ipſum delinquat. Quae ſane atrociſſima ſit iniquitas. Cui enim parcat, qui ſibi non parcat? 2 Cor. 6, 13. aequum cenſet, vt Corinthii *dilatentur* & ipſi (πλατύνθητε.) vt diffundantur, id eſt, 1) alacres & laeti ſint, cum fiducia & amore in Paullum: 2) generoſe ſapiant, liberalem ſenſum induant, neque ſe abiiciant. Vtrumque enim conuenit & cum vocabuli poteſtate, & cum loci tenore: illud cum vſ. 12. nos alacriter, effuſe, laeti vobis indi-

ca-

cauimus ſenſa animi noſtri; hoc cum vſ. 14 vbi eos vetat ſociari cum impiis, cum falſis doctoribus, vt deterioribus. *Aequum* autem id ponit, quo nomine huc proprie referatur, quod ipſe ita ſe exhibuerit erga illos: cui ſenſu eos reſpondere, aequum ſit, nec frigidiores eſſe in illum, quam ipſe fuerit erga illos 2 Cor. 8, 13. ponit & quaerit aequi rationem in deſcribendo modo liberalitatis, quae exſpectetur non a ſolis Corinthiis tota, ſed cum diſpenſatione: vt, quod nunc vberius dederint & contulerint, id olim aut minus conferant, aut liberalius accipiant: quo teneatur & conſtet ratio aequabilitatis, ἰσότης, in qua inſit ipſa *aequitas* commutandi. Omninoque aequi rationem hic habet, ne aut a) *imperare* videatur, quod non liceat in re tali, quae ſit relinquenda uni arbitrio ipſorum, vſ. 8. Quippe liberalitatem ne princeps quidem cogat; aut b) inuiti conferant vel reluctantes, vel vltra commodum: 9, 7. vt triplex admodum aequi ratio habita inueniatur. Cui argumento ſimillimum eſt, qua rem ipſam, quod Gal. 6, 6. praecipit 1) doctores beneficiis iuuari diſcipulorum: 2) ſocios eiusdem profeſſionis, Chriſtianos, praecipuo eſſe loco beneficentiae percipiundae: vt ſint gradus, praeferendi aliquos, reliquis non neglectis: 3) nunquam ceſſare aut deficere in bene faciendo; quia olim neque in praemio capiundo ſint defecturi. Quod, iam ſupra notatum, paullo poſt aliter notabitur. Alia duplex aequi ratio eſt 12, 11. & 14. Altera, quod ait, ſe debuiſſe a Corinthiis commendari, non ſuam

&

& ipſius voce laudari. Nam, commeritam laudem, aequum eſt, ſi quidem ſit reddunda, ab his reddi, in quibus illam commẽrueris. Altera vſ. 14. aequum eſſe, copiam a parentibus colligi liberis, non ab his in illorum vſum. Quod ille, per ſe aequum & naturae rei conſentaneum confert, per gnomen, vel locum communem, in ſe, veluti patrem Corinthiorum, quas & ad Chriſtum verterit, 1 Cor. 4, 14. 15. Gal. 4, 19. &, vt ſponſam filiam, Chriſto tradiderit, 2 Cor. 11, 2. & paterne amet, 7, 13. vnde non debeat ipſe, aut per alios, eos ſumtu ferire, aut ex illis ditari; ſed contra ipſe illos ditare, vt poſſit, ſapientia, doctrina, praeceptis, conſilio, ſolatiis. Et ironice ibidem, iniuriam ſibi ignoſci, rogat, quod ſumtus cauſſa illis non fuerit 12, 15. iniquum eſſe, oſtendit, molliter ille quidem, & obiter plane, ſe minus diligi a Corinthiis, quos ipſe ita amet, vt paratus ſit vel vitam pro iis effundere. Gal. 2, 14. refert iniquitatem Petri a ſe impugnatam, cogentis paganos compingi in neceſſitatem ſeruandae legis Iudaicae, qua & ipſi Iudaei iam eſſent ſoluti, & ipſe Petrus ſolutum ſe gereret. Eodem pertinet, quod 6, 13. negat, legem ſeruari ab ipſis propugnatoribus Leuiticae legis, quam aliis impingi ab iis, iniquiſſimum ſit, cum aliis ſint acerbi, vt ſint dulces ſibi. Ibid. vſ. 7. probat aequitatem mercedis capiundae pro factis, ex ipſius rei natura: prouerbio vſus, quod & Craſſus ponit apud Cicer. Dial. 2. de Orat. *Vt ſementem feceris, ita metes.* Qua non poſ-

possit esse maior veluti necessitas aequitatis, ex necessitudine rerum inseparabiliter coniunctarum. Adde Eph. 6, 8. Coniugalis amoris aequitatem, Eph. 4, 29. probat ex eo, quod nemo oderit aut odisse possit suum ipse corpus, quod quisque enixe foueat: esse autem uxorem ex corpore viri, Gen. 2 extr. & arctissime illi iunctam. Phil. 1, 17. iustum & aequum esse, ait, vt ipse ita sentiat de Philippensibus, vt ostenderit, vel ita curae habeat illos, faueatque progressibus illorum in Christiana virtute, quia intime illos amet: id est, 1) magister illis exstiterit eius virtutis, in qua firmari & proficere illos velit: 2) dignos illo amoris studio cognouerit Philippenses. Nam haec duo intelligi, conuenit, vt *aequi* ratio constet, quae a Paullo posita, non efficiatur ex amore ipso, aut solo. Iudaeorum iniquitatem notat, 1 Thess. 2, 16. nolentium & impedientium apostolos paganis tradere euangelium, quod salutare sit illis futurum, aeque illis destinatum, ac Iudaeis: vnde &, vs. 17 poenam eorum *aequam* fore, demonstrat. 2 Thess. 2, 10. & 12. aequitatem ostendit quaerendi victus opera sua: 1) iniquum esse, velle ali & sustentari, qui opus facere nolit: 2) aequissimam esse copiam victus propria manu quaesiti. Cui simile ponit 1 Tim. 5, 18. dignum esse operarium sua mercede: & 2 Tim. 2, 6. aequum esse, agri cultorem primum percipere fructum operis sui. Vbi tamen addit: intellige, attende, quae dico: nempe, ne hoc vertatur in sordidam lucri cupiditatem,

ſin minus a te, certe ab aliis. Ad *Philemonem* quoque Epiſtola non ſine aequi ratione commendat Oneſimum: vſ. 8. quod precibus & amore contendat id, quod praecipere poſſit: vſ. 10. quod aequum ſit, tribui aliquid, iniquum ergo, negari, apoſtolo, ſeni, ob Chriſti doctrinam vincto: vſ. 11. quod longe alius & melior redeat ſeruus ad herum, quam abierit: vſ. 14. quod noluerit Paullus eum retinere, inſcio aut nolente domino: vſ. 17. quod illum mittat pro ſe, tanquam ſe; Paullum autem non benigne recipi a Philemone, iniquum erat futurum: vſ. 18. quod reſtituere ipſe velit, ſi quibus illum forte fraudarit: Quod vt conceſſurus Philemon haud videretur: aequum tamen eſſet, offerri a poſtulante, vt reciperetur: vſ. 19. quod plus Paullo Philemon debeat, quam nunc petat. Quae omnia habent aequi rationem, & manifeſtam, & ſummam, & multiplicem. Ebr. 2, 10. aequum fuiſſe, demonſtrat & conſentaneum iuſtitiae diuinae, Chriſtum, autorem & effectorem aeternae ſalutis hominum, ornare & ipſum ſumma gloria & felicitate aeterna, τελειῶσαι, poſtquam ipſe toleraſſet mala hominibus ſalutaria: Quippe, διὰ παθημάτων, hic eſt, *poſt* mala tolerata. Nempe vis argumenti ab aequitate eſt in verbis, ἀρχηγὸν τῆς σωτηρίας. Haud aequum erat, nec dignum iuſtitia diuina, Chriſtum, qui nos reddidiſſet felices, ipſum eſſe exſortem bonorum, quae aliis peperiſſet, idque morte ſua, nec primum ornari & exhilarari fru-

ctu

ctu operis sui. Nec Deum aliter decuisse, demonstrat, omnium rerum auctorem, arbitrum, ad cuius maiestatem omnia referantur, cum Christo sit vsus ministro nostrae felicitatis. Addit aliam aequi rationem, vs. sequ. quia ex *vno* sint Christus & Christiani, vno patre vtantur, Deo: vt iniquum sit, principem fratrum esse deteriori loco, quam reliquos. 10, 26 — 29. aequum esse, ostendit, poenam repudiantium vnicam satisfactionem Christi, & tam acerbe insultantium vnico auctori tantae salutis: vt delicti atrocitas monstret aequitatem poenae, vtut grauissimae. Doctoribus parendi aequitatem, Ebr. 13, 17. ex eo ostendit, quod vigilent & laborent pro animis nostris. Hoc & ad hominum, vel subiecti, conditionem trahi potest, vt plura ex iis, quae attulimus. Quibus addamus duo propria, illustria sane, & plane iudiciale alterum: Act. 22, 25. an caedere licet hominem 1) indicta caussa? 2) ciuem Romanum? Ecquid propius aut magis proprie retuleris ad quaestionem iudicialem? cum & in iudicio ibi versetur apostolus, & iure legitimo sese tueatur? Alterum Rom. 14, 23. vbi probet, per locum communem, eum iniuste facere, qui faciat, quod per se liceat, sed licere, nondum persuaserit sibi. Sed plura addere datur, plane iudicialia. & loco, & caussa Act. 23, 5. & iniquitatem obiicit pontifici, iudici in iudicio reus illegitime iubenti sese percuti, nullius probri conuictum: & vs. 5 a sese amolitur iniquitatem huius exprobrationis, excusatione ignorantiae, quod nesciret, a Pontifice imperatum

tum: nempe, quod plures essent e pontificum nomine: aut, quod probabilius videatur, quod perturbatio summa esset, in qua veluti promiscue agerent cuncti: vel, quod ita se gereret pontifex, atque id imperasset, quod, vt indignum iudice, non videretur profectum a summo & legitimo iudice. Quid? Act. 25, 10. 11. nonne plane in aequitate iudiciali & legitimo iure versatur Paullus, 1) negans, a Iudaeis se iudicari posse, qui iam apud Caesarem, id est, apud praesidem Caesareum, causam agat; dicit enim, *nunc* adsto; ergo iam apud Festum erat Caesaris tribunal: ἑστὼς autem hic notat & praesentem locum, & remotum simul; quia ad ipsum Imperatorem simul prouocabat; 2) negans, se a quoquam condonari Iudaeis innoxium posse: ne a procuratore quidem, cum iam ad Imperatorem prouocarit: 3) professus, se haud recusare mortem, nempe vt aequam, si nocens compertus fuerit. Adde Rom. 2, 12. qui sine lege (scripta) deliquerint, sine illa (ex sola naturae lege) punientur; & contra.

Ita 1) e rerum natura demonstrat aequum vel iniquum; sed &

2) ex attributis diuinis, maxime sanctitate, iustitia, (vt Rom. 2, 11. personam non respicit Deus: facta, sensus spectat, siue pagani sint, siue Iudaei: quorum nullum discrimen faciet, nisi e sensu & more:) ex veracitate, benignitate, quae est, vt Cicero ait, coniuncta iustitiae; vnde & Ebraei, & ex Ebraismo Paullus, vno

vo-

vocabulo vtramque signant: Cuius argumenti exempla, notata in Log. Paull. p. 165 — 174. tanto minus hic repetimus, quod non tam aequitatem ipsam rei probant, quam, a Deo exspectandam rem, vel non exspectandam, quia per se aequa sit, aut iniqua; vt ad *possibilitatis* locum aptius referantur. Propius huc faciant ea, quae probet

3) ex voluntate & lege Dei, qui non possit quidquam iniqui aut ipse facere, aut alios iubere. Rom. 9, 10. e sola voluntate Dei rationem repetit diuersae sortis filiorum Isaci: ita quidem, vt, ita statuisse Deum, demonstret, ἵνα ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις μένῃ, vt Deo constaret liberrima voluntas. Neque aliter vs. 14. vbi etiam remouet a Deo suspicionem iniquitatis, per ipsa Dei verba, vindicantis sibi ius atque auctoritatem tribuendi beneficia, cui velit, vel non tribuendi. Quid enim? Si ius summum est Deo, nec quidquam debet nobis: quid minus est iniquum, quam, eum vti iure suo, nec pati, sese in ordinem cogi, aut rationem posci ab iis, qui toti ab illo pendeant? Quod & Pharaonis exemplo docet, libere seruati a Deo, cum perire promeritus esset? Ita cap. 11. vindicat aequitatem Dei, immo constantiam, in Iudaeis, quos praefracte a Deo repudiatos, negat, eo, quod 1) multi tamen eorum veniant in societatem beneficiorum Christi, vs. 2 — 5. libere tamen ac benigne & hic agente Deo: 2) reliqui quoque olim sint redituri ad Christum, vs. 25. sequ. Cu-

ius disputationis clausulam facit vs. 32. rel. vindicias libertatis & auctoritatis Dei,) nulli hominum perscrutandi: vt inique plane reprehendatur ab ignaris, rite ac iuste agere censendus & in his, . quorum causas nos assequi nec possimus, nec debeamus: 2) nemini obnoxii aut quidquam debentis, vs. 35. 3) omnia vnice referentis ad suam maiestatem illustrandam: merito quidem, cum sit omnium auctor, conseruator, moderator, vs 36 Quae vtinam & illi agnoscant aequa, qui metiantur atque interpretentur formulam religionis non ex Dei arbitrio, sed e suo: non stultius illi, quam iniquius. Iam Principibus, magistratibusque parendi aequitatem repetit ex institutione diuina, Rom. 13, 1. sequ Iniquitatem spernentium alios, non habentes eadem, quae ipsi, dona Spiritus S. notat 1 Cor 12, 28. rel Sed in primis lege diuina tuetur aequitatem & ius sui aliorumque doctorum, 1 Cor. 9, 9. 10 vsus praeecepto Mosaico de bobus triturantibus Quod non allegorice explicat ille quidem, ac si de doctoribus solis & per imaginem tantum agat; sed, cum de bobus agat, docet, de hominibus, de doctoribus & ipsis, eo magis esse interpretandum, non ipso sensu, sed similitudinis argumento: cum, quod in brutis, vt aequum, seruari voluerit Deus, id in hominibus, in doctoribus, multo esse aequum magis, & placere Deo, appareat. Sed vs. 14. diserte ad Christi praeceptum prouocat, qui hoc iusserit: nempe aut Matth. 10, 10. & apertius

Luc.

Luc. 10, 7. aut forte inter ea, quae de regno Dei, id est, de coetu Christiano habendo, praecepisse legitur Act. 1, 3. Mittimus alia, & obuia, & facilia, quae loco ipso notasse, suffecerit. Sed argumentatur etiam

4) exemplis, qua rerum, qua hominum: idque a) similitudine: 1 Cor. 9, 4 — 6. ita agit, oratorie plane, per syllogismum: vt, cum, & posuerit, vs. 1. apostolum sese esse, & probatum dederit, signis afferendis, quibus apostoli censeantur, iam ostendat aequum esse, sibi licere, quod aliis apostolis liceat, vel vxorem ducere, vel supersedere manuum opere, vt a coetu alantur. Hac hominum analogia vtitur, vt alia, vs. 13. Leuitarum, vtentium ac iure e lege Dei, & Iudaico more, & naturali aequitate rei ipsius, vt e sacris sustententur. Quod & apostolis ius esse itidem fungentibus munere sacro, tripliciter appareat, ex Dei iussu diserto, vs. 14. ecclesiae more, & rei ipsius aequitate. Quod, & Iudaeis agnitum seruatumque, aequum sit, etiam Christianis seruari. Hinc & rerum similitudine vtitur: vel, quod apostoli versentur iisdem in rebus, in quibus Leuitae, nempe in sacris, & diuinarum rerum cura: vel quod & in aliis rebus hoc valeat & seruetur, vt fructus & merces operi tribuantur, sicut stipendium militibus, vs. 7. quin ex opere ipso redeat, vt ex pecorum cura, vs. 7. ex agnorum vinearumque cultura, vs. 8. Quae a se disputari, ait, κατ' ἄνθρωπον, e sensu & more hominum, & exemplo vitae communis. Cuius

similitudinis exemplo vtitur in alia aequitatis ratione, Gal 3, 15. 16. vbi ostendit, promissum diuinum aboleri non posse per legem: sicut testamentum hominis, rite celebratum ac firmatum, rescindere aut mutare nemo possit vel audeat: quod in Dei promissis tentari, aut accidere, multo sit iniquius. 2 Cor. 11, 5. ostendit, inique se contemni a Corinthiis, aut falsis doctoribus posthaberi, qui ne magnis quidem & vere apostolis vlla in re concedat. Quod pluribus exsequitur vs. 21. sequ. Et vs. 18. aequum ponit, *sibi* concedi gloriationem, quae *aliis* concedatur. Gal. 4, 12. 14. poscit, vt se imitentur Galatae, quia ipse illis sese accommodarit, per omnia inseruierit.

Huius similitudinis pars est illa ratio, quae procedit b) a minori ad maius. Rom. 15, 27. aequum esse, ait, Iudaeos liberalitate paganorum iam Christianorum iuuari in rebus *corporeis*, cum ab iis acceperint *animi* bona, per Christum, e Iudaeis natum, per apostolos, Iudaeos, per ipsos Iudaeos, quorum dissipatio per paganos sparserit lucem verae doctrinae. Ita & 1 Cor. 9, 11. Si animi vestri bona & aeterna quasi seminauimus, ea vobis aperuimus, obtulimus, ad ea vos perduximus: magnumne sit, si a vobis metamus corporea victus commoda? Poenae grauioris aequitatem in Christi contemtores ostendit e grauitate poenae contemtores Mosaicae legis, Ebr. 10, 29. 29. Eodem pertinet comparatio decertantium in ludis, 1 Cor. 9, 25. cum stu-

ſtudio aeternae felicitatis: minus proprie tamen huc referenda, quia vtilitas ibi magis ſpectatur, quam aequitas, quae tamen & ipſa ineſt in magnitudine rei.

c) e *diuerſo:* Rom. 6, 19. ſi prauitati ſeruire potuerint tanto ſtudio: multo aequius eſſe, vt Deo ſe ita praebeant & virtuti. 2 Cor. 11, 19. ſequ ſi falſis apoſtolis ſeſe mancipent, ſui ipſorum commodi ſtudioſis, verae doctrinae & ſaluti officientibus, fidem iis habeant, omnia tribuant, ab iis omnia perferant: verius ſane, rectius, aequius, ipſi eſſe obſecuturos, vere apoſtolo, ipſorum amanti, ipſis vnice conſulenti.

Haec vere *altera* pars eſt loci iudicialis: cui, inuerſo cum rhetoribus ordine, quaſi abſciſſa ab illa, iam prior ſubiiciatur, quae probet, *veram* eſſe rem, vel falſam. Ad quam rationem referri & reuocari & illa poſſit.

CAPVT VI.

DE

EO, QUOD POSSIT, VEL NON POSSIT.

Factum aliquid ſit, nec ne, iudicialis diſputatio poni ſolet: vel, quod veteribus ita viſum eſt, qui hoc genere in iudiciis maxime vterentur, vbi quaererent, factum eſſet, nec ne, quod veniret in iudicium, quod argueretur, vel negaretur, tanquam furtum commiſſum, caedes

des patrata ab aliquo, pecunia deberetur, nec ne, cet. vel, quod huic diſputationi in iudiciis locus maxime foret. Hanc nos conditionem ſi vnam poſuerimus: repudiare licebit totam illam quaeſtionem, & e noſtra diſputatione circumſcribere atque eliminare. Quid enim *tali* modo arguit Paullus factum, aut negat? Tamenſi non vsquequaque illi abeſt aut vacat hic locus. Quid enim? Act. 22, 4. 5. nonne probat in iudicio teſte vſus ipſo pontifice, ſe fuiſſe ſtudioſum ac vindicem Iudaiſmi, Chriſtianis acerbum? 24, 11 — 14. nil ſe feciſſe, quod eſſet contrarium iuri aut formulae Iudaicae, nil ſeditioſe, ipſis teſtibus Iudaeis? Nonne 26, 26. ipſo Agrippa teſte & conſcio probat, vera eſſe, quae promat? Et 2 Cor. 12, 16. neque a ſe ipſo, nec per Titum, aut alios, quidquam impenſarum Corinthiis iniunctum? Ecquid forenſia ſatis haec ſunt, & in medio iure & factorum quaeſtione verſantur? Vt merito alteram partem loci iudicialis & proprie conſtituerint. Sed tamen inter reliqua coniiciemus, loco notanda ſuo. Latius enim patet hoc genus, quam quod fori anguſtiis circumſcribatur; immo & Philoſophorum eſt, vt Antonius demonſtrat, apud Cicer. Dial. 2. de Orat. docere, rem ita ſe habere, vel non habere: & hiſtoricorum, partim, arguere, rem geſtam, vel non geſtam, partim, euentus probabilitatem conſectari. Quo nomine & oratorum eſt, non in iudiciis tantum, ſed etiam in deliberanda vtilitate. Vt, cum Cicero p. Mil. oſtendit, futu-

turum esse, nisi iudices seuere vindicarint & coërcuerint furores Clodianorum, vt ante tribunal, ante pedes ipsorum iudicum, caedes fiant: Aut, cum p. Leg. Manil. probare nititur, futurum, vt a Pompeio feliciter debelletur: aut in Philipp. 5, 16 — 18. futurum negat, vt insolescat Octauius, tam mature, tam effuse ab ipso ornatus, aut in rempubl. arma vertat: aut p. Marcello, fieri posse, negat, vt insidiae struantur Caesaris vitae. Quae omnia, & plurima alia eiusdem, non versantur in quaestione factorum, sed simpliciter in probabilitate morali. Qua propter & nos, fisi atque vsi & natura rei, & auctoritate, qua iudicii, qua exempli, summi oratoris, omnia huc coniecta notamus, quae referantur ad veritatem rei, ita, vt ponant probentque, aliquid 1) simpliciter esse verum vel falsum, dogmatice, qua sententiam, ita sese habere, vel secus: 2) factum esse, gestum, vel non factum: quorum vtrique vel subiicere, vel adiicere liceat, 3) fieri posse, vel non posse: 4) probabiliter futurum, vel non futurum: 5) necessario euenturum, vel non euenturum. Et ita quidem digeri possunt ac debent, ex re ipsa & consilio propositae quaestionis. Sed enim, quia partim ita sunt mixta inter se & consociata, quin plane implicita, vt alterum addatur alteri & succurrat: partim in Rhetoricis modus magis spectatur, quam materia: & eadem argumentatio saepe omnibus illis satisfacit: liberius paene ac simplicius videamur facturi, ne eadem saepius ingerantur, in tanta consensione variorum argumentorum ad

idem

idem probandum, si argumentorum locos secuti, viderimus, quid ex quoque sequatur atque efficiatur: haud immemores tamen eius descriptionis; quam suggerat materia rerum & quaestionis varietas. Quam tamen complecti liceat vno vocabulo δυνατοῦ, vel ἀδυνάτου, cum Diodoro, apud Cicer. Ep. Famil. 9, 4. init. & aliis Philosophis bene multis, huius quoque aetatis, ita, vt colligamus ea appellatione & vere facta, vel non facta, &, quae possint vel non possint, &, quae videantur futura, vel non futura & necessario secutura, vel non secutura. Quanquam huius disputationis otium ipsi nobis fecimus per ea, quae plurima congessimus, locis notata ac descripta suis, in Log. Paull. C. 5. de Argum. p. 125 — 332. Quae quid attinet repeti, vel haec legere dignatis, qui &, illuc ablegari se, non moleste laturi videantur, vel adspernatis, ergo neque illa curaturis? Ne tamen hic vacet omnino illa quaestio, addamus sane hic quaedam, & propria maxime generi forensi, de fide vel improbabilitate factorum & rei gestae: praesertim, quoad referantur ad rationem accusandi vel defendendi.

Act. 13, 17 — 41. probat, Iesum Nazarenum esse verum Messiam: 1) ex cura Dei in Iudaeos; quos, selectos & segregatos ex aliis populis, per varios casus perduxerit ad Regem Davidem, 17 — 22. e cuius posteris 2) proditurum Messiam promiserit, & tandem reddiderit, Iesum illum Nazarenum, vs. 23. vbi vera lectio profecto est non σωτηρίαν, sed σωτῆρα Ἰησοῦν,

ob

ob pronomen αὐτοῦ, vs. 24. 3) hunc Iesum, ait, monstratum esse a Iohanne: quem Iohannem Iudaei & nossent, & magni facerent: qui Iohannes diserte grauiterque negarit, se esse Messiam & contra dixerit, alium post se venturum, Iesum, qui esset verus Messias: vs. 25. in quo Iesu 4) omnia euenerint atque constiterint, vs. 27 — 29. quae diuinitus praedicta a vatibus de Messia exstarent; quippe ab ipsis Iudaeis perpetrata in illum: &, quod multo maximum sit, 5) hunc Iesum a morte reuocatum. Quod argumentum dupliciter & valet, & a Paullo tractatur: a) vt res *vere gesta*: quod sit vel maxime loci iudicialis: probaturque ex eo, quod rediuiuus apparuerit per complures dies: vt erroris locus non esset apud eos, qui cum eo ex Galilaea veniissent Hierosolyma, quibus notissimus esset. Quibus vere illum visum, rursus probatur ex eorum testimonio atque professione: neque illa obscura, sed publica, ad populum. Quid ultra requiras ad fidem rei gestae? Sed eadem proponitur porro, vt praedicta diuinitus, vs. 34. 35. ergo vt signum & nota veri Messiae; deinde, vt nulli alii congrua, ne Dauidi quidem, de quo cogitare possent Iudaei, propter verba Ieremiae, memorantis beneficia *promissa Dauidi*, & quod ipse Dauides loqueretur. Ps. 16. in quem non cadere ista, rursus probat e facto, immo non facto, quod non redierit Dauid in vitam, idque, ὑπηρετήσας, obsecutus, cedens, cedere & parere coactus, τῇ ἰδίᾳ γενεᾷ, condi-

tio-

tioni naturae suae, vt homo mortalis, cuius corpus fuerit dissolutum corruptione, cui locus haud esset in filio Dei, vs. 33. quem Deus ipse reuocarit, corruptioni haud obnoxium: vs. 37. coll. Act. 2, 24. 29. 31. Nam haec est vis argumenti, alio modo aut sensu haud valituri. Etenim, si Dauidem reuocasset Deus in vitam, statim a morte, vt Christum: non fuisset ille dissolutus corruptione. Sed enim non erat ille filius Dei, neque ita, vt Christus, reuocandus in vitam: in quo vno hoc fieri & posset & deberet, vel ob naturam ipsius, vel ob rei magnitudinem, soli relictam, vt isto reditu probaretur & agnosceretur filius Dei: Rom. 1, 3. Eodem modo, sed breuius, Christum Iesum sistit diuinitus commonstratum atque illustratum per reditum in vitam, Act. 17, 31.

Abstinentiam suam & operam probat, qua sibimet victum quaesierit, Act. 20, 24. ipsis iis conscriis ac testibus, ad quos loqueretur. Qua eadem conscientia auditorum & coronae vtitur Act. 22, 4. vt probet, se fuisse Pharisaeum, Pharisaei summi discipulum, studiosissimum legis tuendae. Addit enim: vt vos scitis omnes, *hodie*, id est, me loquente, praesente, vos testante. Nec minus ardorem suum in vexandis Christianis firmat ipso Pontifice & Synedrio testibus. Idem Felicis auctoritate conscia vtitur, 24, 10. 11. quod se facere posse, confidat, quod a) Felix iam per aliquot annos prouinciae praesit: b) ipse Paullus non nisi ante paucos dies

Hie-

Hierosolyma venerit. Vnde promtius atque alacrius dicere se, oratie plane, profitetur. Quae & significatio sit mentis bene sibi conscíae, & conciliatio iudicis Felicis, cuius & peritiae confidat, & aequitati. Ibid. 12. 13. reuincit, quidquam a se impie aut seditiose factum: quod Iudaei nil probare queant eorum, quae ipsi obiecerint, cum tamen publice res sit gesta, & in publicis locis ipse versatus: at ipsos contra adesse posse ac debere, vs. 18. Iudaeos ex Asia, qui secum vna fuerint in templo; quorum absentia suspectam sane reddi criminationem. Quae omnia ex medio iure repetuntur, & in forensi disceptatione versantur. Eadem vtitur defensione ad Festum & Agrippam, 26, 2 — 23 Quod sane est perfectum exemplum oratoriae narrationis, suo loco reddendum ac notandum. Hic notasse suffecerit ad rem propositam: tria proponi a Paullo, & vere gesta probari: 1) se esse Iudaeum probum & Pharisaeum, Iudaismi infestum: vs. 4 — 12. quod probat a) conscientia & testimonio Iudaeorum, si voluerint testari: b) rei fide, vt gestae passim, saepius, in multos editae, vs. 10. 12. gestae publice illustrioribus locis, quos nominat Hierosolymis, vs. 10. omnibus in synagogis, tandem & Damasci, quo intenderit certe ire vexaturus Christianos, venia & auctoritate publice sumta ab ipso Pontifice atque synedrio: vt omni ex parte constet fides publica rei gestae. 2) probat, se Christianum repente effectum, grauissima de caussa: vs. 13 — 20:

Chri-

Christo Iesu coelitus conspecto. Quod vere gestum, nec se falsa suspicione delusum, probat a) ex odio suo in Christianos, quibus diuersa plane tuenti, nec quidquam minus agenti, quam professionem Iesu Christi, ablata sit illa; b) ex tempore rei gestae: in via, medio die, plena luce, compoti mentis & oculorum auriumque. Hic ipse, plenus fide & miraculo rei, velut in partes trahit ipsum regem, familiarius denuo compellans: media die, o *rex!* Quod inferere solent, qui pleno animo & commotius referant, g) se nil fieri aut promere noui, nil incredibile, nihil impii, vs. 20. nihil, quod sit alienum a doctrina prophetarum, aut a spe ipsius populi Iudaici, vs. 6. 7. 22. 23. Quod ita esse, testatur conscientiam intelligentiamque regis ipsius, vs. 3. 26. 27. partim, qua praedictiones prophetarum, partim qua rem ipsam gestam in Iesu Nazareno, quam, negat, *in angulo* gestam, clam aut obscure, quod, vt ad omnium, ita & ad regis notitiam haud dubie penetrarit.

Alia est facti defensio 2 Cor. 12, 16. vbi, cum ostendisset, se nunquam fuisse directo Corinthiis sumtus caussam, nec futurum, idque de praeterito confirmasset ipsis Corinthiis conscius, 6. 7. 8. 12, 13. & de futuro obstrinxisset, quin iuratus recepisset, 11. 10. ipse iam mouet dubitationem: ecquid id fecerit oblique, indirecto, per alios? Quod diserte plane grauiterque & obiicit, & arguit. esto inquit, oratorie concedens: ego ipse, directo, nil vos popposci; at, homo

do-

dolosus & callidus, per alios id feci. Quid liberalius, quid simplicius, quid etiam, detur sane vti vocabulo haud satis digno auctoritate diuina!) quid *falsius*, vel summus orator posset? Nempe ironia hic eminet! At quam grauiter, quanta cum conscientia bonae causſae repellit! Titum misi: alios misi: num quid vos *hi* poposcere? Nonne vsi sunt eodem sensu, eodem more, quo ego? Ita interrogando & prouocando, quod ipsum facit facunde & grauiter, confessionem iis extundit, certus, nil suspicioſe ab iis proferri posse. Ita refellit factum, quod neque ipsi, neque vlli eius interpreti ac ministro, obiici possit ab his, quos palam & audacter interroget, conscios, an possit obiici, ipse recte conscius sibi. Euangelium sibi non humanitus traditum, aut ab aliis apostolis hausſtum, sed ab ipso Christo patefactum & informatum, primo ponit, Gal. 1, 1. Vbi δι ἀνδρώπων, distinctum ab altero, ἀπ' ἀνθρώπων, notat, a) mandatum ab hominibus datum, b) doctrinam ab homine propositam: quod sane fieri posset & pro Christo, vice eius & loco, eius auctoritate & iussu, vt in Apolline, Act 18, 24. quod in se factum negat Paullus, vs. 12. deinde probat, quod posuisset vs. 12. a) quod ipsi sciant, se directo esse vocatum a Christo: vs. 13. 16. b) quod, ita edoctus euangelium, non fuerit collocutus aut rem communicauerit cum carne & sanguine, id est, vt ipse explicat per οὐδὲ, quod hic non est διαλεκτικὸ, sed ἐξηγητικὸν, cum reliquis apostolis,

quasi spectaturis & probaturis formulam suam, sed statim abierit in alia loca doctor euangelii: c) quod, cum veniisset Hierosolyma, id ipsum monitus a Deo, post 14 annos ab ingressu muneris sui, tum demum collocutus cum apostolis, nil noui ab illis additum acceperit, nil, viderit, mutari aut corrigi in formula sua, sed a primis apostolorum socius iudicatus sit & receptus: d) quod ipsi Petro restiterit, flectenti ambitiosius & obsecundanti.

Atque illa sunt generis forensis. Videamus illa, quae latius referantur ad probabilitatem Logicam & moralem, redeantque eo, vt appareat, 1) vniuerse, infinite, *obiectiue*, aliquid a) esse posse, b) fuisse aut esse, c) futurum esse.

Posse ergo aliquid esse, probatur vel

α) ex ipsa natura rei, nil repugnantiae habentis. Ita quaerit Act. 26, 8 Num incredibile apud nos habetur, mortuos a Deo in vitam reuocari? Non vna tamen hic est via argumentandi; sed 1) κατ' ἄνθρωπον, ex Iudaeorum sententia; 2) ex potentia Dei, cui nil sit difficile; 3) e rei natura; quae, si repugnet, nec Deo tribui, neque a quoquam credi possit. Ita, e diuerso, docet, Ebr. 6, 4. sequ. per se fieri non posse, vt ad meliorem sensum redeant contemtores & defectores proterui, consulto repudiata doctrina Christi, cuius & fidem agnitam probarint, & virtutem atque dulcedinem senserint. Quod argumentum valet indole & rei, quae locum haud

haud habeat in animo tam peruerso. & hominum, in quibus sit tanta peruersitas, vt doctrinam 1) perspectam, 2) probatam 3) cum sensu & voluptate spectatam, tamen 1) abiiciant, 2) irrideant. Quare refertur magis ad personam agentis, quam ad naturam rei. Propius, & quasi purius, huc pertinet, quod Ebr. 10, 4. negat, fieri posse, vt animalium sanguis tollat culpas: vel, quod 1 Cor 25, 50. negat, nos cum hoc corpore crasso & impuro capere aut ingredi posse conditionem coelestis vitae & sedis.

Huc & illa ratio pertinet, qua, in rebus natura & conditione diversis, atque disiunctis, si vna adsit, altera esse negetur; vt Rom: 11, 6. salutem esse gratuitam non posse, si ostendatur ex factorum conditione: & rursus horum commendationem excludi, si gratuita sit felicitas, & beneficii diuini. Quam operum conditionem eodem modo tollit Rom. 3, 27. excluſam dicens, id est, locum haud habere, per fidei formulam. Vide plura in Log. Paull. p. 306. sequ. & 321. n. 39. Vbi & notatur, quae & ipsa

Huc pertinet, deductio ad absurdum, quae ostendat, eam rem fieri non posse, quam positam consequantur absurda: vnde & ipsam absurdam esse oporteat. Sed,

b) Esse rem aut fuisse, Paullus docet

α) testimoniis; qua scripturae, vt vbique admodum; qua profanorum scriptorum, Act. 17, 28. Tit. 1, 12. qua aliorum; vt reditum

Christi in vitam, 1 Cor. 15. init. v. Log. Paull. C. 5. p. 134. — 145.

β) *similitudine* exemplorum: Rom. 10, 2. 1 Cor. 10, init. 2 Cor. 11, 3. 14. Ebr. 11. tot. Vbi argumentationis eadem vis est, quae Iac. 5, 17. Elias erat homo *vobis* ὁμοιοπαθὴς, *similiter* infirmus, haud melior vobis, ad Deum; & tamen precibus imbrem & arcuit & induxit: ergo & *vestrae* preces ratae erunt: ergo & *vos* idem effecturi estis rite precando. Porro 4, 2. 3. Quo & *imagines* pertinent, e physica natura, vel corporum, 1 Cor. 15, 35. Ebr. 6, 7. Quae ratio validior etiam est, si maius factum est: vt Rom. 5, 8. 17. 11, 21. 24. Vel, si minus, vt 2 Cor. 3, 7 — 9. Ebr. 2, 2. 10. 13. 28. 29. 12, 25.

γ) e caussis, rem adiuturis. Quas repetit partim ex potentia Dei, vt Act. 26, 8. Rom. 4, 17. 24. 10, 12. vbi vocat Deum πλούσιον, diuitem, id est αὐτάρκη satis pollentem, sufficientem omnium felicitati, qui eum colant, non Iudaeorum modo, sed & paganorum: 11, 23. 1 Cor. 15, 38. 2 Cor. 9, 8. v. Log. Paull. p. 163. sequ. vbi allaris adde Phil. 3. extr. vbi ex potentia Christi in res omnes probat, & corpus nostrum posse ab eo restitui in vitam, & in meliorem conditionem euehi: Partim repetit ab auxilio Dei, Christi Spiritus S. Rom. 7, 25. 8. 8, 14. 15. 26. 15, 13. 1 Cor. 2, 10. sequ. 15, 58. 2 Cor. 3, 5. 18. 4, 6. 7 12 9. 10. 13, 4. Eph. 1, 19. 20. Phil 1, 6. 2, 13. 4, 15. Col. 1, 11. 1 Thess. 3, 12. 5, 23. 2 Tim. 2, 25. Ebr. 13, 20. 21.

Hoc

Hoc in cohortationibus pertinet ad eam partem, in qua probetur, posse a) rem effici, b) utilitatem teneri. Adde cum

E *caussarum* similitudine & eadem natura colligit similitudinem *efficientiae*: tanquam ex unitate Dei, (v. Log. Paull. p. 351. sequ.) Christi, Ebr. 13, 8. qui nunc & porro idem efficere valeat, quod adhuc effecerit. Memorabile inprimis 1. Cor. 4, 8. sequ. ubi graui ironia docet, Corinthios, cum sint Christiani, ut apostoli, non posse uti sorte laetiori, feliciori aut illustriori, quam utantur apostoli; quin multo etiam *minus*; nam haec ratio etiam a maiori ad minus valet. Eodem retuleris 2. Cor. 11, 3. Quemadmodum Satanas (quem enim alium serpentem intelligat? nempe a quo assimulari bonos angelos, aiat, cui ministros tribuat?) vt Satanas ergo Euam decepit, ita, rel. Est enim idem inventor fraudum, qui fuit. Gal 2, 8 *qui* Petro affuisset ad Judaeos, *idem* affuit & mihi ad paganos. Ergo idem ego efficere potui, quod Petrus.

δ) ex aliis argumentis: quae, iam notata in Log. P. hic non magis repetamus, quam ea, quibus probet,

c) rem futuram esse; vide ibidem; ut iam venire detur ad alteram quaestionem, *finitam*, *subiectiuam*; ubi appareat

2) ab *aliquo factum* aliquid, vel non *factum*, fore, vt fiat ab aliquo, vel non fiat.

Id Paullus, plane ex rhetorum formula, (non, quod *velit*, aut laboret illam ſequi, ſed, quod res ipſa, & ratio Paulli, cum illa formula congruat,) ex eo probat, quod aliquis illud, de quo agatur,

a) facere *poſſit*: vid. & ſupra, 1. α. γ. & Log. Paull. p. 264. Quod tamem ita demum valeat argumentum, ſi idem

b) *voluerit*: 2. Cor. 8, 10. ſperat, Corinthios liberaliter & benigne *facturos*, quia *voluntatem* promtam oſtenderint. Ita ex voluntate Dei pleraque probat vel facta, vel fieri, vel futura. Quam voluntatem probat ex eo, quod

α) promiſerit: vt Judaeorum reditum ad Chriſtum. Rom. 11, 26. 15, 8. 9. mortis abolitionem, 1. Cor. 15, 54. & alia, nominatim de Chriſto & formula euangelica, Gal. 3, 16. Ebr. 6, 18. 8, 8. ſequ. 10, 5. ſequ. 15. 30. 36. ſequ. vel quod

β) idem iam *fecerit*: vt Deus, in Judaeis, 1. Cor. 10. init. idem ergo facturus in Chriſtianis: 11, 30. in multis contemtoribus coenae S. in Chriſto, Rom. 8. 11. 2. Cor. 4 14. in Paullo liberando, 2. Cor. 1, 10. 2. Tim. 4, 17. 18. in Philippenſibus, aliisque Chriſtianorum, initio operis ſalutaris, finem idem daturus eidem; in producendo animi lumine, ſicut produxerit corporeum; 2. Cor. 4, 6. Ita & qua homines: vt Corinthios, confidit, recepturos inceſtum ex poenitentia, quod eidem ſibi paruerint in eodem eiiciendo, 2. Cor. 2, 9. & benignos ſe praebituros, vt ante, 8, 7. 10. Adde argumentum de

ip-

ipso Paullo & sociis, porro, sese, vt adhuc, probaturis, 2. Cor. 1, 13. &, quod firmat, 11, 9. 12, 13. 14. se non magis iiuncturum Corinthiis sumtus, quam adhuc iniunxerit. Quae quidem ratio plus etiam valeat, si

maius ab eo factum fuerit: Rom. 8, 32. si de filio quidem pepercit Deus: quid nobis non dabit? v. Log. Paull. p. 120 extr. sequ. Sed enim quid valeat hoc argumentum, si Christus sit merus homo, destinatus morti, qua tantum firmaret doctrinam, nil aliud continentem, quod morte firmari, attineret? Immo plane langueat argumentum, frigeat, ineptum ac friuolum iaceat, nisi & Deum agnoscentibus Christum, & pro culpis nostris oblatum morti. Eodem refer, quod Rom. 11, 2. negat, fieri posse, vt Deus parcat impietati paganorum, qui non pepercerit Iudaeorum impietati, velut natiuorum ramorum: & multo magis idem, vs. 24. affirmatur Iudaeos recepturus, quod sit minus ac promtius, qui paganos admiserit, antea alienos. Adde Rom. 5, 10. 17. Ita rursus

Facturus aliquid *negatur*, qui non praestiterit minus & facilius. 1. Tim 3, 5. Qui domum suam regere ac tueri nequeat, Dei coetum qui reget? Ita & voluntas porro apparet *facturi*, vel non facturi, qui

γ) opus habeat re, vel non habeat. Ita Phil. 4, 11. 12 negat, se quaerere liberalitatem Philippensium, qui sese ita pararit, vt nulla re egeat, cuilibet sorti sit aequus: & 2. Cor. 11,

8. 9. negat, Corinthiorum benignitatem sibi expetitam, quia alii coetus explerint, quod a Corinthiis cessaret. Velle itidem, & facturus intelligatur, vel negetur, si

δ) dignum sit eo, vel indignum. Huc pertinent argumenta ex attributis Dei, a quibus discedere, quibus minus congrue agere nequeat: 2. Tim. 2, 13. Ebr. 2, 10. ita *decuisse* Deum, scribit, vt 6, 18. quia mentiri Deus non possit, neque aut promissum, aut iusiurandum, fallere: hinc certo euentura, quae promissa ab eo, constet. Et vs. 10. non esse ita ἄδικον, durum, immitem, vt non remuneretur, non tueatur adhuc facta Ebraeis & tolerata. Nec leue argumentum est voluntatis, si

ε) caussae adsint, concitaturae vel impediturae. Sed hoc argumentum Paullo adhibetur & tractatur magis ea conditione, qua reddat rationem rei, quam *factam* constet, quam, qua factam vel futuram probet. v. Log. P.p. 193. (n. 13.) sequ.

CAPVT VII.

DE

MAGNITVDINIS LOCO.

Magnitudinem, constat, intelligi *comparate*, non per se, sed, vt conferatur & componatur cum alia re maiori, vel etiam minori; quippe & *tenuitas* rei ostendenda saepius est.

Vn-

Vnde ſumma ars eius tractandae poſita eſt in *comparatione* rerum vel ſimilium, vel diuerſarum, vel maiorum minorumue: Quibus accedat etiam *cauſſarum effectorumque* magnitudo, varie tractanda & ipſa. Quae & fieri a Paullo, & quomodo fiant, iam videbimus. Is ergo magnitudinem rei oſtendit

1) e *cauſſis*. Nam, quo maior ſit cauſſa rei, eo maiorem ipſam eſſe rem, conueniat. Id primo docet Paullus e cauſſis

a) *effectricibus*. Auctoris enim magnitudo, non eſt dubium, quin & efficientiam declaret magnam. Deo autem, Chriſto, Spiritu S. quid maius? His ergo quod tribuerit Paullus, eius magnitudinem hoc ipſo oſtenderit. Quod facit Rom. 1, 16. euangelium commendans ex eo, quod ſit δύναμις θεῦ, a Deo profectum, datum, vi diuina validum. 13, 2. aſſerit pincipibus ac magiſtratibus ſummam maieſtatem, ſacroſanctam, ex inſtitutione diuina, & Deo auctore; cuius & miniſtros dicat, vſ. 4. Magnitudinem Chriſtianae doctrinae vindicat 1 Cor. 1, 21, — 25. ex origine diuina, quod viſum ſit ipſi Deo, eam patefacere. Quam illuſtrat magnitudinem *comparanda* ſapientia omnium hominum: quos per partes, oratorie, nominat iam vſ. 20. &, interrogando prouocans, nil eſſe, oſtendit: quin ipſam eam cauſſam fuiſſe Deo promendi euangelium, quod homines, vtut ſibi ſapere viſi, &, vt ſaperent, anniſi, nil viderint tamen, nil aſſecuti fuerint. Vnde & ait, vſ. 25, omnem

ſapientiam humanam longe ab ea ſuperari, quia ſit a Deo, quamuis videatur infirma & ſtolida hominum impiae arrogantiae vel arroganti impietati. Hinc & vſ. 20. demonſtrat, Chriſtum ipſum, quia ſit a Deo, nobis eſſe auctorem ſapientiae, liberatorem culpae & miſeriae, datorem virtutis atque felicitatis: 3, 16 oſtendit praeſtantiam Chriſtianorum, ſed & periculum atque flagitium falſae doctrinae ex eo, quod ſint templum Spiritus S & Dei; id eſt, quod Deus & Spiritus S. ipſe Deus omnia in illis efficiat, ipſe auctor verae doctrinae. Ex eiusdem Spiritus S. magnitudine, natura diuina, omniſcientia, oſtendit 2, 10. ſequ. quanti ſint habendi & Chriſtiani omnino, & Apoſtoli maxime, qui Spiritum S. habeant auctorem & magiſtrum ſuae doctrinae, omniſcium, videntem arcana Dei, vt animus cuiusque hominis ſciat, quae ſint & gerantur in illo homine: quae vt nemo extra nos ſcire poſſit: ita nec diuina ſcire quemquam poſſe, niſi Spiritum Dei. Ab hoc ergo, inquit, Dei ſpiritu, cuius tanta ſit ſapientia, in quo illa ſit ſolo, nempe, vt homines illam aſſequi non poſſint, ab hoc ergo eruditi apoſtoli, Chriſtiani, habemus iam Dei cognitionem, perſpicuam, vſ. 12. certam, vſ 16. laetam, vſ. 12. nemini hominum ſua ſponte aſſequendam, vſ. 11. 14. 16. aut arguendam, vſ. 15. 16. ergo ſumme perfectam, idoneam, plane diuinam, Deo auctore dignam, ſenſum Chriſti ipſius, Dei ac domini, vſ. 16. falli ergo nescium. Deus enim eſt Chriſtus, eu-

cuius mentem nemo per se assequatur, multo minus reuincere valeat: idem dominus, de quo idem perhibetur Rom. 11, 34. similis est argumentatio eadem de re 2 Cor. 3, 18. aperto vultu (vel nostro, vel Dei, vel vtriusque,) Deum contemplamur: vt a Spiritu, scil. effici par est, exspectari conuenit: a Domino Spiritu, id est, a Deo, qui sit Spiritus, vel a Spiritu, qui sit Deus: vel, e vs. proxime priori, a Spiritu Christi Domini ac Dei. Quocunque modo intellexeris: effectoris magnitudo, id est, maiestas, potentia, sapientia, declararit magnitudinem efficientiae, dignitatem, praestantiam, fidem, perfectionem 2 Cor. 4, 6. inde repetit magnitudinem euangelicae cognitionis, quod profecta sit ab eodem Deo, qui olim iusserit, per omnipotentiam voluntatis, lucem prodire post tenebras. Magnam rem, oportet, intelligi, quae a sola & ipsa Dei omnipotentia repetatur, ex nihilo producentis, quae exstent. 1 Cor. 11, 25. Coenae S. religionem, & magnitudinem periculi ex eius contemtu, repetit ex eius institutione diuina 2. Cor. 2, 6. poenam incesti ostendit magnam, satis grauem, (ἱκανὴν) qua maior haud requiratur, eo, quod sit inflicta ab *omnibus*, publice, ab universo coetu, eoque congregato: (1 Cor. 5, 4.) Corpus, quod olim beatis circumdaturus sit Deus, pulchrum, aeternum fore, probat inde, quia sit *a Deo*. A quo cum & aptatos & destinatos, Christianos dicit, & Spiritus S. pignore munitos, vs. 5. non fidem modo constare vult, sed & magnitudinem elucere.

Scrip-

Scripturae S. efficientiam & maximam, praeſentiſſimam, vberrimam, & longe ſaluberrimam, probat ex eius diuinitate, vel origine a Deo, 2 Tim. 3, 16. Chriſti maieſtatem ac magnitudinem ponit diuinam, Deo parem, Phil. 2, 6. 8. quo maior appareat moderatio eius atque ciuilitas in uſu eius cohibendo, & induenda ſimilitudine conditionis humanae. Quae tamen ratio magis & proprie valet comparatione diuerſorum maieſtatis ſummae, tenuitatis infimae.

Sed inprimis Epiſt. ad Ebraeos tota fere verſatur, eertè per priora octo capita, in praedicando magnitudine, cum Chriſti ipſius, quae appareat ex eius natura & maieſtate diuina, ſanctitate, poteſtate, tum, quod huc maxime pertineat, ſacrificii, tanto auctore peracti & ſatisfactionis ab ipſo filio Dei redditae Quae quidem argumentatio, vt fundatur commemoranda magnitudine Chriſti, quam doceat aequalitas eius cum Dei natura, vſ 3 attributis, vſ. 8. 10. operibus, vſ. 2. 3. 10 imperio, vſ. 2. 8. cultu, vſ. 6. nomine filii, vſ. 1. 5. ne angelis quidem dato, idid. qui ſint multo inferiores illo, vſ. 4. 7. 14. vti & Moſes, 3, 3. — 6. in ſacerdotio, ſimilitudo Melchiſedeci, c. 7. multo ſuperioris Abrahamo, Leuitarum ſacerdotum patre, iurisiurandi caerimonia, 7, 21. 22. 28 perpetuitas, vſ. 24. 25. ita per haec munita, iam directo infertur, quae magnitudinem monſtret & ſatisfactionis praeſtitae, 9, 11. — 14. (cum comparatione ſacrificiorum Leuiticorum,) vſ. 20. — 23.

&

& officii in eum noſtri, 2, 1. ſequ. 10, 19. — 24. 12, 25. & periculi, ſi illum neglexerimus, aut repudiarimus, 2, 2. — 4. 10, 28. 29. 12, 25. ſequ.

Suam quoque dignitatem adhibet Paullus, non iactantia ille quidem, ſed vero conſilio, rei potentius probandae & commendandae. 1 Cor. 9, 1. ſequ. Apoſtolus ſum, inquit, non ſimpliciter Chriſtianus. Hoc perſequitur: cuncta apoſtoli decora in me conueniunt, Chriſti viſi, eccleſiae conditae, cet. idem mihi iuris eſt, quod reliquis apoſtolis; & tamen, vſ. 12. *ille ego* abſtinui iure iſto meo, caute ſum uſus, omnibus me dedi atque accommodaui. *Vos* ergo quid facere decet? Quanto magis eſſe cautos! Gal 6, 11. videte, quantas literas vobis ſcripſerim mea *ipſe* manu! non, vt alios, librarii manu: vt videretis, quanta res ageretur, & quam mihi eſſet cordi! Eodem pertinet, quod C. 1. 2. ſeſe exornat diuinitate muneris, 1, 1 — 13. auctoritate non obnoxia reliquis apoſtolis, 1, 17. 2, 1 — 6. ſtudio priſtino Iudaiſmi, 1, 13. 14. libertate conſtanti in Petrum, 2, 11. Ex qua dignitate pondus accedat voci hortantis, partim ad rei grauitatem, partim ad fidem. Vnde cum auctoritate inſurgere poſſet 5, 2. Ecce, ego ille (vel, *ipſe ille*) Paullus, vobis confirmo, rel. Idem agit Phil. 3, 2 ſequ. vbi exornat decora ſua, ea conditione, vt appareat magnitudo rei, prae qua illa omnia ſpreuerit ac repudiarit. 1 Cor 14, 18. extollit ſe, vere quidem, vt omnes antecellentem vſu lin-

gua-

guarum: quibus cum se iactare magis possit, quam illi omnes, nolit tamen vti sine sensu & fructu: vnde appareat necessitas iis vtendi sapienter atque salubriter. 1 Thess. 2, 6. cum possemus oneri vobis esse, vt Christi apostoli: tamen vti non sumus illa copia. Abstinentiae magnitudinem notat abstinentis magnitudo & auctoritas: vt Ebr. 12,2. 3. Christi patientis magnitudo & maiestas patientiae magnitudinem: quem notat 1) auctorem nostrae professionis: quid sectatores faciant: 2) cum Emphasi, vs. 3. reputare *illum* iubet, i. e. magnitudinem eius, qui sit talia passus, praesertim ab impiis: quae esset caussa effectrix eius incommodorum: ille tantus ac talis, a tam abiectis & spernendis. Act. 20, 28. praestantiam ecclesiae eo commendat, quod *filius* Dei illam pararit atque asseruerit sanguine suo. Vbi magnitudo spectatur & effectricis caussae, vel auctoris, & ministrae, mortis vel sanguinis. Est etiam magnitudini rei augendae,

Si quis *solus* fecerit. Phil. 4, 15. *Nullus* coetus mihi quidquam contulit, nisi vos *soli*. 1 Cor. 5, 1. libido inter vos versatur, *ne paganis quidem* addita, 1 Tim. 6, 16. qui (Deus, vel Christus,) *solus* habet immortalitatem, nempe necessariam, naturae, aeternam. 1 Cor. 2, 11. Quae sint in Deo, *nemo* scit, *nisi* spiritus Dei.

Sed porro elucet magnitudo rei e caussis

b) administris; secundis, organicis: quas *instrumentales* vocant. Talis apparet magnitudo

do ipsius Christi, quoad intelligatur, & a Scriptura monstretur, idem ministèr, legatus atque interpres Dei. Tali interprete curatum opus & tractatum, facilis sit coniectura, quantum esse conveniat. Quod & facit Paullus in iis ipsis locis, quae attulimus: maxime Ebr. 2, 2. sequ. vbi etiam insequitur a minori administra caussa ad maiorem: si formulae vel doctrinae legis, per angelos promulgatae, sua auctoritas constitit, rel. quomodo nos effugiemus, *tanta* salute spreta? Cur *tanta*? Ex opposito est interpretandum: quae non per *angelos* tantum prodita sit, sed ab ipso Christo Domino ac Deo. Addit alias adiutrices caussas, vs. 4. Deo firmante illam doctrinam per miracula, signa, & Spiritus S. beneficia ac munera. Huius magnitudinem caussae administrae tractat idem per comparationem, 2, 2. si lex rata fuit, angelis ministris proposita, nec quisquam illam vlla in re impune neglexit, nullum delictum poena caruit, eaque iustissima, rel. Et 10, 28. qui neglexerit legem, hominis Mosis ministerio latam, sine venia moritur: quanto grauius punientur contemtores doctrinae propositae a Christo, Dei filio, coelitus delato! Ita saepius e Christi magnitudine ostendit magnitudinem fauoris diuini: quam vtramque grauiter describit Col. 1. tot. Christi quidem vs. 15 — 18. beneficii autem vs. 19. 22. Magnitudinem periculi Damasceni, 2 Cor. 11. extr. ex eo apparere, monet Theodoretus, quod per murum demis-

sus

ſus euaſerit, id eſt, praecipiti & praeſenti auxilio feſtinanter ereptus.

Tenuitatem quoque rei auget ex tenuitate cauſſarum efficientium. Gal. 6, 13. oſtendit leuitatem rituum ex eo, quod ipſi eorum vindices illos negligant: & Phil. 3, 18. e prauis illorum ſtudiis. Adde 1 Tim. 1, 7. vbi arguit eorum inſcitiam: & 6, 3. eos notat & ab imperitia & a faſtu & a lucri ſtudio. Quorſum? Nempe, ne quid praeclari exſpectetur ab eiusmodi leuitate. Ita viciſſim

Cauſſas adminiſtras illuſtrat & ſua magnitudine ornat ex magnitudine rei, quam tractent: vt Col. 1, 23. pergit: Huius beneficii, per ſe tanti, tali interprete, quin auctore, effecti, (vtroque enim loco eſt Chriſtus, & miniſtri, qua Deum patrem, vſ. 12. 13. & auctoris, per ſe, ob magnitudinem ſuam diuinam, vſ. 15, 18. aequalis patri, omnium rerum auctor & conſeruator, aeternus & omnipotens, vſ. 18. regni dominus, vſ. 13. auctor & effector liberationis a culpa delictorum, vſ. 14.) per hunc ergo Chriſtum dati beneficii ego Paullus ſum deſtinatus interpres. Quid mirum, ſi vſ. 24. gaudet etiam calamitatibus tolerandis, pro tali cauſſa, tali auctore? Eandem cauſſam tractat, Eph. 3, 7. 8. vbi, poſt exornatam beneficii magnitudinem, addit commendationem muneris ſui: ego miniſter factus ſum tanti muneris. Adiicit nouam magnitudinis notam: per potentiam Dei, in me efficacem. Cuius magnitudine plenus, ſuae

idem

idem tenuitatis atque indignitatis memor, addit mirabundus: vſ. 8. *mihi*, omnibus apoſtolis longe inferiori: (non ſufficiebat ſuperlatiuus, ἐλαχίστῳ· comparatiuo ipſum auget, ἐλαχιστοτέρῳ·) mihi ergo, tali, hoc beneficii datum eſt, vt eſſem interpres tantae rei. Plura infra de hoc loco; qui plane inſtar habet vniuerſi magnitudinis loci. Ita magnitudinem circumdat muneri apoſtolico ex magnitudine & praeſtantia euangelii, Rom. 1, 16. vbi negat ſibi pudori eſſe munus docendi euangelii, id eſt, longe honorificentiſſimum eſſe; amplum, illuſtre: quod ſit 1) a Deo, 2) efficax, 3) ſalutare in perpetuum, 4) omnibus ſalutare, qua Judaeis, qua paganis. Idem agit 2 Cor. 3, 6. vbi & comparatione vtitur legis, vt mox videbimus. Sed & ex

Tenuitate cauſſarum ſecundarum oſtendit magnitudinem rei, immo auctoris & cauſſae primae; cuius magnitudinem doceat tanta res tam infirmis effecta miniſtris. 1 Cor. 1, 17—31. demonſtrat partim ex ſimplicitate doctrinae euangelicae, quae impiis Judaeis paganisque, ſatis cetera doctis atque facundis, parum abſit a ſtultitiae opinione, illis inuiſa, his contemta, turpis, infirma, irridenda videatur, partim ex tenuitate apoſtolorum, eius interpretum, natalibus obſcuris, loco humili, facundia & ſcientia nulla, egeſtate; quae tamen omnia vicerint ſapientiam iſtorum, atque facundiam confutarint, nihil eſſe oſtenderint, nec potentiae illorum, opibus, auctoritati ceſſerint, ex hac ergo tenui-

tatis & ſpecie, & vera conditione, demonſtrat vim praeſtantiamque internam, & originem atque auctoritatem vere ac mere diuinam ipſius doctrinae euangelicae; quia 1) tam tenues, imperiti, infacundi, a nulla re parati, 2) contra iſtam nobilitatem, potentiam, doctrinam, artem, eloquentiam, non potuerint efficere illa tanta, niſi & per ſe magna foret doctrina, vera, ſapiens, ſalutaris, & Deum haberet auctorem. Quod & innuit 1, 17. ne *irrita* eſſet *crux Chriſti*: id eſt: ne vis eius diuina parum conſtaret, aut minus eluceſceret, aut ſuſpecta etiam redderetur, quaſi ſapientiae humanae commentum, aut facundiae opus humanae: & 2, 5. ne fides Chriſtianorum haberetur effecta artibus humanis, ſed agnoſceretur orta ex virtute vere mereque diuina. Recte igitur & diſerte auget magnitudinem rei ex ipſa ſpecie tenuitatis, & quaſi ſtoliditatis, 1, 25. Quod ſtultum & tenue, inquit, videtur in rebus diuinis, longe ſuperius, ſapientius & potentius eſt omni ſapientia & virtute humana. Immenſam vero ſpeciem magnitudinis, propoſitam cum antitheſi & oxymoro: ſtultitiae quauis ſapientia potioris, infirmitatis quauis virtute validioris! Quod poſitum & verum eſt 1) in doctrina de morte Chriſti, quae, vtut ſtolida & tenuis videatur, habeat tamen Dei ſapientiam & vim vere & vnice ſalutarem; 2) in miniſtris eius doctrinae, qui, plane imparati a doctrina & facundia, vicerint tamen Phariſaeos, Pontifices, philoſophos, rhetores; 3) in auxi-

liis

liis externis, baptiſmi & Coenae S. quae, in tanta ſpecie ſimplicitatis ac tenuitatis, valeant tamen, & conſilio Dei ſapientiſſimo, & vi plane mirifica. 2 Cor. 4, 7. cum expoſuiſſet ſummam praeſtantiam euangelii, vt ab eodem Deo profecti & prodiri, qui lucem olim ex tenebris produxiſſet, addit: hunc theſaurum nos geſtamus & ſuſtinemus in vaſis teſtaceis, fictilibus, fragilibus: id eſt: apoſtoli, eius doctrinae miniſtri, ſumus infirmi, animo & corpore, imperiti, indiſerti, erroribus, peccatis, periculis obnoxii: haud ſane pares aut idonei tali rei aut operi; ſed inde apparet, illam ſummam virtutem, quae nos ipſos, vt omnia, longe vincat, vere eſſe Dei ſolius, haud noſtram hominum. Eodem retuleris, quod vſ. 10. 11. morti ſemper obnoxios ſiſtit apoſtolos, id eſt, tenuiter, miſere, periculoſe agentes; vt Chriſti vita in iis appareat: id eſt, vt & nunc appareat, illos omnia facere & perpeti Chriſti rediuiui, viuentis, cauſſa & virtute, & olim aeternum cum illo, per illum, victuros. Quid dicam de inſigni magnitudinis loco, qui huc proprie referatur, 2 Cor. 6, 8—10. vbi, per antithera atque oxymora, ex tanta tenuitate apoſtolorum oſtendit & magnitudinem & felicitatem cum ipſorum, tum doctrinae euangelicae? Errorum ponit auctores, veraces tamen: ignoratos, & tamen agnitos & probatos; morientes, & tamen viuentes: vexatos, non tamen oppreſſos: afflictos, ſed gaudentes: pauperes, ſed qui alios locupletent; nil haben-

tes, & omnia habentes. Quem locum & in *Ox; mori* figura notabimus. huc allatum, quod ex tenuitate rei magnitudinem eius promit, velut e caligine lucem. Obiter addemus ſimilem magnitudinis locum, de lingua, Iacobo tractatum, diſerte vero & grauiter, 3, 3. rel. Etiam 1 Cor. 5, 7. ex tenui ſpecie oſtendit vim magnam paruae particulae fermenti, &, cuius ibi imago eſt illa, vnius delicti. Qua eadem figura utitur Gal. 5, 9. vt oſtendat, errorem de neceſſitate rituum & circumſectionis, vtut leuis videatur, magnum tamen momentum habere ad neceſſitatem ſeruandae omnis legis, morum quoque, vt nitantur per illum probari Deo: quod ſit & periculoſum atque inexplicabile, & contrarium atque inimicum doctrinae & morti Chriſti: vnde appareat, leuem non eſſe habendum illum errorem, magnum ergo, eo quidem magis, quo minus videatur.

Ad efficientes cauſſas, vel adiutrices, commode retuleris etiam

Modum rei agendae: quippe qui, ſic vel aliter inſtitutus, rem mutet, iuuet, impediat, aut, quod ſit huius loci, eius magnitudinem augeat. Philem. 8, 9. cum *praecipere* tibi (velut *imperare*) poſſem: malui *amanter* (vt precibus,) agere. Ebr. 6, 17. Deus interpoſuit *iusiurandum*, volens oſtendere voluntatem immutabilem. Et 7. 21. Tanto maior eſt Chriſtus, quod *non* inſtitutus eſt *ſine iureiurando;* vt Pontifices, ſed per *iusiurandum*: negatio quoque diuerſi, *non*

ſine,

ſine, oſtendit & neceſſitatem rei & magnitudinem; oriundam & ex *modo* rei, qui oſtendat eius a) veritatem, b) grauitatem. c) perpetuitatem, vſ. 28. Achaeorum liberalitatem 2 Cor. 8, 3. & Titi ſtudium eius curandae auget ex eo, quod fecerint *ſponte ſua*, amore & miſericordia moti. Quod quidem, vt amori datum, adieceris etiam

c) cauſſis impellentibus ac mouentibus. Quo primum id ipſum pertineat *ſponte* facere, quod non modo non cogare, ſed & aliter faciendi inuitamenta habeas, & momenta in diuerſum grauiter valitura: Phil. 2, 8. Ebr. 12, 2. 1 Theſ. 2, 6. 1 Cor. 9, 4. 23. 2 Cor. 8, 9. His interim cauſſis addere liceat & *conſilia*, vtut ab iis diſtincta, non ultra tamen, quam differant materia & forma. Harum ergo cauſſarum quo ſit maior vel grauitas, vel liberalitas, eo illuſtrior haberi ſolet magnitudo rei illis datae, ex iis profectae; & contra maior improbitas, quo leuioribus data ſit conſiliis, aut magis improbis. Illuſtris inprimis locus huc pertinet. Rom. 5, 6 8. vbi magnitudo ſalutis per Chriſtum partae inde probatur, quod *amorem* habeat cauſſam. Quem amorem *commendare* ibi dicitur Deus, id eſt, probatum dare, magno documento illuſtrare, cogitandum nobis proponere. Etſi hic locus ad *effecta* magis pertinet, quoram magnitudo probet magnitudinem cauſſae. Sed tamen amoris & mentio fit, & commendatio infertur, & res ob oculos ponitur, orta ex amore, tanto maiori

illo quidem, quod Chriſtus ſit mortuus, non pro piis, aut probis & ſanctis, aut Deo amicis, ſed pro impiis, Dei inimicis. Quod argumentum latius tractat Eph. 1. & 2. vbi ſubinde ingerit amorem Dei: 1, 4. ſicut (vel, quia) nos elegit, id eſt, dilexit, (אהב) amauit ab aeterno, nullo ergo merito noſtro: εὐδοκίαν voluntatis, vſ. 5, 9. id eſt, voluntatem plane liberam & benignam: δόξαν χάριτος, vſ. 6. fauorem illuſtrem, merito ferendum ac celebrandum: infinitas diuitias beniuolentiae, 2, 5. nulli facto aut merito noſtro accommodatas, vſ 5, 8. 9. Chriſti amorem (in nos,) omni cognitione longe ſuperiorem, plane imperueſtigabilem, 3, 19.

Ita contra Rom. 14, 15. magnitudo improbitatis peccantium abuſu libertatis, turbantium laedentiumque infirmiores malo exemplo, oſtenditur ex eo, quod *cibi* cauſſa, rei leuis, qua facile tamen abſtineatur, perdant eum, pro quo ſit mortuus Dei filius, deſtruant opus Dei, tantum, vt aliquo cibo velut offa, veſcantur. Eloquenter ſane hic agit apoſtolus: cauſſae leuitatem componit cum magnitudine efficientiae; conſilium ſignat leui nomine, vero tamen. Quamuis enim illi ſibi videantur libertatem euangelicam vindicare, & leuia habere pro leuibus: tamen in re leui vtique verſantur ac ſibi placent, neque aliis parcunt in re grauiſſima. Quid enim, ſi abſtinuerint hoc illoue cibo, in propatulo certe, aut eum aliis non obtruſerint? cum ſalus vtique non agatur, aut ſumma doctrinae?

nae? At ſalus alterius in diſcrimen adducitur; turbati exemplo, odio, contemtu, aut ſollicitati ad faciendum, quod recte facturus ſibi non videatur: eaque ſalus condonatur cibo, rei leuiſſimae grauiſſima. Idem agit 1 Cor 8, 10. perdes, inquit, fratrem tuum, pro quo Chriſtus ſit mortuus. *Perdes*, delinquere adiges, irae diuinae obiicies, fratrem, aeque Chriſtianum, coniunctiſſimum tibi, ac merito diligendum, quem perdere minime debeas, ne velis quidem: pro quo non ſimplex homo, ſed Dei filius, non tantum commodis abſtinuerit, aut incommoda ſubierit, ſed mortem ſit paſſus ipſam. Idque tu feceris, modo, ob illam tuam cognitionem, vt tibi conſtet illa, qua placeas tibi, vt re magna: Nempe vt cibo aliquo veſcare, negligis immenito fratri noxam committere; peior Eſauo, Ebr. 12. qui pro uno cibo ſibi nocuerit, pro quo tu alteri noceas, idque menti eius, ſaluti, religioni; quod ille tantum fecerit in externis commodis. Coenae S. magnitudinem probat e *conſilio* eius inſtituendae, 1 Cor. 11, 26 vt memoria Chriſti pro nobis mortui ſeruetur, inſtauretur, celebretur, exhibeat vim ſuam in animis moribusque. 2 Cor. 8, 2. laudat libertatem Achaecrum, quod contulerint ſua *ſponte*, non moniti, non rogati, non iuſſi. Quo nomine & Titum ornat, vſ. 17. quod excurrerit *ſponte* ſua, prae ſtudio. Et vſ. 9. illuſtrat Chriſti paupertatem voluntariam ex conſilio nos ditandi per illam, id eſt, non oſtentandi modeſtiam aut conſtantiam, ſed

mente in nos benigna. Galatarum leuitatem eo maiorem esse, ostendit 4, 9. sequ. quo a) rem leuiorem ac tenuiorem, b) cuius tenuitatem & cognouerint, & c) repudiarint atque reliquerint, iam secuti repetant, vel repetitam sequantur, pro re a) longe & grauissima & suauissima, cuius & grauitatem & suauitatem b) agnouerint, c) cupidi expetiverint, causae leuitate stultitiam arguente. Phil. 3, 18. improbitatem vrgentium legem Iudaicam auget ex improbitate consilii, vt Gal. 4, 17. Volentium a) libertate priuare ac deiicere Christianos, b) semet superbe obtrudere aemulandos in rebus inanibus; & in hoc loco, quod lucri studio agant, ventri seruiant, terrestria tantum spectent, ex turpitudine gloriam captent. Sed, vt e causis, ita & rursus ex

2) *effectis* apparet magnitudo rei, eorumque a) magnitudine ac nobilitate, vel contra foeditate. Rom. 1, 16. Euangelium est res ampla haudquaquam pudenda, quia a) saluos reddit b) cunctos. Vs. 26. sequ. paganorum error turpissimus apparet, quia in tam horrenda flagitia sunt prolapsi 2, 24. Iudaeorum monstrat insignem prauitatem, committentium, vt pagani spernant, oderint, detestentur Deum & formulam eius, ob mores impios illorum Eph. 5, 5. inde arguit foeditatem paganorum flagitiorum, quod Deus puniet paganos ob illa. τᾶυτα enim refertur non ad λόγες κενόυς· vel, quia genus non patitur, vel, quia λόγοι κενοὶ hic non sunt paganorum, quos puniat Deus, (υἱοὺς τῆς ἀπει-

ἀπειθείας,) ſed Chriſtianorum, aut falſorum inter eos doctorum; ſed ad flagitia ipſa, quae qui leuia dicat, decipiat eos hoc ipſo κενοῖς λόγοις. Rom 5, 12. ſequ. magnitudo & culpae Adami,& ſatisfactionis Chriſti, apparet ex eo, quod *omnibus* illa nocuerit, haec profuerit 7, 13. prauitatis atrocitas arguitur eo, quod ipſam rem bonam ac vitalem, Dei legem, arripuerit ac verterit in materiam culpae & exitii cauſſam 8. 37. magnitudo amoris in nos diuini,& inde oriundi amoris noſtri in Deum,(vtrumque enim intelligere Paullus videtur vſ. 39.) illuſtratur ex eo, quod ſufficiat alacritatem contemnendi ac vincendi mala tanta ac pericula, quae exſequitur nominando Cui ſimilis ratio eſt 5, 3—5. 2 Cor. 12, 10. & omnino, vbicunque Paullus exhibet illam ſuam alacritatem: Act. 20. 23. 24. Eph. 3, 13. Phil. 1, 19. rel. 2 Tim. 4, 6. Nec minus, vbi ſolatur incommoda & calamitates ac vexationes, ſpe vitae aeternae,quam dicat, illas conſecuturam, quaſi fructum: Rom. 8, 17. 18. 2 Cor. 4, 16. — 18. 5. init. Quae oſtendant a) ſalubritatem iſtorum incommodorum: vt Ebr 12, 9. — 11. *magnum* enim eſſe oportet, felix, ſalubre, laetum, quod gaudendi *efficientiam* habeat: quo nomine huc cenſeatur: b) vim inſignem Chriſtianae doctrinae, ſuggerentis ac tuentis tantam alacritatem. Eiusdem doctrinae vim & praeſtantiam repetit Act. 22, 3. 5. 26, 5. 9. ſequ. Gal. 1, 13. 14. Phil. 3, 4. — 8. ex eo, quod a) ſeſe adegerit vincere & repudiare errores Iudaismi, decora, a teneris

assueta, magni a se aestimata, cupide defensa: idque b) tam subito atque celeriter: & c) amplecti, amare, tueri tam impenso studio atque effuso formulam, ipsi antea inuisam, exagitatam. Et sane, si quid probat fidem atque excellentiam plane diuinam Christianae doctrinae, Pauli illa mutatio probat, tanta prudentia viri, tam circumspecti, tanta doctrina, fortitudine, liberalitate, omnia agentis tam serio & enixe, Christianis antea tam acerbe infesti, nunc tam propense dediti Christo, quam epistolae eius & facta loquantur, 2 Cor. 1, 8. 9. ita proponit magnitudinem malorum sibi perlatorum, vt, *morbis* periculum sese adisse scribat. 3, 6. Euangelii excellentiam probat ex efficientia τοῦ ζωοποιεῖν, vitae largiunda, everae, sanctae, beatae: & vs. 9. ex eo, quod *iustitiam* largiatur veram: quae hic signat vicariam illam Christi satisfactionem, quia opponitur *damnationi*. Quae omnia extollit legis diuersitate. Sanguinis & mortis Christi praestantiam ex effectis magnam ostendit Ebr. 2, 14. 9. 14 15. 10, 10. 29. 12, 24. Hospitalitatis praestantiam ex eo ostendit, Ebr. 13, 2. quod angelos excipere per eam contigerit. Christi effert magnitudinem, Ebr 12 extr. quod coelum & terras mouerit. id est, maximas commutationes, & rerum & hominum, ediderit, & olim apud Iudaeos, & deinde per orbem terrarum. Scortandi & adulterii summam foeditatem inde ostendit, Ebr. 13, 4 quod ipse Deus, directo, sua quasi manu, sit puniturus. Mag-

ni-

nitudo tenuitatis & ciuilitatis (Herablaſſung) Chriſti ex effectis oſtenditur Phil. 2, 8. quod non hominis tantum, ſed ſerui perſonam induerit, non mortem tantum, id ipſum maximum, ſed crucis ſupplicium tulerit, & dolore & ignominia plenum. Eadem ciuilitas Ebr. 2, 11. inde oſtenditur, quod eum non pudeat, fratres appellare homines. Ex hoc viderint quî ſeſe expediant, qui merum hominem habeant Chriſtum! Cuius quae tandem illa egregia modeſtia ſit, ſi *hominem* non piguerint, *homines* dignari *fratrum* nomine? Phil. 4, 11. — 15. inde oſtendit, quanta ſit virtus Chriſtiani ſenſus, quod ipſe, illo imburus, aequiſſimo animo ferat quamlibet ſortis conditionem, nil deſideret, vel egere paratus, cuncta denique efficere poſſit per vnius *Chriſti* robur. Ita & e diuerſo

Tenuitatem rei oſtendit ex efficientia eius aut nulla, aut leui. Ex qua diſputatione pendet Epiſtola ad Ebraeos, vbi oſtendit tenuitatem legis Leuiticae 9, 9. 10. 10, 1. 2. 4. ex eo, quod non potuerit tollere culpas delictorum: vel ex natura ſua, 9 10. 10, 2. vel, quod iterata vsque fuerint ſacrificia. 10, 1. 2. vel, quod abrogata ſit tandem, vt inualida, 8, 7. ſequ. 10, 8. 9. & paſſim ibi: vt 13, 9. & Col 2, 16. 17.

Eandem tenuitatem adhibet, qua extollat magnitudinem aliarum cauſſarum, vel comparando, vt in Epiſt. ad Ebr. tot. vt 2 Cor. 3, init. vel, vt oſtendat, opus eſſe maiori cauſſa & valentiori, quae talem efficientiam exhibeat: 1 Cor. 1,

20. 21. quia homines ſibi relicti non agnouerunt neque aſſecuti ſunt ſapientiam Dei, viſum eſt Deo per euangelium ſaluos praeſtare, qui illi fidem haberent Neque alio cardine vertitur ad Romanos Epiſtola; quippe quae ex infirmitate, ex nulla conditione factorum ex lege ad placendum Deo ad ſalutis copiam, probet neceſſitatem cauſſae potentioris & efficacioris. Vid. nominatim Rom. 3, 20. 21. 8, 3. Vnde pateat vis & magnitudo huius cauſſae, quae efficiat, quod illa non poſſit: cuius rurſus tenuitas ex illius magnitudine eluceſcat: vtrumque pro conſilio ſcribentis: vel ad tenuitatem, vt legis, Ebr. 7, 18. 8, 7. 8, 7. vel ad magnitudinem, vt in plerisque locis, quae attulimus: quibus adde 2 Cor. 1, 9. in nobis nil fuit, praeter periculum mortis, praeſens exitium: auxilium ergo in nobis nullum: nempe, ne fideremus nobis, ſed Deo, qui ſolus vel mortuis vitam reddat. 4, 6. fragilibus in vaſis ſuſtinemus theſaurum: vt appareat, rem geri non noſtra virtute, ſed Dei, eaque mirifica, magna: nam ὑπερβολὴν δυνάμεως vocat ſummam virtutem, ſine qua neque explicari tanta res ſuſtineriue, neque vinci tanta pericula & obſtacula poſſint.

b) Effectorum magnitudini atque nobilitati ita addi poteſt, vt paene ſit idem cum illa, argumentum ex eorum

Multitudine & copia. Ex ea argumentatur Paullus Rom 5. Quod vt ad magnitudinem retulimus, ita & ad multitudinem referri poſſit.

Im-

Immo plane idem ſunt iſta, vix diſcernenda. Rom. 15, 19. ex eo probat magnitudinem ſui progreſſus in Euangelio propagando, quod inde ab Hieroſolymis circumiectis regionibus in Illyricum vsque omnia implerit eius doctrina. Et magnitudinem cognitionis Chriſtianorum Apoſtolorum maxime, 1 Cor. 2, 10. 12. 15 oſtendit ex eo, quod ſciant 1) beneficia illis a Deo conceſſa: & magna illa nempe, & plurima, & arcana: 2) omnia plane, quae ad Deum & ſalutem hominum referantur. Et 1, 30. magnitudinem Chriſti & beneficiorum, quae nobis praebeat, ita monſtrat, vt plura & magna enumeret: ſapientiam, commendationem & innocentiam ad Deum, ſanctitatem, liberationem: perfecta eadem omnia; quia *ſimpliciter* ponit: ſapientiam, cui nil deſit, cuncta intelligentem: innocentiam, qua plane probemur Deo: ſanctitatem omnino, ſolidam ergo, nulla ex parte laborantem: liberationem, ab omni malo, aeterno maxime. Inceſti magnitudinem, apud Corinthios admiſſi, 1 Cor. 5, 7. fermenti imagine exhibet, in quo inſit & magnitudo effectorum, vel in ipſo, in maſſa, quam imbuat, vel in re, quam hic ſignet: & multitudinem, quatenus ad *multo*, quin ad omnes, ſerpat & perueniat contagio, vel culpae toleratae, vel ſuſpicionis, per quam omnes illi ſimiles habeantur, vel exempli & corruptelae. Coenae S. contemtus & abuſus quam ſit turpis, quam peſtifer, ex eo docetur, 1 Cor. 11, 30. quod ob eum multi & langueant,

&

& iam mortui ſint. Reditus Chriſti & mortuorum in vitam tollendi quam ſit periculoſus error, quam abſurdus, ex eo oſtenditur, 1 Cor 15, 13 —19. 31. 32. quod inde efficiantur *multa* & vehementer abſurda & noxia: vanitas apoſtolorum & omnis doctrinae Chriſtianae, culpae reſidua nobis poena, ſpes poſt mortem nulla, fruſtra tolerata mala, libidinibus indulgendi licentia: Et 14, 2. 3. 16. 17. 23 — 25. magnitudinem interpretandi linguas, vel ſcripturam S. & doctrinam diuinam, oſtendit ex eo, quod *multis*, omnibus, vniuerſae eccleſiae, impiis quoque proſit: id ipſum non vno modo, ſed docendo, hortando, conſolando. Quod auget comparatione linguarum, nemini ne intellectarum quidem, multo minus vtilium. Ita euangelium ornat & multitudine & magnitudine effectorum, 2 Cor. 3, 6. rel. & porro Cap 4. 5. 6. Quae effecta ponit, vitam, vſ. 6. veram, ſanctam laetam, tranquillam, beatam: 2) iuſtitiam Chriſti, ſatisfacientem Deo: quae cum opponatur *damnationi* vſ. 9. notare non poteſt ſanctitatem morum & vitae, quippe ex *lege* repetendam, quae tamen euangelio ibi opponatur; ſed *abſolutionem* notare debet: 3) libertatem, vſ. 12. rel. eamque a) ab erroribus ignorantiaque: quia opponitur ignorantiae Iudaeorum, quorum oculos mentesque quaſi velamen tegat: & vſ. 13. diſerte explicatur cognitio plane aperta quaſi vultu noſcentium Deum: b) a turpitudine vitae: 4, 2. rel. c) a metu, α) calamitatum 4, 7. 8 — 12. 6,

4 —

4 — 10. β) hominum, vſ. 13. 14. 5, 13 14. 6, 11. neminem vt norint aut reſpiciant κατὰ σάρκα, id eſt, pro ea neceſſitudine, quae ſibi cum illis ipſis humanitas, humanis de cauſſis, intercedat: nil ambitioſe aut obnoxie faciant: (vtrumque & a malorum & ab hominum metu vacuum animum, comprehendit: 7, 4.) γ) mortis: 4, 16 — 18. ergo & 4) fidem, curam, induſtriam, conſtantiam & alacritatem horum omnium vel tenendorum, vel vincendorum: nec non docendi, cohortandi, 4, 1 — 7. 13. 5, 18 — 21. 6, 1 — 3. & muneris ſancte habendi, exemploque tuendi, 6, 3. 4. 5. 9 — 11. Eph. 1, 10. 21. Nec minus Phil. 3, 4. & huc pertinet, vbi plurima enumerat Paullus, quae ob Chriſti profeſſionem repudiarit, iacturam & quisquilias plane duxerit. Poenitentiae Corinthiorum magnitudinem, ardorem, fidem, ſalubritatemque magnam, oſtendit multitudine effectorum, quae per μερισμὸν recenſet, 2 Cor. 7, 11. Iam 1 Tim. 6, 4. 5. ſtudii inanium quaeſtionum *magnam* oſtendit peruerſitatem, quoniam multa ex eo incommoda deinceps conſequatur. 2 Tim. 3 16. Scripturae S. vtilitatem magnam eſſe, oſtendit ex vſu vario & multiplici, docendi, arguendi, corrigendi. Tit. 1, 11. Iudaeorum peruerſitatem vehementer noxiam probat, quia totas domos turbent ac peruertant. Ebr. 9, 25. 28. 10, 14. magnitudinem ſatisfactionis & expiationis a Chriſto praeſtitae eo quoque nomine effert, quod *vno* eodemque ſacrificio expiarit 1) omnes

omni-

omnium temporum homines, 2) omnia eorum delicta, 3) in omne tempus, in perpetuum: vt nullum posthac aut praeterea sacrificium requiratur. Quid maius afferre potuit ostendendae magnitudini operis, quod vno veluti momento vim tantam exseruisset in tam multis & hominibus & delictis, *retro* quoque? vs. 26. Vnde manifesto apparet, Christi mortem non pertinuisse ad firmandam doctrinam eius, aut exemplum virtutis, proprie quidem aut maxime. Quid enim hoc ad illos, qui *ante* eum viuerent? quibus nil omnino prodesset, ne Iudaeis quidem, sub lege agentibus, nisi ea conditione, quam ponit ipse apostolus, vs. 25. 28. vt se pro delictis illorum offerret. Cap. 11. tot. fidei magnitudinem laudat *multitudine* exemplorum, per quae exseruerit illam vim suam, varie quidem, & saepe, & in rebus & multis, & magnis.

Sed effectorum magnitudo censetur etiam c) celeritate: cui *facilitatem* addere vel immiscere liceat. Huc ante omnia retuleris, e superioribus, (lit. a. b.) Christi satisfactionem, Ebr. 9. & 10. quae vno opere, semel, cito, intra breue tempus transacto, tantum effecerit: deinde Pauli mutationem, tam subito consecutam ex tanta diuersitate: Act 22. & 26. Ita Rom. 16, 19. Deus Satanam & ipsum, qui proprie dicitur, & omnes hostes verae formulae) conteret, ac vobis subiiciet *celeriter*: quod tamen & hic significare possit *paullo post*; vt Apoc. 1, 1. vt minus vere aut liquido huc pertineat, quam 1 Cor. 15, 52. Momen-

mento temporis, ἐν ἀτόμῳ, puncto indiuiduo, minimo, dum mouetur oculus, & mortui redibunt, & nos mutabimur. Vera haec ſublimitas eſt (vt Moſis, Gen 1, 4.) tam breui momento tantas res, duas ſimul, tam late patentes! In ſimpliciſſima breuitate, ſumma vis, & magnitudo immenſa! Gal. 1, 6. mirari ſe, ait, id eſt, ipſi magnum videri, quod tam *cito*, tam ſubito, tam leui momento ac breui, mutati defecerint Galatae. 2 Theſſ. 5, 2. 3 Chriſti aduentum fore, ait, vt furis nocturni: ſecuris omnibus, repente, inquit, *adſtat* pernicies. *Adſtat*, ait: praeſenti tempore vſus: non dicit, ſuperueniet, ne *ſuperuenit* quidem, ſed, iam *adeſt*, adſtat *pernicies*, non periculum, non minae aut metus, ſed ipſum exitium.

Celeritati & facilitati ſubiecta ſunt, quae extollant magnitudinem ipſam cauſſae:

d) *obſtacula* multa & magna victa. Hoc argumento vtitur Paullus, Rom. 1, 18—20. vt prauitatem paganorum magnam oſtendat, cui ſeſe permiſerint, qui tamen duce natura, ex operibus, Deum noſſent: vnde, illam prauitatem, demonſtrat, excuſatione carere, id eſt, ſummam & maximam eſſe; nec minus Iudaeorum, qui ſcripta quoque lege vtantur, 1, 32. alios accuſent ac damnent delinquentes, 2, 1—3. placeant ſibi ob legem Dei, eaque glorientur, vſ. 18. alios docere & monere audeant, vſ. 19. 20. Eorundem foeditatem inde auget, quod lenitate & clementia Dei adeo non auocentur a de-

lictis, vt eo effusius insoleſcant: 2, 4. 5. Fidei magnitudinem auget in Abrahamo 4, 18. 19. ſperante, vbi ſpes non eſſet, nec reſpiciente corpus ſuum & Sarae effoetum, aut aetatem decrepitam. Rom. 5, 6—8. magnitudinem amoris diuini, & Chriſti, firmatam ac declaratam huius morte, inde repetit, quod eam pro impiis & hoſtibus ſubierit Chriſtus, decreuerit Deus: quod nimirum debuerit eum a nobis alienare, nec tamen obſtiterit illi. 7, 13 extollit magnitudinem prauitatis naturalis, quod illi adeo non obſtiterit lex diuina, vt delinquendi materiam vltro inde prauitas ſumſerit. 9, 1—5. magnitudinem ſui doloris e ſorte miſera Iudaeorum & ipſam acerbitatem ſortis huius deplorat, argumento vſus, quod gauiſi ornatique fuerint tot ac tantis decoribus: quae ſcilicet incredibile redderent, quod ſit tamen ſecutum. Adde 11, 21 ne *natiuis* quidem ramis pepercit Deus. At contra paganorum felicitatem eo fiſtit admirabiliorem, 11, 17. 24. quod omnia fuerint in iis, quae efficerent tanto beneficio Dei. Quo rurſus minus mirabilem fore, ait, reditum Iudaeorum, 11, 24. quia multo minus repugnet, immo congruat multo magis, priſtinae illorum conditioni, in quam ſint veluti poſtliminio reuerſuri. Eodem cardine vertitur diſputatio Eph. 2, 1—19. de paganis, ex ista caecitate, impietate, foeditate, ad Chriſtum vocatis; de ſublato diſcrimine & remoto Leuiticae legis, velut ahenei muri: de conſociatis ſub Chriſto & per Chriſtum Iudaeis

&

& paganis, tam diuersis adhuc inter se, & plane insociabilibus: admiranda plane magnitudine, quam quasi per omnes magnitudinis modos, ac velut dimensiones, altitudinem, longitudinem, latitudinem, profunditatem aperit 3, 18. diuinae sapientiae, 3, 9. 10. potentiae, 1, 11. 19. sed antea omnia amoris, misericordiae atque benignitatis, 1, 5. 6. 7. 2, 6. 7. Solatii sibi perlepti magnitudinem extollit 2 Cor. 1, 8. magnitudine malorum, quae illa consolatio mitigarit. 2, 12. dolorem, quem perceperit e luctu Corinthiorum, eo ostendit, quod, cum haberet tantam facultatem, materiam, occupationem laetissimam euangelii propagandi, non constiterit tamen animo, neque acquierit, donec certa de iis cognosset. Cui simillimum addo statim 1 Thess. 3, 1. quod, cum carere non posset vsu & opera Timothei, tamen sustinuerit ac praetulerit *solus*, sine eo, quasi destitutus, manere Athenis, tantum, vt nosceret, quo loco essent res Thessalonicensium. Achaeorum liberalitatem exornat eo, 2 Cor. 8, 1—3. quod iis non obstiterit paupertas summa, extrema, κατὰ βάθους, quominus vel vltra vires prolixe facerent. Ipsius liberalitas Pauli studiumque in Corinthios eo augetur, 12, 15. quod, minus amatus illis, quin spretus ac fastiditus, tamen illos ameu Et 13, 7. ostendit, quanto studio ardeat integros seruandi Corinthios, Deoque probandi, vt sit paratus vel ipse ἀδόκιμος haberi, contemni, vt tenuis ac rudis repudiari, falsis

apoſtolis poſthaberi, dum Deo probent Corinthii teneantque puritatem doctrinae, ſenſus, morum. Tantum illi ſtudium erat, tam ſincerus amor Dei atque Corinthiorum, tanta cura ſalutis eorum, quam redimere vel contemtu ſui paratus eſſet. Eodem pertinet, quod non verebatur, aut recuſabat opinionem & exprobrationem ſtultitiae & iactantiae, dum Corinthios contineret in fide: 2 Cor. 5, 13. 11, 16. Et quod profitetur, Dei cauſſa ſeſe quaſi deſipere, 5, 13. & pati, nec recuſare, vel ſtolidum haberi, dum ne Corinthii corrumpantur: 11, 1—3. Iam Gal. 1, 13—16. e magnitudine ſtudii ſui in Iudaiſmum, & acerbitate vexandi Chriſtianos, oſtendit, quanta ipſum mutatio verterit, quot & quantorum obſtaculorum victrix: vt Act. 22, 3—6. 26, 9. 14. ſequ. Et Galatarum ſtuporem leuitatemque ſummam monſtrat, deficientium a doctrina Chriſti, tam euidenter cognita; quod prohibere defectionem debuerit: reuolutorum ad nugas, 4, 9. a quibus liberati fuerint cum gaudio tanto, vſo 14. 15. quae omnia retinere eos & poſſent, & deberent, non minus, quam incommoda, iam tolerata ob Chriſti profeſſionem, 3, 9 non fruſtra modo, quod ipſum iam eſſet ſtultum, ſed & plus, quam fruſtra, magno malo ſuo, ex culpae magnitudine, quam committerent omittendo ac repudiando doctrinam, tanto ſtudio ſuſceptam atque defenſam. Tito quantus ardor fuerit viſendi Philippenſes, ſolatio erigendi, referendi Paullo, quo loco res eſſent eorum, & afferendi

collecta ab illis in usum Paulli, inde auget, Phil. 2, 30. quod aeger, inualidus, excurrerit tamen, mortis ipsius periculo contemto, id est, non passus, talibus *impedimentis* vinci studium suum. Ebr 5, 12. stuporem Ebraeorum eo grauiorem ostendit, quod, per tempus atque occasionem, iam magistri esse debeant ac possint earum rerum, quarum ne rudimenta quidem calleant. 6, 4—6. magnitudinem prauitatis deficientium a Christi professione auget ex magnitudine & velut potentia impedimentorum, quae arcere illos & debuerint & potuerint ab illa defectione: quod doctrinam Christi & cognoscent, & probassent, & argumenta eius valida sensissent, quin dulcedine eius imbuti ac delectati essent. Quae omnia & singula, multa & magna, quo validius auertere eos debuerint, eo grauiorem monstrent temeritatem, & minus excusationis habentem. Sed eadem rursus obstacula victa ostendant, nullam reliquam conditionem talium hominum in melius, veluti postliminio, reuocandorum; quod iam omnem vim in iis amiserint, aculeos retuderint, vt denuo valere iam nequeant. Vt, qui post remedia praesentissima eidem morbo implicitus fuerit, sanari iisdem deinde aut nequeat, aut non facile queat. Ita magnitudo & multitudo impedimentorum superatorum ostendit, quanta sit difficultas redeundi, in quo auertere & potuerint & debuerint, aut ad id redeundi, in quo contineri per obstacula illa potuerint ac debuerint. Quid? Fidei magnitudi-

iidem ac virtutem, Ebr. 11. nonne etiam *impedimentorum* magnitudine auget atque illustrat, eius virtute superatorum? nominatim in Abrahamo, vs. 8. qui a) reliquerit solum natale, cui esset assuetus, b) nescius, quo vocaretur: c) sperarit filium e Sara, effoetus ex effoeta, contra naturam, παρ' ελπίδα επ' ελπίδ., Rom. 4, 18. contra spem omnem, solius Dei fiducia: qui porro d) paratus fuerit, etiam *immolare* Deo eundem Isacum, vnicum filium, post quem iam nullum speraret, a quo suspensa essent promissa Dei: vs. 17. 18. In Mose, vs. 23. — 27. cuius parentes primo expositum clam seruarint, nil veriti interdictum poenamue regis: ipse deinde conditionem opimam, diuitiarum, adoptionis regalis, forte spem regni ipsam non spreuerit modo, sed & incommodis, calamitatibus, contumeliis posthabuerit: In reliquis itidem Patriarchis, aliisque piorum, plurima incommoda & grauissima perpessis, vs. 35. — 38. Talia non metuere, talia superare laetumque pati, quin sua sponte subire, *magnae* sit profecto fidei, summae constantiae & inuictae. 12, 21. quantus terror fuerit promulgatae legis, ex eo ostendit, quod timorem ac tremorem fassus sit *ipse Moses*, ad propitium tamen Deum vocatus, interprete ipso vsurum, iussus venire, certus, nil ipsi nociturum; & tamen perhorruerit. Quid reliqui? Aut quis non pertimesceret? His addi debent, quae supra attulimus. n. 2. lit. a. de alacritate Paulli in suscipienda possessione Christi, ca-

la-

lamitatibus pro ea tolerandis, commodisque repudiandis. Accedat 1 Cor. 9, 15. 23. vbi ostendit, sibi nihil usurpatum iuris, nihil commodi, quo vti posset, aliique essent usi; omnium sese ingeniis ac moribus inseruiisse, tot commoda repudiauisse, tot incommoda subiisse, modo vt ipsi constaret tranquillitas conscientiae, & felicitate potiretur per Christum parta. 1 Cor 10. init. magnitudinem & poenae diuinae in Iudeos, & ipsorum culpae, repetit ex multitudine & magnitudine decorum, quibus ornati, tamen & defecerint a Deo leuiter, & puniti sint grauiter. Vs. 21. liberum usum epularum sacrarum cum paganis inde notat foedum, quod exerceatur ab his, qui vtantur coena Christi & quasi conuictu, cuius sanctitate & necessitudine absterreri tamen se non patiantur ab istis coetibus. Adde 2 Cor. 6, 14. — 16. vbi similer ostendit, quam sit turpe, stultum, incongruum, id est, quam parum *impedimentis* longe grauissimis reuocentur, qui velint sociari impiis, cum sint pii, tenebris misceri, cum agant in luce, diabolo seruire, cum sacrati sint Deo.

Sed magnitudo rei etiam apparet ex efficientiae

e) *diuturnitate*, perpetuitate, tenore. Exemplorum omnium instar est sacrificium Christi, vt tractatur in Epist. ad Ebr. nominatim 7, 24. 25. 9, 26. 10, 14. 18. 12, 27. 13, 8. Nec minus, vbi aeternitas memoratur praemiorum fidei ac virtutis, 1 Cor. 9, 25. 2 Cor. 4, 17. 18. Vtrumque vt e *diuerso* illustret, mox notabimus.

Adde praeſtantiam euangelii prae lege, ex perpetuitate, 2 Cor. 3, 7. 11.

Aliud argumentum illuſtrat magnitudinem rei, qua efficientiam, ex

f) *materia*, in qua verſetur: quae vt amplior ſit vel tenuior, promtior vel difficilior, dignior vel indignior, ita & efficientiae vel nobilitatem vel magnitudinem tollat vel deprimat, augeat vel minuat. Rom. 5, 6. — 8. amor Dei & Chriſti eo maxime extollitur, quod pro *impiis & hoſtibus* mortem paſſus ſit Chriſtus, quam ne pro bonis quidem aut innoxiis temere quisquam ſubeat 7, 13. eo auget foeditatem prauitatis inſitae, quod legem ipſam, ſanctam, ſalutarem, verterit in culpam perniciemque. Et 6, 21. ex eo augeſcit turpitudo ſtudiorum prauorum, quod indulgeant rebus a) pudendis b) peſtiferis. Rom. 8. 32. amoris diuini magnitudo apparet ex eo, quod nec *filio* ſuo pepercerit. 11, 7. 21. & indulgentia Dei magna oſtenditur, quod *paganos*, impios, a ſe alienos, tantis beneficiis impertiuerit, & ſeueritas, qui *Iudaeis* non pepercerit, quem priuum ſibi populum deſtinaſſet, tot beneficiis exornaſſet. Quo nomine & acerbam eorum conditionem deplorat C. 9 init Euangelii vim magnam 1 Cor. 1, 20. inde oſtendit, quod tantam ſapientiam tot hominum viceritit 6, 5 inſcitiam Corinthiorum magnam arguit eo, quod ne *leues* quidem controuerſias disceptare poſſint. Ibid. vſ. 15. & 18. libidinis foeditatem ſummam inde monſtrat, quod delinquat

quat & graſſetur a) in corpus Chriſto ſacratum, b) in proprium corpus delinquentis: nec minus, quia delinquat & c) in Spiritum S. vſ. 19 cuius templum, corpus, tales homines polluant & deſtruant. Quo ipſo argumento 3, 16. 17. oſtendit etiam magnitudinem & culpae & poenae inferentium clades verae doctrinae. Negligentiae temeritatisque in vſu Coenae S & culpae ac poenae inde redundantis atrocitatem ex eo repetit 11, 27. 29 quod delinquat in corpus & ſanguinem Chriſti, quem contemtim habeat, vt cibum vulgarem: & ipſius Coenae S. magnitudinem ex eo, quod habeat recordationem mortis Chriſti 14, 3. praeſtantiam explicandae ſcripturae & doctrinae ſacrae eo docet, quod a) omnibus proſit, b) per res longe nobiliſſimas & ſaluberrimas; quas tractet doctrinam, officia, ſolatia 2 Cor. 1, 8. 9. vim & praeſtantiam ſolatii diuinitus ſuggeſti, vt remedii ex morbo, oſtendit e magnitudine malorum, in quibus illud perceperit. Apoſtolici muneris magnitudinem e materia monſtrat, 2 Cor. 3, 6. quod verſetur in euangelio, non in lege, cui illud ſit praeferendum, vel argumenti laetitia, cum lex terreat poena denuntianda, euangelium proponat, ſignificet, firmet, offerat liberationem culpae, auxilium vitae ſanctae, ſpem vitae aeternae: vel conſilii felicitate & efficientiae, quae ſit, ex illo vtriusque argumento, legis horrenda ac triſtis, euangelii laeta ac ſalutaris: vel diuturnitate atque tenore, legis breui, euangelii perpetuo at-

que aeterno. Galatarum ſtuporem leuitatemque ſummam oſtendit & ex praeſtantia euangelii ab iis relicti, Gal. 1, 6. ipſis agnita illa atque expetita, 4, 14. 15. & ex tenuitate rituum, quos repetant, 4, 9. 10. Conſtantiam ſuam in tuenda euangelica libertate inde auget, 2, 4. quod *Petro* obſiſtere coram non ſit veritus. Magnitudo amoris Dei & Chriſti, efficientiaeque eius, eo quoque nomine extollitur, Eph. 2, 1. — 3. 11. 12. quod *paganos* bearit, tam impios, tam ignaros veri Dei, tam plane obrutos omni flagitio, tam longe diſtantes a Iudaeis, populo Dei: quo minus in ipſis ſit materiae ad fauorem Dei, eo maiorem Dei miſericordiam monſtraturos. Nec minus 3, 8. e ſuamet tenuitate, qui, cum minimus eſſet, indigniſſimus omnium apoſtolorum, tamen ornatus ſit munere tam illuſtri, vt oſtenderet Chriſtum paganis, vt vocaret paganos ad ſocietatem Iudaeorum, ad copiam tanti beneficii diuini, tam incredibilis, tam late patentis, vel qua homines, vel qua ipſam magnitudinem ſuam, tam laeti ac ſalutaris. Cuius quod ipſum delegerit interpretem Deus, tam tenuem, tam indignum, admirari ſatis ipſe nequit. Quo ſenſu plenus, eodem modo argumentatur 1 Cor. 15, 9. plane indignum ſe deputans nomine Apoſtoli & munere, vt qui vexarit etiam coetum Chriſti; & tamen non ipſe modo viderit Chriſtum, ſed & aliis monſtrarit apoſtolus: & 1 Tim. 1, 11. — 16. vbi ſe vocat, & fuiſſe ait, impium, maledicum & acerbum in Chriſti formulam atque

que ſectatores, primum denique impiorum, & tamen non modo in gratiam receptum, ſed & munere ornatum docendae ac defendendae formulae, a ſe antea ignoratae. neque ignoratae modo, ſed & ſpretae, nec ſpretae tantum, ſed & conuitiis appetitae, ſed & vexatae. Cuius beneficii magnitudine plenus erumpit in locum communem, 1, 15. vt exemplo ſuo oſtendat, impiis omnino ſalutarem veniſſe Chriſtum; & in laudes Dei, vſ 17. Magnitudinem certaminis, quod ſit propoſitum Chriſtianis, repetit ex hoſtium magnitudine, qui materiam certandi praebeant, multi, potentes, callidi, violenti. Vid. ſupra ad h. l. in Genere Deliberat. Col. 2, 2. 3. magnitudinem cognitionis Chriſti ornat ex eo, quod omnes copiae ac theſauri ſapientiae ac ſcientiae lateant in eo, vel in ſacramento eius doctrinae; nam verba, *in quo* vſ 3. tam ad Chriſtum, quam ad myſterium, referri poſſunt: dignam ſane cognitione materiam! Magnitudinem officii, quo gratum illi ſit facturus Philemon recipiendo Oneſimo, monſtrat ex inſigni caritate, qua in eum feratur; *viſcera ſua* vocans, vſ. 12. fratrem dilectum, vſ. 16. quin *ſemet ipſum*, quem vt ipſum Paullum ſit excepturus, vſ. 17. pro quo etiam ſoluere, quod ille debeat, ipſe ſit paratus: vſ. 18. 19. Sed inprimis Epiſt. ad Ebr. verſatur in eo, vt & magnitudinem Chriſti, ſatisfactionisque ab eo praeſtitae, oſtendat: quam magnitudinem eius repetit ex eo, quod proprie huc pertineat, 9, 12. quod non animalium, ſed ſuum ipſius ſangui-

nem

nem Deo obtulerit, & 8, 12. non terreſtri adyto aut corporeo operatus ſit, ſed coelo ipſi & ſaluti aeternae: & ex illa deinde magnitudinem curae venerationisque, qua & ipſum Chriſtum, & illam expiationem, accipi conueniat: 2, 1—4. 3, 1. 10, 19. 22 ſequ. & vero culpae ac poenae, quam committant contemnendo aut relinquendo illo & formula eius 6, 4—6. 10, 28. ſequ. 12, 25. Vnde magnitudinem copioſe grauiterque deſcribit & beneficii, cuius contemtus eo grauior inde appareat 6, 4—6 vbi memorat illuſtrationem mentis; ſapientiam diuinitus praebitam, donum coeleſte, Spiritum S. pulchram Dei doctrinam, ſapientem, ſanctam, ſalutarem, laetam: virtutes vitae futurae, id eſt, praeſtantiam noui teſtamenti, & vniuerſae formulae & quaſi reipublicae Chriſtianae, (2, 5.) miraculis etiam firmatae, (2, 4.) vel dulcedinem vitae aeternam, iam ſenſu praeceptam: filium Dei ipſum, vſ. 7. Quae omnia, tot ac tanta per ſe, tam euidenter agnita, probata, adamata beneficia, qui conſulto repudiarint, facile appareat, quantum culpae committant, quantum poenae mereantur. In eandem ſententiam & 12, 22—24. refert montem Sionem, coetum Chriſti, illa figura ſedis Dauidicae in Vetere Codice toties, tam honorifice, tam laete repraeſentatum: Hieroſolyma, eccleſiam Chriſti monſtratam imagine vrbis eiusdem, olim Deo ſacratae; non corporea amplitudine clarum, ſed animorum ſapientia, ſanctitate, felicitate, diuinitus & iam data, & por-

re atque olim ſperanda: ciuitatem Dei viui, vel veri atque efficacis, conſortium beatorum, iam in coelis agentium, ſocietatem doctrinae, profeſſionis, vitae, amoris, ſpei, dum hic egerint, felicitatis olim cum illis potiundae; Deum omnium iudicem, non impune ergo ſpernendum aut irritandum: ſanguinem Chriſti, non accuſantem nos apud Deum, vt Abelis, (quem nominat, vt & ipſum Deo carum, comparando augens ſanguinem Chriſti;) ſed defendentem, & fauoris diuini certos reddentem. Quae omnia quanto flagitio, qua temeritate periculoque ſpernantur, monuit & antea, vſ. 16. & poſt monet, vſ. 25. vius argumento magnitudinis ita illuſtratae tractando. Hoſpitalitatis praeſtantiam inde illuſtrat, 13, 2. quod & in *angelis* exercere illam, contigerit: illuſtri vero materia, & quae magnitudinem loquatur, huius virtutis atque officii, cui exercendo ne angeli quidem dedignati ſint materiam ſeſe offerre. Quod, per ſe magnum, eo augeatur, quod ſciamus, in illis angelis, Abrahami hoſpitalitatem expertis, fuiſſe ipſum Iehouam, Dei filium.

Argumentum ſequatur magnitudinis, quod primo fortaſſe loco ponendum fuit: ex

g) natura ipſius rei. Huc repetantur allata ad lit. f. de materia, vel *obiecto*: quippe & huc pertinent, cum materia ſit res ipſa. Adde, quae, hic memoranda, & illuc retuleris: Rom. 1, 23. vbi arguit & ſtultitiam paganorum, colentium bruta quoque & inanima pro Deo vero

&

& foeditatem, impudicitiae monstrosae & contra naturam, aliorumque scelerum, quorum nomina ipsa foeditatem summam, e rei natura, loquantur. 2, 4. An contemnis diuitias, magnitudinem, vbertatem, diuturnitatem diuinae clementiae, indulgentiae, patientiae? Et vs. 5. Tu peruicacia ista tua cumulas tibi, vt thesaurum, poenam Dei. 3, 2. Iudaeis credita & commissa sunt oracula Dei. Hic & rei, & auctoris magnitudo, & eorum dignitas apparet, quibus sit commissa & credita, a) tanta res, b) solis, eximie, prae ceteris: c) ab ipso Deo. 4, 19. non respexit Abrahamus aut suam aut Sarae aetatem, effoetumue corpus, id est, difficultatem summam & inuictam rei per se. 8, 31. Si *Deus* pro nobis: quis contra nos? Satis in vno illo! vs. 32. ne *filio* quidem *suo* pepercit, sed eum *pro nobis*, pro culpis nostris, in salutem nostram, *morti* obtulit. Singulae notiones per se magna declarant: magnitudinem ingentem, immensam aggerant: 9, 4. 5. Iudaeorum ornamenta, vt per se euidenter magna, enumerantur; populus Dei, leges, promissa Dei, vt per se sancta, ita praescripta a) solis, b) proxime a Deo ipso; ius filiorum Dei, qui tum illi essent soli: & vero ipse ante omnia, omnium instar, Christus, non merus homo ille, & tamen, qua humanitatis sortem, ex illis oriundus, Deus idem aeternum ferendus, proprie iis promissus, ex iis natus. 1 Cor. 10, 1—5. memorat Israëlitarum in deserto agentium decora & beneficia, per se magna: transitum maris rubri, quam mirum, quam insigne documentum curae diuinae! nubem mirificam,

tu-

tutamen & recreationem, baptismi imaginem eandem, sicut transitus maris fuit: quod feliciter ingressi, quo feliciter superato, Mosen agnoscerent ducem diuinitus datum, ministrum miraculi tam praesentis, interpretem formulae a Deo praescribendae legislatorem Dei vice: cibum coelestem, Christi ipsius figuram, (Ioh 6, 31 — 35.)-potum ex rupe itidem & a Christo suppeditatum, & signum salutis ab eo partae, quin Spiritus S. ab eo subministrati (Ioh. 4, 14. 7, 38. & 6, 35. vbi de Manna locutus, vt sui figura, addit: qui me fidet, non *sitiet* in aeternum: alludens, secundum Mannam, etiam ad aquam ex rupe, per ordinem ac tenorem rerum Israëliticarum; Paullo hic interprete satis diserto:) 2 Cor. 11. copiose sane grauiterque describit & mala sibi tolerata, vs. 23 — 27 & curas, quas sustineat, 28. 29, & monitus coelestes, immo visa coelestia, 12, 1 — 4. Hostes Christianorum magnos describit, Eph 6, 12. sequ. principes vocans, potentes, orbis dominos, rerum potentes: plenos omni improbitate, callidos, saeuos, violentos. Christi vero & personae & muneris magnitudinem quomodo ostenderet, quia saepius iam tetigimus, vt non vna conditione notandam, neque ex vllo fere magnitudinis loco non repetitam, hactenus tamen huc referemus, quoad colligit illam magnitudinem e *natura* Christi, Ebr. 1, 2 — 4. vocans effectorem, dominum & conseruatorem omnium rerum, imaginem naturae patris Dei, filium Dei, superiorem

an-

angelis, quin ipsis adorandum; ecclesiae non ministrum, sed dominum, 3, 3. 4. 6. &, veluti summa facta, 7, 26. 27. sanctum, labis omnis expertem, prauorum hominum plane dissimilem, coelo ipso sublimiorem, opus non habentem offerre quidquam pro suis culpis; vno opere semel pro cunctis valide vtiliterque defunctum, 10, 12. 13. euectum ad dextram Dei, 8, 2. rel.

Ita & *tenuitatem* rei notat ex ipsius natura. Gal. 4, 9. legem Leuiticam vel Liturgicam vocat 1) elementa, rudimenta initiola, pueris digna, viris indecora: 2) τὰ κοσμικὰ, terrestria, corporea, externa, concreta, sensibus apta, animo aliena: 3) infirma, nil valitura, vim nullam habentia: 4) tenuia, leuia, misera, quasi mendicis digna, meliori copia destitutis. Eandem Ebr. 9, 10. notat positam atque occupatam in discrimine cibi & potus: (quo potu abstinerent, v. c. Nasiraei,) in lauacris & lotionibus, corporeis ritibus, tantum ad eum finem iniunctis, quoad *meliora* inducerentur, solidiora, liberaliora, vtiliora. Sortis suae & aliorum apostolorum tenuitatem atque miseram speciem satis luculenter depingit 1 Cor. 4, 9—14. *vltimos*, postremos hominum se haberi, morti destinari, nudos incedere, cogi sibi quaerere victum, cum interea distringantur muneris cura; carere certa sede, vexari fame ac siti, colaphis caedi, conuitiis incessi, impuros & piacula designari. Adde 2 Cor. 6, 4. 5. 8—10. Et ibidem, 4, 7. suam & reliquo-

quorum tenuitatem ſatis ſignat vno vocabulo, fictilium vaſorum: quibus quid fragilius? aut quid minus aptum theſauro aſſeruando & continendo, vel rei pretioſae, ne, prolapſo vaſe, diffracta amittatur & pereat?

Alia rei adiuncta, & velut extrinſecus haerentia, vt locum, tempus, modum, omittimus, tum rara Paullo, tum locis paſſim notata ſuis. Nam *modum* quidem peragendae rei iam ſupra notatum dedimus, lit. a. ſub *cauſſis;* Adde tamen 2 Cor. 8, 4. 5. vbi Achaeorum benignitatem laudat ex modo, quod fecerint 1) vltra vires, 2) ſponte, 3) cum precibus, vt apoſtoli reciperent ac curarent, quod vt darent Achaei, rogandi eſſent ipſi, v. & lit. c. de *celeritate.* Ad *locum* retuleris, quod Ebr. 9, 24. Chriſtum, vt pontificem, ait, non *terreſtre* ſacrarium aut corporeum eſſe ingreſſum, ſed *coelum* ipſum.

Hi ſunt ſane magnitudinis loci, vt fontes & cauſſae. Quas *quomodo* tractat? Plane, vt oratorem agnoſcas: nempe,

1) *comparando.* Quod proprium ſane eſt Magnitudinis loco, quae non niſi comparate vel relate intelligatur. Comparando autem

a) ſimilia: quorum ſi vnum, conſtet, eſſe magnum, conueniat & alterum eſſe magnum. 2 Cor. 4, 6. Deus, qui olim iuſſiſſet, lucem (corpoream) e tenebris exſplendeſcere, idem excitauit in mentibus noſtris euangelii ſplendorem. Magnum ergo & hoc opus, ac plane diuinum, quia ſimile eſt illi effectioni lucis. Ebr. 1, 2. 3.

Chriſtus eſt imago patris, ſplendor, quaſi redditus & expreſſus a natura eius: ipſe ergo magnus ac ſummus eſſe debet: vt Phil. 2, 9. ἐν μορφῇ θεοῦ· ipſe expl. ἴσα θεῷ. Huc & ſimilitudinem Melchiſedeci retuleris, Ebr. 7. cuius magnitudinem ponit quaſi fundamentum comparandae magnitudinis Chriſti, maioris tamen, cum homo tantum fuerit Melchiſedecus.

Sed frequentius in contendenda magnitudine componuntur

b) *maiora & minora.* Hac comparandi conditione, veluti modo ac pede, vbique fere vtitur in magnitudine comparanda ac declaranda. Quid enim aptius? Rom. 5, 16. Adamo comparat Chriſtum, vt maiorem; cum ille ex vno ſuo delicto propagarit in omnes culpam & poenam; hic e multis omnium delictis illorum loco, cum tam multi deliquiſſent, tam multa retulerit, ſalutem, Dei fauorem, innocentiam, felicitatem. 11, 15. Si *repudiati* Iudaei occaſionem dederunt ſaluti paganorum: quid tandem *regreſſus* Iudaeorum ad Chriſtum efficiet? 1 Cor. 5, 1. *pagani* abhorrent, & ignorant inceſtum; quod *Chriſtiani* admittitis, toleratis, probatis! 9, 10. ſi temporariae coronae cauſſa tantum elaborant in ludis: quid nos facere decet aeterni praemii cauſſa? Cor. 13. e magnitudine nota & conceſſa munerum Spiritus S. mirificorum oſtendit praeſtantiam veri amoris, cui iſta omnia cedant, quamuis magna. 2 Cor. 3, 7 — 11. Si Moſis ſplendor fuit tantus, tractantis *legem* 1) tabu-

bulis concretis corporeisque inſcriptam, 2) culpae & poenae nuntiam, mortis metu minacem: ſi ſplendor ille fuit tantus, non manſurus ſemper; ſed ceſſaturus: (neque enim de *lege* ceſſatura ſermo hic eſt, ſed de ſplendore Moſis, vſ. 7. etſi & lex ceſſauit, qua ritus, qua formulam, cauſſam & conditionem ſperandae ſalutis, quae tamen ex lege nunquam repeterentur poſt hominum lapſum;) quanto maiorem, conuenit, *euangelii* eſſe ſplendorem, in animos efficacis, vitam largientis, haud vnquam ceſſaturi! Gal. 3, 15. ſi *hominum* teſtamenta rata habentur, & immota valent: *Dei* promiſſa quanto magis vigere immota debent! Eph. 5, 12. Quae occulte perpetrantur a paganis, *dictu* quoque turpia ſunt. Vnde intelligendum relinquitur, e minori, quam turpiter *fiant*, peragantur: quod ſit maius.

Ad Ebraeos inprimis Epiſtola habet hanc comparationem, qua intelligatur magnitudo 1) Chriſti, ex angelorum faſtigio, ſatis illo magno, (1, 4. rel. 2 Pet. 2, 11.) a quibus tamen venerandus ſit: e Moſis dignitate, ſatis & ipſa magna, Ebr. 3, 2. 3. ex Melchiſedeci amplitudine: cui, ſi homo fuit, quod credibile ſatis eſt, non ſimilis tantum Chriſtus, ſed maior illo eſt. 2) Satisfactionis ab eo praeſtitae; quam confert victimis Veteris Teſt. quae corpori tamen attulerint puritatem, Ebr. 9, 13. 14. (id eſt, ſymbolicam, puritatis internae figuram; neque enim purgabat corpora cinis aut ſanguis, nec ſordes corpori abluebat immo: figuram tantum habebat puritatis

verae, ita tamen, vt expiaret delicta leuiora, per impuritatem externam corporis admissa, vt ea, quae cadauerum contactu, ciborum vetitorum vsu imprudente, rel.) quanto illam ergo magis & verius animis profuturam! 3) curae ac veneracionis, qua, conueniat, illum eiusque doctrinam suscipi ac teneri: simul 4) poenae, manentis contemtores ac defectores: 2, 2. 3. 10, 28. 12, 25.

Nec minus apparet magnitudo, cum componuntur

d) *contraria* & diuersa. Rom. 1, 23. magnitudo erroris pagani elucet ex diuersitate Dei incorporei, incorrupti, absque concretione mortali, oppositi hominibus fragilibus, quin auibus & reptilibus, quibus illum similem effinxerint. 2, 27. pagani, qui natura duce legem seruant, condemnabunt, pudore & opprobrio obruent, grauiore poena dignum ostendant atque arguant te Iudaeum, qui habeas, iactes, & negligas scriptam legem 5, 10. si iam *hostibus* talia tribuit Deus: *reconciliatis* quid faciet? vs. 17. Si ex vnius delicto mors omnes inuasit ac peruasit: quanta vis erit ac magnitudo vitae & felicitatis oriundae ex satisfactione & beneficio Christi tam prolixo! 6, 21. 22. Si tantum ac tanto studio elaborastis earum rerum caussa, quae nunc pudori sint vobis, quae mortem vobis fuerint allaturae: quanto tandem studio nunc amplecti ac sequi conueniet diuersa, quae sint decora ob sanctitatem, salubria per felicitatem aeternam! 11, 15. si repudiatio Iudaeorum & calamitas locum de-

dedit paganis Deo reconciliandis: reditus illorum & reſtitutio plane erit vita ex morte, id eſt, ſumma & omnium felicitas ac laetitia. Si *repudiatum* a Iudaeis euangelium tam laeti exceperunt pagani: quanto cupidius & facilius expetent *repetitum* ab his, qui ſpreuerint! Eph. 4, 1, — 6. 12. 13. e diuerſo paganorum ſtatu, ſumma & prauitate & miſeria, cum eſſent plane vt mortui & obruti flagitiis & erroribus, ſine Deo, id eſt, alieni ab eius cognitione, cultu, fauore, nulla ſpe fauoris diuini aut melioris vitae poſt mortem, expertes verae religionis, ſegregati & contemti a populo Dei, quaſi peregrini & extranei; ex hac ergo miſeria ſumma oſtendit magnitudinem beneficii diuini, quo ſint traducti in veram viam ſapientiae, virtutis, felicitatis, plane coelo beati, nunc cognitione, conditione, ſpe, olim ipſo vſu Chriſti ipſius felicitate impertiti, velut in eadem cum illo ſede locati, eodem iam cum Iudaeis iure, ciues Dei, coetus diuini partes 1 Tim. 1, 15. 16. ex eo, quod ipſe fuerit *primus* impiorum, repetit magnitudinem miſericordiae diuinae, quam in ſe primo & praecipue exhibuerit Deus. Eadem ratione nititur, vbicunque ex tenuitate ſua aliorumque apoſtolorum oſtendit magnitudinem virtutis diuinae, tanta efficientis per iſtam tenuitatem: 2 Cor. 1, 9. 4, 7. 12, 9. Adde, cum per antitheta & oxymora ſignat magnitudinem rei: vt 1 Cor. 1, 25. ſtultitiam Dei dicens ſapientiorem ſapientia hominum, infirmitatem Dei validiorem virtute

humana: vel, cum 2 Cor. 6, 8. ſequ. componit diuerſa, quae ex altera parte eſſe *putentur* in apoſtolis, ex altera parte *ſint*: vt fides eorum ſit tanto maior, quod eluceat ex ipſa opinione erroris: felicitas maior, quod in miſeria ipſa: vis hoc maior, quod in iſta paupertate non ſint ipſi modo diuites, ſed & alios efficiant: quae omnia, vt admiranda, ita magna, diuerſitas ſiſtat.

Solet & re ad *ſenſum* reuocanda pateſcere magnitudo rei. Ne hac quidem parte vocat Paullus; ſed eam varie aſſequitur: nunc per *partes* exſequendo magnitudinem rei: vt paganorum prauitatem, Rom. 1, qua Deum, vſ. 23. vbi memorantur animalia, volucres, reptilia, quibus Deum aſſimularint: ſenſu ipſo & figura rerum arguente inſaniam: qua mores, vſ. 27. ſequ. vbi plurima enumerat notae & conceſſae foeditatis: vel cum calamitates ſuas recenſet, 1 Cor. 4, 9, — 13. 2 Cor. 6, 4. — 10. 11, 23. ſequ. quae tamen, vt alia huiusmodi, ſunt amplificationes potius rei ipſius, quam aliunde ductae imagines. Rectius huc retuleris Rom. 11, 35. βάθος πλάτος, & multo magis Eph. 3, 18. longitudinem, latitudinem, altitudinem, profunditatem; vbi manifeſto ſenſuum auxilio vtitur, vt magnitudo intelligatur. Nonnunquam *hyperbolice* rem ob oculos ſiſtit: Gal. 1, 8 Si vel *angelus de coelo* aliam formulam proponat euangelii: 4, 8. vel *oculos* vobismet erutos mihi daretis. Inprimis 1 Cor. 13, 1. ſequ. ſi linguis hominum angelorumque loquar, ſi montes trans-

po-

ponam, ſi vſtulandum corpus praebeam 5, 6. Gal. 5, 9. exiguum fermentum inficit totam maſſam. Hic res corporea, quae vim tantam exſerat in ſumma exiguitate, luculenter ob oculos offert magnitudinem periculi contemti. Vigentiſſima idem imagine vtitur 2 Cor. 3, 15. — 18. qua ſignet magnitudinem, euidentiae, qua Chriſtiani & apoſtoli Deum agnoſcant, 1) velamine remoto, velut aperto vultu, vel Dei, conſpiciendum ſeſe praebentis, vel ipſorum, libere, vt aquila ſolem, contuentium. Vtraque enim conditione intelligas. Illa Moſi conuenerit, vultum velanti; quod Deus in Novo Teſt. non fecit: Ioh. 1, 14. 18. 14. 9. Ebr. 1, 3. Haec altera congruerit cum vſu ablatiui, *vultu retecto*, qui magis tribui ſoleat *ſubiecto agenti*, quam illi, in quod agat. Illam tamen partem, vel conditionem, praetulerim, qua referatur ad Dei quaſi vultum apertum. Quippe Moſes & Chriſtus comparantur, ille non retectus, hic aperte viſus. Iudaei porro & Chriſtiani, illi videntes tectum, non vbique tecti ipſi, aut obueluto vultu; nil enim tum plane viderent: & non tecti, Moſen vtique viderent; videntes ergo, ſed tectum, Chriſtiani non tectum. Tametſi vſ. 15. pectori vel menti Iudaeorum oppoſitum velamen dicitur. Sed enim haec permutatio eſt mutuae conditionis. Nam nec velatum videas totum, nec velatus. Et vim magis notet rei, ſummam, Iudaeorum errorem atque ignorantiam, repraeſentatam & monſtratam illa hebetatione Iudaeo-

rum ad ſplendorem Moſis, Et vſ. 14. lectioni Veteris Codicis incumbere dicitur velum, id eſt, non intelligi lex Iudaeis, dum legatur: quod plane reſpondeat imagini in facie Moſis ipſius, legislatoris, velata. Certe in verbis; καὶ οὐ, vſ. 13 *& non*, haud intelligendum eſt vtique, *facimus*, quaſi neget opoſtolus, ſe obuolute aut obſcure agere in cognoſcendo aut docendo; ſed intelligi poteſt, γίνεται, *ſit*, accidere ſolet: vt Rom. 3, 8. vt ſit ſenſus: nobis non ſit, accidere non ſolet, vt videamus Chriſtum velamine oppoſito. Quare miſcere liceat vtramque conditionem, & Dei vultus, & apoſtolorum Chriſtianorumque retecti. At quam ardente vocabulo vſus eſt, κατοπτριζόμενοι, quin μεταμορφώμεθα, conformamur in ſimilitudinem ſapientiae diuinae: plane vt habeamus *ſenſum* Chriſti 1 Cor. 2. extr. & ille in nobis μορφοῦται, Gal. 4, 19. Praeſtantiam vitae aeternae beatae ſummam oſtendit praeclara antitheſi, incommodorum a) leuium, b) breuium, illius a) magnae; *pondus* enim gloriae vocat; b) perpetuae. Nec minus auget magnitudinem *imaginibus* translatorum vocabulorum: vt Rom. 2, 5. *theſaurum* poenae colligis 2 Cor. 5, 17. *pondus*, molem felicitatis: Eph 2, 1. *mortuos* delictis. vſ 14, 15. legem rituum & odium Iudaeorum in paganos, vocat parietem ſepem. Col. fauor Dei, tranquillitas inde oriunda, βραβευέτω in animis veſtris: vt iudex certamini praeſit omnia decernat, ad Dei cauſſam vertat. 1 Tim. 6, 4. *aegrotans* ſtudio inanium

nium quaeſtionum vſ. 10. undique *confixerunt* ſeſe doloribus. Ebr. 12, 1, *nubem* teſtium: vſ. vlt. Deus eſt *ignis abſumens* & quae plura in Metaphoris notabuntur, & huc tamen referenda: Quin & *nouatis* vocabulis atque inuſitatis: Rom. 8, 37. in his omnibus ὑπερνικῶμεν, longe vincimus: vltra victoriam vires habemus. Eph. 3 8. mihi, omnium apoſtolorum ἐλαχιστέρῳ. Non ſufficiebat vſitatus ſuperlatiuus & ſimplex: ipſum auxit vt comparatiuum Phil. 1, 23. πολλῳ μᾶλλον κρεῖσσον. Phil. ὑπερχαίρειν, & 2 Theſ 1, 3. ὑπεραυξάνει. 2 Cor. 11, 5. τῶν ὑπερλίαν ἀποστόλων. adde ὑπερπλεονάζειν, 1 Tim. 1, 14. ὑπερεπλεόνασεν, Rom. 5. 20. quo aperte auget praemiſſum, ſimplex, πλεονάζειν 5, 17. καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολήν: & quae alia in *Elocutione* notabuntur.

CAPVT VIII.

DE

AFFECTIBVS, VEL ANIMI MOTIBVS.

Affectus, vel animi motus ac ſtudia, quantam vim addant oratori, vel in ipſius perſona, ſi ipſe commotus dicat, vel in auditorum animis, ſi eos mouerit, ita inculcare ſolent dicendi auctores, vt *victoriam* plane in iis ponant, &, languere ſine illorum neruis, dicant, omnem dicendi copiam. Et huius ergo quaſi teli copia & vſu vt inſtructus dicat Paullus, quando diſer-

tum ſiſtere auſi ſumus, age, videamus. Enim vero, ſi qua virtute dicendi, hac certe, aut nulla, aut, ſi nulla, hac vtique, valere, par Demoſtheni, ſuperior Cicerone, inueniatur. Par Demoſtheni, inquam. Quod enim ſtatim ſub ingreſſu & in limine huius diſputationis, quaſi inſtar vniuerſae, offundere liceat ſecus ſentientibus: per omnem Paulli orationem fuſus aequabiliter viget, omnia erigens cóncitatione quadam, idem animi ardor, quo Demoſthenes feratur, qui per omnes eius orationes dominatur, in iis quidem locis, vbi de republ. agat; nam in aliis cauſſis acerbior fere eſt, & conuitiatori propior, quam oratori: quo nomine mollior eſt Ciceronis oratio, politior, & vrbana magis. Vnde autem ille ardor Demoſtheni? Nempe ex ea cauſſa, qua plenus inueniatur, ac velut imbutus: amore ciuium & ſalutis publicae, odio improbitatis, ſtudio rei, cuius grauitatem, dignitatem, aequitatem, ſalubritatem infixam animo gerat cognitione & fide; generoſis omnino ſenſibus, ſtudiis ac conſiliis, quorum ſtimuli non patiantur iacere orationem aut languere, ſed erigant, incitent, perpetuo vigore ſuſtineant. Hoc nomine, hac parte & conditione ſimillimum inuenias Demoſtheni Paullum: vigere vtriusque orationem perpetua concitatione quadam, nunquam omnino nulla: vt vbique emineat diſertosque ſiſtat non aliunde arceſſitus ornatus, aut ex arte repetitus, aus conſulto quaeſitus; ſed rerum grauitas, conſcientia veri rectique & ſenſus,

ſus, vel iudicii, & conſilii, ſtudiumque iuuandi eos, quî cum agant. Ita fit, vt Paulli oratio omnis, vtut aſpera nonnunquam, horridior plane, ſi quis voluerit, & Thucydideis ſalebris impedita, plena ſit tamen, vegeta, generoſa. Quod ipſum & vnum habeat inſtar ſummi affectus atque perpetui. Quo quidem plena oratio non poſſit non & legentes vel audientes implere, parique ſtudio erigere. Qua in re tantum praeſtat Ciceroni, quod alterum poſui, Paullus, quantum Demoſthenes ipſe; id eſt, quantum natura arti, ſimplicitas labori, ex animo & re velut ſponte oblata, immo nata, arceſſitis cum cura, ne dicam, extrinſecus: quo vitio ſane laborare Cicero non reperiatur.

Sunt autem animi motus vel *expetendarum* rerum, vt bonarum, vel *auerſandarum*, vt malarum. Bonarum rerum & expetendarum eſt *gaudium*, malarum & auerſandarum *dolor*. Illi ſubiecti ſunt admiratio, ſpes, alacritas, amor: huic contemtus, metus, pudor, ira, odium. Miſericordiam vel amori, vel omnino ac proprie per ſe dolori ſubieceris. In Deo quidem amoris eſt toto. *Efficiuntur* autem & mouentur *cauſſis* ſuis, id eſt, oblatis animo notionibus rerum, quae ſint ita comparatae, vt, modo ſatis cognoſcantur & *credantur*, moueant animos ad expetendum vel auerſandum, in gaudium vel dolorem impellant, ex ea re ſentiendum. *Sedantur* contra, iis rebus ſublatis, cum intelligitur aut creditur illa res, motus eius effectrix, aut non

non adeſſe, nec vera eſſe, aut, ſi adſit, non eſſe eiusmodi, tamen, cuius cauſſa vel gaudendum ſit, vel dolendum.

Prima omnium, *admiratio* eſt. Oritur enim ex ſpecie & cogitatione *magnitudinis*, ſine qua nec deſiderium rei, nec gaudium, nec ſpes conſtet. Quis enim cupiat aut laetus amplectatur, aut ſperet, quae parui aut nihili & laeuia habeat? Quid, quod nec diuerſi motus, doloris, odii, pudoris, irae, aliunde exiſtunt? Quid enim habent, niſi admirationem, niſi magnam ſpeciem mali vel praeteriti, vel praeſentis, vel futuri? Neque vero quisquam horreat malum, aut oderit, aut eius pudore teneatur, quod leue aut nihili habeat, id eſt, non *admiretur*. Aut quis moueatur iactura, vel periculo amittendae rei, quae illi videatur leuis, id eſt, non admiranda? Hoc illud eſt, quod, nil *admirari*, monet Horatius, Epiſt. 1, 1. id eſt, ipſo interprete, nil cupere nimis, ſed nec formidare. Sed, admirationem qui excitaret Paullus, iam ſatis ſuperque notatum dedimus in *Magnitudinis* loco; hinc enim tota pendet, eo refertur, tota quippe magnitudinis; nec minus in Genere Demonſtratiuo; quia admiratio conficitur maxime ex opinione & iudicio, vel ſenſu & fide honeſtatis, praeſtantiae, laudis. Quanquam & vtilitatis ac periculi, quae verſantur in genere deliberatiuo, & aequitatis, multoque magis & potentius iniquitatis, quae ſunt loci iudicialis, magnitudo commouet admiratione; nec minus,

cum

cum praeter opinionem res accidit, & cauſſae eius latent. Ceterum hic addere talia licet: Rom. 11, 33. o profundam & diuitem ſapientiam & ſcientiam Dei! O imperſcrutabilia eius decreta, & imperueſtigabilem rationem? Quis mentem Dei nouit? Aut quis ei adfuit auctor conſilii arbiterue? Nimirum propria haec admirantis oratio eſt, & in admirationem alios rapientis: cuius cauſſa vel maxime repetatur ex abdita rei natura, cauſſis occultis, euentu improuiſo: Quae profecto, ſi qua in re, concurrant & emineant in conditione Iudaeorum paganorumque, expoſita inde a cap. 9. per 10. & 11. Quid enim tum credibile minus videretur, quam, Iudaeos repudiari, omni decore ſpoliari, diuinitus circumdato, paganos contra, a Deo alienos, Iudaeis contemtos, in horum locum adſcitos euehi, iisdem iuribus exornari? Quam rerum conuerſionem & qua paganos miratur, mirandamque ſiſtit, Eph. 2, 1—11. ſequ. 3, 5. 6. 18. *myſterium* quoque vocans. Cuius rei etſi & in aperto eminerent cauſſae vt ab ipſo expoſitae, Rom. 9. & 10. tamen & in *occulto* latere quasdam praeterea, credibile reddat & Dei magnitudo, & Paulli exclamatio. Certe Chriſti ſatisfactio, pro Iudaeis & paganis valitura, eſt & habet inſtar ſummi myſterii, Rom. 16, 25. Eph. 1, 9. 3, 3. ſequ. 18. 19. Ita Gal. 1, 6. 3, 1—4. 4, 9—16. 5, 7. miratur, & ipſis Galatis mirum videri vult, quod defecerint a formula Chriſti, a) tam cito, tam ſubito, tam leui momento impul-

pulsi, b) quam adeo cupidi exceperint, laeti enixeque tenuerint. Eph. 3, 8. ipse miratur, quod tanta res sit commissa ipsi, omnium apostolorum minimo atque indignissimo, vt foret interpres ac minister paganis Deo reconciliandis, & in Iudaeorum societatem vocandis. Adde 1 Tim. 1, 12 — 16. de quo supra.

Ita vicissim tollit admirationem, mirari vetat, mirum esse negat, 1 Cor. 9, 11. si apostoli repetant corporea commoda, victum, alimenta, ab iis, quorum animi aeternamque salutem curent. 2 Cor. 11, 14. 15. negat, magnum, vel mirum esse, si Satanae ministri induant speciem bonorum angelorum, cum ipse Satanas sub angeli boni specie deliteſcat: qui hoc idem praestare & ministris suis & possit, & vero velit, qui & imitari illum sint parati. (Hic, si non est Satanas ille, quem multi hodie tollunt, reclamante scriptura, scire velim, quis sit, aut quinam eius ministri, ab ipso distincti. Absoluta enim natura esse debet, & posse bonum angelum imitari: quales & ipsi exstare debent, sicut illius ministri.) Huc & retuleris, quodammodo, & hoc nomine, quod 2 Tim. 3, 8. 9. memorat, magos quoque & egyptiorum restitisse Mosi; vnde *mirari vetet* Timotheum, si nunc quoque resistant alii sanae & salubri doctrinae.

Gaudium excitare studet & demonstratione boni, a) magni, b) certi. Quo quidem animi ardore, quo alios impleri & erigi velit, semet ipsum primo plenum ostendit. 2 Cor. 7, 9. de-

mon-

monſtrat, magno ſibi gaudio eſſe 1) ſalubrem poenitentiam Corinthiorum, inceſto caſtigando motam: eſſe autem gratam & laetam ipſi, a) ob originem, fontem & cauſſam, quia ſit κατὰ θεὸν, Dei cauſſa, digna piis & Chriſtianis, quin diuinitus plane, ab ipſo Deo excitata: vſ. 9—11. b) ex effectis & fructu, ſalubri, decoro, multiplici; vſ. 11. c) ob comprobatam ex illa integritatem Corinthiorum. Quibus omnibus vt ipſe gaudeat, ita Corinthios multo magis gaudere vult, quos illa proprie & proxime ornent ac iuuent. Gaudere ſe deinde, profitetur, 2) ob laudem, quam a ſe illis tributam, veram conſtare, & cognorit & nuntiarit Titus, cui aperuiſſet illam ſententiam & ſpem de Corinthiis ſuam; vſ. 14—16. Duplex laetandi materia: &, quod laude digni Corinthii, vt dilecti Paullo, & in re ipſis frugifera ac decora: &, quod non vaniloquus ſit inuentus, ſed veriloquus. Ipſis ergo gaudendum, & fruendum tam vera laude multo magis eſſe. Tertio gaudet, quod iam fidere illis per omnia poſſit, & ſperare, facturos, (ad quod Capite 8. rogandum viam ſibi per hac munuit:) facturos ergo, vt ſequantur exemplum liberalitatis Achaeorum in Iudaeos Palaeſtinos. Quae & ipſa res quanto eum gaudio efferat, docet, ſtatim ingreſſus, 8, 1—5. Deo habentis gratiam, qui illos excitarit tanta ſtudii benignitate, & ipſum illud ſtudium ita extollentis, ita illi fauentis, vt appareat, a *laeto* laudari. Quin & Titi ſtudium eius collectae

cu-

curandae ita laudat vſ. 16. ſequ. vt plane Dei beneficium agnoſcat alacritatem eius inſignem, ſponte geſtientis excurrere. Ob rem totam denique gratias agit Deo, vt pro munere inenarrabili, ergo laetabili, vſ. 19. At qua laetitia effertur in memoranda magnitudine beneficii paganorum cum Iudaeis ad Chriſtum vocatorum & perductorum, Eph. 1. 2 3. Quod inprimis appareat a) ex gratiis, quas Deo agat, 1, 3. b) e precibus, quibus adeat Deum, vt doceat illos magnitudinem beneficii, 2, 1—16. rel. Vbi ita aufertur eius magnitudine cogitanda, vt, a precatione media & interrupta, in demonſtrationem & exhortationem verſus, 1, 20. & 2 tot. rurſus inceptas preces 3, 1. denuo abrumpat, effuſus in demonſtrationem & admirationem 3, 2. ac vſ. 15. demum, tertium inchoatum, reddat & abſoluat: media autem compleat tertio gaudii ſigno, c) commemoratione magnitudinis. Quam quidem repetit & oſtendit 1) ab auctore Deo, 1, 3. 6. 19. eoque a) potente, 1, 19. ſequ. vbi oſtendit, quanta perfecerit Deus & in Chriſto, & in hominibus, 2. init. b) ſapiente, 1, 18. 3, 9. 10. ſed inprimis c) benigno, hominumque amante, 1, 4. 6. 2, 4 7. 9. 3, 18. 19. 2) a miniſtro & effectore, Chriſto ipſo, Dei filio, 1, 3—7. 2, 5. 13. 15. 3) ab iis, quibus hoc beneficii ſit tributum: paganis, caecis, impiis, praüis, a Deo alienis, omni foeditate obrutis, 2, 1—3. 11. 12. 4) a re ipſa: comparando, vnde aſſocati, ab ignorantia, erroribus, flagitiis, miſeria, ſpe nulla, b)

ad

ad quam ſapientiam, ſanctitatem, feliciratem ſint verſi, 2, 1. rel. in Chriſti plane ſocietatem adſciti; 4) ab impedimentis victis & remotis, legis Iudaicae, odii & contemtus Iudaeorum in paganos, 2, 11—17. Quae omnia vt perfecto plane exemplo docent, qualis ſit Paullus in laudando, ita oſtendunt pectus plenum admiratione & laetitia tantae rei; quo ſenſu & Epheſios implere nitatur hoc ipſo, quod ſe illo plenum ſiſtat. Ita & Philippenſes ad gaudendum prouocat, cum ſuo exemplo, 1, 19. ſequ. vbi oſtendit, ſe impenſe laetari, quod euangelii curſus adeo non impediatur vinculis ſuis, vt vltro iuuetur. Cuius rei tanta laetitia implet pectus viri diuini, vt, quaſi deprehenſus inter duas felicitates, certo propoſitas, ſummam vtramque, gaudii votique ambiguus, vſ. 22. 23. nunc viuere optet, vt fruatur illa felicitate & laetitia, quam afferat longior vita, Chriſti doctrinam propagaturo, vſ. 21 nunc mori geſtiat, vt illa fruatur, quam ſit habiturus apud Chriſtum, aeternam, perfectam, ſinceram, vſ. 21. Quod, velut nullis vocabulis ſuffecturis, triplici comparatiuo auget: *multo magis melius*: vſ. 23. Ipſos idem Philippenſes vocat in partem gaudii ſocietatemque, 1, 12. ſcire vos volo: quorſum, niſi mecum laetaturos? Et 2, 16. 18. 28. gaudet, & gaudere iubet Philippenſes, quod non fruſtra operam inſumſerit iis erudiendis: ex quo ea ad ſe laetitia redundet, quam calamitatibus & morte redimere geſtiat: vſ. Merito ergo & ipſos vocat in

partem gaudii, tum, quod ipsorum decore gaudeat, tum, quod videant, ipsum tam laetum subire tot incommoda ac pericula, quibus illos turbari, tanto minus conueniat, quod ipse, qui sustineat, non modo non turbetur iis, sed & laetetur. Quin &, quasi aequo iure, ab iis repetit, vt gaudeant secum, qui cum ipsis gaudeat: nempe ob ea, quae de ipsis attulisset 1, 3. 3, 6. & de se vs. 12 sequ. Nec minus vs. 27. significat gaudium suum ob valetudinem restitutam Epaphroditi, laetarique vult Philippenses & ipsos, quia nauarit operam fidelem euangelio, & collectae Philippensium. Omninoque gaudendi materiam suggerit laetam satis atque idoneam, 3, 1. 4, 4 sequ. vt in *Domino* gaudeant, id est, ob Christum, Christo auctore, vt Christianos deceat, beneficiis a Deo per Christum datis, Dei praesentia atque auxilio, 4, 5. quo liberentur curis, 4, 6. Sed & omnia loca huc pertinent, vbi *gratias agat* Deo. Quod facit sub initia fere epistolarum: maxime Rom. 1, 8. 1 Cor. 1, 4. sequ 2 Cor. 1, 3. sequ. Eph. 1, 3. rel. Phil. 1, 3. sequ. Col. 1, 3. rel. 1 Thess. 1, 3. Gratias enim agere, quid est, nisi, laetari ob bona & beneficia data? Quod cum aliis praeit, in eandem laetitiam vocat illos. Gaudio coniuncta

Spes est, laetitia boni futuri eiusque a) magni, b certi. Hac animi incitatione vtplenus vbique effertur Paullus, ita & alios implet ac mouet cum exemplo suo, tum re declaranda, qua & magna & certa gaudeat, gaudendumque ostendat. Huc refer omnia loca, vbi demonstret,

ſtret, boni aliquid certo manere legentes, id eſt, aut a Deo promiſſum dari, aut eius auxilio teneri a nobis poſſe. Rom. 5, 3 — 6. gloriamur, id eſt, exultamus, gaudemus, ex ſpe gloriae, id eſt, felicitatis, a Deo apud Deum, potiundae. Magna res, atque adeo maxima! At qua fide? Summa illa ſane & ipſa; quia 1) Chriſtus nobis parauit veram integritatem, (per ea, quae diſputaſſet C. 3. & 4.) vt Deo placeamus, eumque propitium habeamus: idque 2) credimus, certoque confidimus. Neque enim conditio nulla patet eius felicitatis potiundae, niſi fide amplectentibus; quia eſt gratuita, non ex operum commendatione, (10, 6.) quae nulla relinquitur nobis, (3, 23. 27. 28.) ſed ex fide promiſſa accipiente, Chriſti ſatisfactioni inniſa: 3, 24, Quid enim relinquitur in promiſſis & gratuitis, niſi, vt accipiantur? Accepta autem, vere valent & proſunt ex conſilio offerentis: & nobis ergo beneficia Chriſti, per fidem amplexis. Eius ſpei fidem firmitatemque perſequitur vſ. 9. 10. a minori ad maius: ſi, cum inimici eramus Deo, ei ſumus reconciliati: quid timemus reconcilitati? 6, 5. ſi cum Chriſto mortui ſumus qua prauos ſenſus moresque; de hac enim vita hic maxime, proprie & proxime loquitur; quod ipſum ſit egregium, laetum, exoptandum: tum vero olim, a morte corporis. Hic ſpem firmat per adiuncta & nexa: nec minus, vtut alia conditione, eaque duplici, 8, 11. Si Spiritus Dei eſt in vobis, qui Deus Chriſtum excitarit a morte: idem Deus, qui hoc fecerit, etiam

corpora vestra mortua excitabit, per Spiritum S. vel, quia etiam legitur, διὰ τὸ ἐνοικοῦν, *propter* Spiritum S. in vobis habitantem. Duplex & materia spei ostenditur & robur. Materia est vita, & morum sensusque, (*Spiritualis*, moralis, animi,) de qua, sane dubium non est, quin directo hic proximeque agatur, vt C 6. init. & hic vs. 6, 10. vt. Ephes. 2. init. vt vita corporum mortalium, id est, labe deprauatorum, notet vires & promtam efficientiam, corporis quoque & membrorum, ad perpetranda bona, quorum iam notitia, fides, amor, facultas, in animo sit effecta per Spiritum S. qui & corporis membra eo sit versurus & firmaturus, vt ne officiant animo, sed obsecundent pareantque ad bonum. Sed quia tamen & proprie, physice, mortalia sunt corpora, & plus est incitamenti speique in illa altera vita post mortem, & sermo est de Christo in *physicam* & corpoream vitam reuocato: pronum sane sit ac liceat, forte & oporteat, & *huius* vitae spem intelligi factam a Paullo, sin minus solam & proxime, & ipsam tamen simul, per Dilogiam, & cognationem rerum & notionum. Cui quidem spei, vt illi, duplex subdit fundamentum ac robur, immo triplex: 1) Dei potentiam: quam, cum probatam dederit Iesu in vitam reuocando, probaturus sit & in nobis restituendis vitae & nunc sanctae & olim physicae & beatae: 2) Iesu reditum in vitam, quae sit praerogatiua nostrae, vel quia ostendat, reuiuiscere mortuos, vel, quia caput sit nobis Christus, qui nos neque in

pra-

prauitate ſenſuum ac morum, neque in morte corporea relinquere poſſit aut velit; vel, quia nobis vtrumque reditum confecerit & aperuerit & morte ſua & vita, ſuscepta pro omnibus, id eſt, & vice & commodo omnium: c) Spiritum S. in nobis agentem, qui non ſit paſſurus, aut languere nos torpore prauitatis, aut corpus plane & in perpetuum interire morte naturali, quod hic inſederit rexeritque; ne temporaria fuerit efficientia eius. Eandem ſpem vitae & felicitatis aeternae, verae libertatis, oſtendit & firmat vſ. 18. ſequ. e miſeria hominum, quam ſemper obtinere, qua ſemper eos vexari, Deus pati non poſſit: ex deſiderio eorundem, quod, a Deo inſitum, non poſſit ad irritum: e promiſſo Dei, qui ea conditione ſubiecerit homines miſeriis, & prauitati nondum exemerit, vt intelligerent & confiderent, olim melius fore. Vnde ſpem certiſſimam affert, vſ. 24 ſpe ſalui & felices ſumus, id eſt, certam ſalutem felicitatemque ſperamus Quam & vſ. 29. — 31. firmat neceſſitudine beneficiorum diuinorum: quae non per *gradus* hic aggerat, qui nulli ſunt, neque *ordine* digerit, qui hic plane non conſtet; ſed, vt ſumma tantum appareat: vt videbimus, in *figuris*. Vult ergo hic, vbi vnum ſit beneficium, reliqua deficere non poſſe: non magis, quam ſine vno quolibet, reliqua: quorum finis & ſumma ſit τὸ δεξάζεσθαι, ſalus aeterna & ſolida At quam firmiter, quam benigne, quam diuinitus, ſimul omnia, nihil non ſperare

rare iubet vſ. 38. Qui non pepercerit, inquit, filio ſuo, quin eum pro cunctis nobis morti offeret atque concederet: qui non poſſit & condonare nobis & largiri omnia cum eo, per eum, in eo, qui ſit vnus omnia, vnus omnia habeat atque efficiat? Nimirum omnia ſunt minora & leuiora prae Dei filio, nobis dato: omnium ille vnus inſtar, & multo plus eſt: promta iam reliqua Deo, ac veluti leuiora, qui filio non pepercerit. Hoc nimirum eſt illud inuictiſſimum robur ac firmamentum ſpei Chriſtianae: nullum omnino futurum, atque adeo friuolum, irriſorium, ieiunum, ludibrium, inquam, merum, ſi Chriſtum habuerimus pro mero homine, aut interprete voluntatis diuinae, nec mortem eius pro vicaria noſtrae poenae: quorum vtrumque, & Deum eſſe Chriſtum, & vice noſtra mortem paſſum, pro nobis oblatum, vel validiſſimus hic locus & euidentiſſimus monſtret. Poſſim & ſpei exemplum huc referre, quo Iudaeorum reditum ad Chriſtum denuntiet, 11, 23. — 27. Quam ſpem haud obſcure ſane oſtendit vſ. 26. ita, ait, vel, *deinde*, (vt Liuius ſaepe adhibet particulam *ita*, & Paullus ipſe ὅτω illud, 1 Cor. 11, 28. quodammodo & 14, 25. minus certo tamen, quam illic, & 1 Theſſ. 4, 17.) *vbi* pagani fuerint vocati verſique ad Chriſtum: quod & aptius ſit particulae, ἄχρις ἧ, ſiue notet, intermedium tempus, ſeu finem. Conſilium enim notare hic nequit ἄχρις ἧ, quod notet ſane Eph. 4, 12. Quis enim dixerit, ea conditione, ea *conſilii* cauſſa, peruicaces fuiſſe & manſiſſe Iudaeos, quaſi

diui-

diuinitus, *vt* pagani accederent ad Christum? Quod & in promtissimo Iudaeorum obsequio, nisi multo facilius, at aeque certe, teneri posset: &, cum Iudaeis propositum certe non esset, ad consilium Dei rediret tamen, id est, in culpam eius cederet peruicacia Iudaeorum: Quare sit sensus: *vbi*, postquam vocati versique pagani ad Christum fuerint: tum deinde omnis Israël se ad Christum vertet, & conseruabitur. Quem sane ipsum proprie, quasi physice Israëlem intelligendum, Iudaicum populum, qui tunc esset, & nunc sit alienus a Christo, a paganis Christianisque distinctus, non translate, de illo Israële, (*morali*,) populo Dei, quem 9, 6. quo sensum & mores vocat Israëlem, ita, vt ab ipso populo externo physicoque distinguat; & Israëlem Dei vocat Gal. 6, 16. quasi sensus hic sit: ita, per ingressum paganorum, Israël seruabitur: nempe, hi erunt verus Israël, Iudaeorum loco; non ita ergo intelligendum, id monstrare videtur, quod nil aliud hic sit futurum, nisi verborum ludibrium, alienum idem a tenore toto & consilio Paulli, distinguentis Iudaeos, qui dicantur proprie, & paganis, vs. 23. 24. Nec congruat verbis vs. 25. ne (vos, pagani ad Christum versi,) vobis placeatis. Nec vero *mysterium* vocarit, aut prophetae verbis vtatur, ni Iudaeos proprie intelligat. Quare maneat sane, vt spem faciat huius reditus, optabilem sane & acceptam cunctis, & tunc, & hodie, vere Christianis. Nec tamen ad hanc partem vere pertinet, in qua nunc versemur; quia, etsi vult, certo spe-

fari, non tamen affert eo consilio, *vt* spem faciat, sed, vt *timorem* & *pudorem* paganis ad Christum versis incutiat. Quod aperte docet vs. 18. noli contemnere illos ramos! vs. 20. 21. noli superbire, sed metue! vs. 23. 24. Deus illos restituet: & vs. 25. ne vobis nimium placeatis. Quare ad illos animi motus rectius retulerimus. At redeundi a morte in vitam, quam praeclaram spem facit, laetam & solidam, 1 Cor. 15. tot. Cuius reditus ac spei quae sit laetitia, cum res ipsa doceat; qua sublata, consequantur & stolidissima & flagitiosissima & miserrima ludibria: stolida, quod frustra & in spem nullam tot ac tanta Christiani perpetiantur: vs. 30. — 32. vt stulti sint, qui iactentur quotidiano periculo mortis, quod vocat, quotidie mori: stulti, qui baptismo initientur pro mortuis, i. e. mortis caussa, morituri, sub vitae exitum, vel, ad felicem exitum vitae: id est, profiteantur, spem sibi supereſſe alterius vitae, cui initientur morituri. vid. Log. Paull. p. 325. Adde illustre exemplum, vtut serius aetate Paulli, more tamen tunc, cum factum est, haud nouo: ex Theodoreti Histor. Eccl. 3, 1. vbi Constantius Imp. monet milites ante pugnam cum Magnentio, μετέχειν θελων μυστηρίων, id est, baptismo initiari; vocat enim σολὴν ἀξιόκτητον, & negat, se vsurum ἀμήτοις: baptizari ergo vult eos ante proelium, ob incerta casuum & discrimina mortis, tot iaculis, vt ait, hostisque incussis & volantibus: vt in illa σολῇ possint beate mori. Certe hic-

mos

mos ex hiſtoria magis firmatur altero illo baptiſmi ſuper ſepulcra mortuorum: quod nec factum legamus, cum ad flumina primitus fungerentur baptiſmo; nec ſane multum faciat ad ſpem vitae alterius, aut, vt graue, vrgeri a Paullo poſſit, vt etiam addat καὶ, velut de re magna, & repetat: cur *adeo* baptizantur ὑπὲρ τῶν νεκρῶν; At illud alterum proxime & luculenter fatebatur, ſpem alterius vitae, qua vacuos, in morte demum initiari baptiſmo, vt neceſſario, nil fane attineret. Semet quoque, ſi non ſit reditus in vitam, ſtultum deprehendi, Paullus ait, qui cum feris depugnarit κατ' ἄνθρωπον, id eſt, non Chriſti cauſſa, nulla ſpe vitae melioris, humanis conſiliis, vt ſe oſtentaret, ſuam ſententiam teneret. Flagitia idem ſumma inde, ait, conſecutura, vſ. 32. 34. quia tum liceat indulgere omni libidini & voluptati corporeae. Neque enim mentes haberi ſuperſtites poſſint, ſi corpora non redeant in vitam: ex illorum certe errore, qui ideo negent, corpora reuiuiſcere, quod ſit *omnium* finis in morte. Miſerrimam denique fore, demonſtrat, conditionem, vſ. 15—19. vel, quod nec Chriſtus reuixiſſe poſſit, ſi omnino mortuorum nemo reuiuiſcat; de nullo enim quod valeat, immo, quod de omnibus negetur, verum eſſe non poſſit de vno, in illis comprehenſo. Sublato autem Chriſti reditu in vitam, miſerrima relinqui: vt vana ſit omnis doctrina eius, omnis fides illi habita: vt etiamnunc teneamur delictorum culpis, quia ille non reuixe-

rit, qui professus sit, se pro illis moriturum. Ioh. 10, 15. 17. 18. Deinde, si nulla spes sit post mortem, nil relinqui miserius Christianis, vs. 19. qui ita hic careant omnibus vitae commodis, ita conflictentur grauissimis incommodis & periculis, vt deinde nil melius sperent: hic miseri, olim nulli futuri; quod & triste sit, & stolidum. At enim, Christum reuixisse, probatum dedit testibus multis, sane & idoneis, vs. 5—8. Et mortuos redituros, probat vs. 20. rel. & Christi exemplo, & Christi caussa, vitam efficientis, vt Adamus mortem induxerit omnibus. Non ergo *promisit* tantum Christus reditum in vitam, aut ostendit, sed & *commouit*, effecit, vt Adamus mortem re ipsa *induxit* nobis! Et, ne dubitandi locus relinquatur, docet aliis exemplis, vs. 35. sequ. Deum efficere posse non reditum modo corporum, sed & meliorem conditionem, terrenae labis expertem: vs. 43. sequ. Et hoc laetissimum est, multoque adeo maximum. Neque enim multum iuuemur illo reditu, aut laetemur, si denuo oneremur hac molestia caussarii corporis. Sed melius fore, firmat partim ex inhabilitate corporis huius, quam carnem & sanguinem vocat, vs. 50. ad vitam & sedem coelestem capessendam; vnde necesse sit, illud corpus mutari, in melius refingi, sublata illa inhabilitate: partim ex similitudine Christi, auctoris & vicarii nostri, vt Adamus fuerit: cuius corpori vt adhuc similes simus, ita tum Christi corpori similes simus futuri: partim diuino monitu,

tu, Deo auctore, vſ. 50—53. vt *myſterium* promens, rei futurae. Quibus omnibus, ita demonſtratis explicatione & confirmatis, ſubiicit vſ. 58. cohortationem ſpei alacerrimam, non fruſtra laboraturis in profeſſione cultuque Chriſti. Eadem alacritate ſpei plena incedit altera Epiſt. ad Corinth. maxime nominatimque 4, 14. Qui Chriſtum reuocarit a morte, & nos reuocabit, & vobiscum apud ſe ſiſtet: cum ante tribunal ſuum, laetam ſententiam audituros, tum in vita aeterna & beata. Argumentum ſpei eſt in potentia Dei, in exemplo & vicaria cauſſa Chriſti: C. 5. init. habemus, promiſſam, deſtinatam, certam exſpectamus, habebimus aedificationem, habitationem, id eſt, corpus, a Deo; (ἐκ pro ὑπὸ, παρὰ, vt 1 Cor. 1, 30. 8, 6. 2. Cor. 5, 18.) potentia eius mutatum, correctum, purgatum, immortale denique. v. Log. Paull. p. 94. 95. Etiam iudicii extremi ſpe erigitur, & nos erigit, vſ. 9. 10. qua praemia & commoda recte factorum. Et 8, 9. e potentia Dei, cui nimirum & voluntas adſit efficiundae rei, dignae eius benignitate, ſpem affert remunerandae beneficentiae & facultatis ad eam ſufficiendae. Adde Gal. 6, 9. vbi, per elegantiſſimam antitheſin, vel antanaclaſin, fatigari & deficere vetat in bene faciendo, quia neque olim taedium nos ſit capturum fructus percipiundi. Phil. 1, 6. ſpem Philippenſibus facit, futurum, vt Deus, qui *coeperit* bonum opus, id eſt, ſenſus moresque pios, *ſeruet* eosdem Philippenſibus, producat. Spes haec eſt longe ma-

xi-

xima; rei bonae, sanctae, salutaris: firmamentum autem cum in potentia Dei, valentis tueri & perficere a se coepta, tum in voluntate, desistuere nolentis, quae non inceptura fuerit, ni persequi vellet, ad exitumque perferre: tum in constantia eius & fide, per quam fieri nequeat, vt sibi desit, aut a se deficiat aut discedat. Reditus in vitam, & agendi perpetuo apud Deum, quam spem faceret 1 Thess. 4, 13—18 iam recensuimus sub *Gen. Deliber. de Consolationibus.* At quam porenter & semet, & Timotheum, & omnes, erigit spe vitae aeternae, ex absoluto cursu, 2 Tim. 4, 8. Iam, inquit, quod reliquum est, quod nunc exspecto, propositum mihi est praemium virtutis, quod mihi tribuet iustus iudex. Materia est sperandi, felicitas aeterna: *coronam* vocat, quia de *cursu* locutus erat, vt 1 Cor. 9, 25. *iustitiae* coronam, h. e. virtutis praemium, vel, a iustitia Christi sperandum: non per meritum illud sane; quid enim? sed vt promissum a Deo verace. Hoc & robur est spei: fides ac veracitas Dei & Christi, qui & sit iustus iudex, neminem fraudaturus praemio, si non debito, at promisso. Quam spem non sibi modo ipsi, sed & Timotheo, & omnibus piis, nullum ostendere, patet cum ex cohortatione praemissa ad Timotheum, quam spe ista commendet: tum ex adiectis verbis: non mihi modo, sed & omnibus amantibus ipsius aduentum: qui tales sint nimirum, vt laetis venturus sit Christus. Ebr. 4, 15. 16. spem facit laetissimam &

cer-

certissimam impetrandi auferendique fauorem auxiliumque diuinum, quaecunque in re, quocunque tempore opus fuerit. Qua conditione spei & vti alacriter fidenterque hortatur, firmamento allato, quod habeamus Iesum Pontificem, expiatorem ac deprecatorem; ipsum expertum nostra incommoda, iisque agitatum: quo magis fidere detur misericordiae eius: 2, 18 quia tanto magis *possit*, i. e. velit, promtus sit, adiuuare eos, qui conflictentur miseriis, quas ipse perpessus senserit. Etiam C. 11 exempla mirificae efficientiae, quam fides exhibuerit, eo pertinent, non per se tantum, sed & ex cónsilio Paulli, id agentis, vt in spem cum Ebraeis veniamus Christiani, posse & nos eadem consequi, sin minus genere ipso, quod non sit opus, at magnitudine efficiendorum & obtinendorum, quibus sit opus. Quo & retuleris 13, 8. Iesus Christus idem est eritque, qui fuit: nempe, vt possit ac velit, aliis quoque, comprobatis similitudine fidei, accommodare exitus felicitatem, doctoribus accommodatam.

Spei *alacritas* subest, animus bonus, vel timoris vacuitas in rebus iniquis & aduersis, vel spes eluctandi mala euadendique, vt non modo nil obsint, verum etiam iuuent. Tali alacritate nos armat Rom. 5, 3—5. Gloriamur, inquit, ipsis calamitatibus, animum bonum inter eas integrum habemus, non vincimur, non deficimus, non angimur. Satis laetum, non modo non angi, quod iam satis sit, vacare dolore, curis,

mo-

moleſtia, ſed & laetari vltro ac ſibi placere! Firmamentum autem quodnam ſuppeditat? Primo naturam rei, quam exſequitur per *Gradationem* vel tenorem, quaſi Soriten: Calamitas, inquit, affert patientiam, poſcit, exercet; ex patientia vſus naſcitur, quaſi ſpectatio, *δοκίμιον*, vt probemur Deo, pios & firmos nos probemus: 1 Pet. 1, 7. Iac. 1, 3. vbi inuerſe fides probata patientiam efficere dicitur, ſane enim e fide omnis virtus naſcitur: 2 Pet. 1, 5.) vel, vt capiamus ſpecimen, (*δοκιμὴν*, 2 Cor. 13, 3.) mala poſſe tolerari vincique: quod non diſcat, qui non tolerarit mala, ſed, velut intoleranda, ſubterfugerit: quod oneris imagine oneris imo, Cicero illuſtrat, Tuſcul. Qu. L. 2, 23. init. quod facilius feratur contento corpore, remiſſum opprimat. Vſus autem & experientia ſpem alit. Nam, ex vno alteroue emerſi, confidimus, & reliquis, aliis, exitum fore:

O paſſi grauiora! Deus dabit *his* quoque finem! Aen. 1, 199.

Sed quia ita demum firma haec ſpes eſt, ſi *nunquam* fallit: quod poſſit tamen fieri, vt eſt factum: opus eſt alio argumento, quo conſtet, *nunquam* fore vanam, *ſemper* ratam. Id vero inuicto plane robore firmat, amore Dei, vſ. 5. Quem amorem, etſi & noſtrum in Deum intelligere licet, quoad Deus illum a) excitauit in nobis per Spiritum S. quod ſignum ſit, nos ab eo amari, nec Spiritum ſuum daturo nobis, nec iuſſuro ſe amari, niſi nos amet: magis tamen

eſt,

eſt, vt Dei amorem in nos intelligat Paullus, effuſum in pectora noſtra, id eſt, nobis ſignificatum, plane patefactum, demonſtratum, quaſi offuſum nobis, commendatum vſ. 8. plenos animos noſtros eius cognitione, ſenſu, admiratione, fiducia: idque per Spiritum S. diuinitus datum, conſcium arbitrumque ſenſus diuini, 1 Cor. 2, 11. Deum ipſum, teſtem diuini in nos amoris: & voluntatis diuinae: 8, 16. Huius amoris rurſus ſubſtruit firmamentum, cauſſam, cauſſa firmans: quod Chriſtus mortuus ſit, pro nobis, cum eſſemus etiamnunc impii. Quid maius, quam, quod mortuus eſt pro nobis? At pro hoſtibus etiam, pro impiis! Id vero eſt, vltra amare homines, quam cogitari capique animo queat! Tam ergo noſtrum amanti Deo diffidendi in malis, qui locus, quae conditio relinquatur? Eandem alacritatem & conſtantiam quam potenter excitatam fulcit Rom. 8, 15. negans, nos eum ſenſum accepiſſe a Deo, immo, Spiritum S. a Deo datum non eſſe eum, qui, timidos eſſe nos, aut ſeruiliter obnoxios, patiatur aut velit, ſed, qui doceat patrem appellare Deum, filiorum iure ac more, filiorum fiduciam in eum excitet, certos reddat paterni amoris eius, & beneficiorum ab eo ſperandorum, in ipſis malis, quae ſecutura ſit aeterna olim felicitas, immenſum quantum ſuperatura omnia incommoda huius vitae, nulla ex parte illi conferenda. Cuius ſpei fidem facit 1) ex ipſo teſtimonio Spiritus S, affirmantis, nos eſſe filios Dei: ergo & heredes

pa-

patriorum bonorum Dei in illa vita; 2) ex analogia & necessitudine Christi: cuius si incommodis similes fuerimus, quae, vtut filius, pertulerit tamen, nostra quidem caussa, Ebr. 5, 8. 9. felicitati eiusdem similes simus futuri: 3) ex desiderio, in Christianis excitato per Spiritum S. vs. 19. sequ. quo liberari cupiant a prauitate & malis vitae; quod desiderium fallere aut destituere nequeat Deus, vt ab ipso & Spiritu S. iniectum: vs. 23. Quid aliud ex his omnibus efficiatur, nisi bonus animus vel in grauissimis calamitatibus? Quem excitare & firmare insistit vs. 26. a) auxilio Spiritus S. docentis nos precari in ἀσθενείαις, in calamitatibus & vexationibus, infirmitatem loquentibus nostram, nec declinare, nec vincere illas valentium: vt saepe ne preces quidem facere prae angore possimus, nisi Spiritus ille precotor subueniat, non frustra certe precaturus: b) e salubri consilio Dei, immittentis calamitates, vs. 29. ad bonum vertentis omnia. Cur? Vnde liquet? Scimus, inquit, certum habemus, edocti. Vnde igitur? α) E benignitate & amore Dei: πρόθεσιν vocat. Quos ergo Deus amet, iis male vertere quidquam, pati non possit. β) E constantia Dei, qui, vno beneficio concesso, non possit non reliqua tribuere, quippe inter se nexa. Vnde & vtitur γ) necessitudine illorum beneficiorum, vs. 29. 30. Quae beneficia, supra diximus, non tenore aut gradibus ordinari, sed continuari pro nexu indissociabili, vt partium, vt membrorum corporis. Quos diligit, inquit,

(id

(id enim hic est, προεγνω, vt ἐπιγινώσκειν, 1 Cor. 16, 18. nam praescientiae quaenam hic partes? Quos ergo amet, ob Christum, per πρόθεσιν, voluntatem benignam, liberam, vs. 20. memoratam, Eph. 1, 11. explicatam; his & similitudinem Christi destinat, vt & ad mala cum illo toleranda vocet. Quos ea conditione vocarit; eos vtique iam ἐκάλεσε, Christianos effecit, & omnibus beneficiis Christi instruxit: ergo & innocentes effecit: partim, vt placerent illi e satisfactione Christi, vs. 33. non damnentur, non puniantur, nec castigentur consilio non salubri. Ita autem comparatos profecto ἐδόξασε, certos reddidit felicitatis aeternae per Christum, cum Christo. Qui locus ergo timori aut trepidationi? Hac alacritate plenus, quaerit, exultabundus pariter & admirabundus: Ad haec quid dicemus? Quid nobis videtur? Ecquid sentitis, quam praeclare nobiscum agatur, quam nullus sit pauori locus? Si Deus, inquit, nobis fauet; quis nobis nocebit? Iam illa maxima & validissima omnium argumentationum, diuinissima plane, insurgit, triumphat: Qui *filio* non pepercerit *suo*, sed pro nobis obtulerit, quid is non ignoscet? Quid boni non dabit? Vtrumuis enim, immo hic vtrumque, indicatur verbo χαρίσεται. An delictorum culpam, poenam horretis? At, Deo absoluente, quis accusabit? Christo mortuo pro nobis, qui satisfaceret Deo pro delictis nostris, mortuo ergo, &, quod multo sit maius, validius, ad alacritatem, in vitam reuocato & reuerso, deprecante

pro nobis ad Deum, cui par ſit, qui non poſſit non idem ei velle: Ioh 8. 30. Qui Chriſtus ipſe faciat, quod patrem roget. Ioh. 14 13. Quid ergo mali nos terreat, vſ. 35. aut ab amore Dei abſtrahat, id eſt, aut dubitare cogat de eius in nos amore, aut efficiat, vt, ei diffiſi in malis, minus illum amemus? (Illud prius, de amore Dei in nos, aptius eſſe videtur tenori, cum de amore Dei in nos potiſſimum hic loquatur, vſ. 32 35.) Quantacunque ſint iſta mala, quamvis & multa & grauia, quae, velut in ludibrium leuitatis, prae illa fiducia & bonae cauſſae conſcientia, recenſentur vſ. 35. non tamen valeant imminuere fiduciam diuini amoris, per Chriſtum Dominum in nos comprobati. Eandem in calamitatibus alacritatem & ipſe prae ſe fert, & nobis inſerit, in ſecunda ad Corinth. nominatim 1, 3. vbi plane exultat illa laetitia & alacritate, qua ipſe firmatus a Deo, iam alios erigere & valeat, & geſtiat, & vero debeat: quippe qua conditione ſemet recreatum a Deo, ipſe profiteatur, vſ. 4. Quam conditionem, confirmationemque animi, cum per ſe exornat verbis ampliſſimis, vt ex ipſa profeſſione appareat eius magnitudo: tum vero auget calamitatum magnitudine comparanda, quas ſit perpeſſus in Aſia; haud dubie intelligens, quae deſcribuntur Act. 14, 19. 16, 22. & C. 19. aut alia non relata: vt mortis quoque periculum adiret: idque ſaepius, ſi amplectimur lectionem a Theodoreto poſitam, τηλικούτων θανάτων, vt 2 Cor.

H,

11, 23. ἐν θανάτοις πολλάκις magnitudine morbi vim remedii declarante. Iam illa exultatio Paulli, & vis mali, e quo esset ereptus, in quo firmatus, sufficiebat excitandae alacritati. At enim non is est Paullus, qui tam celeriter defungatur ea re exponenda, qua plenus gestiat, quae cordi sit ipsi, quam aliis commendatum eat. Explicat ergo vim huius solatii, quo & Corinthios impertiat: fontes eius aperit, firmamenta ostendit: 1) conscientiam recti sensus & moris, vs. 12. rel. Gloriatione, id est, gaudendi materia, boni animi firmamento, vtimur, conscientia teste, nos sine fraude & improbitate egisse cum omnibus, maxime apud vos. *Maxime*, dixit, non, quod incautior alibi aut cum aliis, aut minus religiosus; sed, quod nunc Corinthiis maxime scribebat, ab his quasi in suspicionem vocabatur his satisfactum ibat: quin & ibi probandae integritatis materia vberrima vtebatur. Quare ipsos testatur, vs. 13. sequ. nil temere a se iactari, sed ea scribi, quae (vera esse) agnoscant & probent. Alterum aperit boni animi fontem, 2) poenitentiam incesti, per priorem epistolam eiecti coetu, & conditionem eius recipiendi, C. 2. Quam solatio sibi magno futuram, dicat; vs. 1—5. cum sua causa, quod ipse magnum dolorem perceperit, vel ex delicti turpitudine, vel ex poenae necessitate, vel ex Corinthiorum dedecore, tum vero Corinthiorum, quos vehementer indoluisse, sciat, exemplo isto, qua dedecoris, qua poenae: vs. 2. 3. 5. C. 7, 8. 9. tum vero & incesti ipsius, quem ni-

mia triſtitia confici, nolit, vſ. 7. ita quidem, vt gaudere liquido nequeat, niſi vulnere ex omni parte perſanato: quod ſanari nequeat, niſi ab iis, per quos ſit inflictum: vſ. 2. (v. Log. Paull. p. 252.) Quod cum iam poſſit deturque, ſatis perſpecta poenitentia & inceſti, & Corinthiorum: profitetur iam inde, ſe ſolaminis compotem, vſ. 1 & 7, 9. Duplici ergo alacritate Paullum erigebat hic quaſi exulis reditus: cum ob ipſum, in melius iam mutatum, tum ob Corinthios, admonitos & correctos pudore & terrore talis exempli. Quam alteram, qua Corinthios, gaudendi materiam repetit, late & alacriter perſequitur C. 7. Tertium mouet laetitiae fontem, 3) magnitudinem & praeſtantiam muneris apoſtolici. Quam gaudendi & bono animo geſtiendi materiam habet partim per ſe, 3, 4. — 18. quia euangelium, quod tractet, ſit ſalubre aeternum, illuſtre, efficiens verae vitae, ſapientiae, alacritatis, libertatis: partim, quod ita ſit mandatum ipſis, plane imparibus ei rei, vt diuinitus aptarentur: 3, 4 5. vt ipſam conſcientiam tenuitatis atque infirmitatis, haud ſane laetam, erigat velut oppoſita conſcientia & fiducia auxilii diuini. Cuius vim ac robur, vt e *cauſſis* monſtrauit, ita ex *effectis* quoque conſtantiae monſtrat, 4, 5. 6. quam tribus in rebus ſeſe exſerere, probat: 1) in docendis libere his, quae ſatis cognita & certo perſpecta exploratagque habeant: quod iam poſuit 3, 12. hac ſpe, inquit, erecti, multa alacritate vtimur, vt non, ſicut Moſes, velamen in vultu oppoſitum habeamus. Quod

du-

dupliciter intelligi poteſt, forte & debet, vt eſt denſus notionibus Paullus: partim, vt agnoſcant Deum & diuina remoto velamine. aperto Dei vultu, in Chriſto, Ioh. 1, 14. 14, 9. Ebr. 1, 3. per Spiritum S. vſ. 18. quod licere, neget, Iudaeis, vt nunc ſint, Chriſti ignaris, vſ 14. — 16. partim, vt ipſi Chriſtiani, & apoſtoli maxime, vultum non tegant, in contemplandis & docendis rebus diuinis, ſicut Moſes texerit vultum in alloquendis Iudaeis, ſed libere, palam loquantur ipſis certo ac perſpicue cognita; quod congruit cum 4, 13. Vtrumque habet illam libertatem, quam praedicat 3, 13. datam a Spiritu Dei, immo a Spiritu Deo, liberantem vel ab ignoratione, dubitatione, errore, cui Iudaeos peruicacia obnoxios teneat: vel a metu, trepidatione, cunctatione docendi. Quippe veremur proloqui, & cunctamur, quae aut obſcure, aut parum cognita habeamus, aut parum certo explorata, aut minus neceſſaria habeamus, quibus promendis etiam offendere alios, nobis officere horreamus. At, quae & perſpicue certoque ſciamus, & neceſſaria norimus, ea vero conſtanter promimus, ſecuri omnis offenſae: maxime, vbi Dei & cauſſa agatur, & monitus adſit, voluntasque conſtet & vrgeat. Hoc ſenſu plenus roboratusque Paullus, qua libertate uſus eſſet in noſcendis rebus diuinis, quas velut in ſpeculo videret, aperto vultu, (& Dei, viſendum ſe offerentis in Chriſto & per Spir. S. & ſuo, videntis:) vſ. 18. eadem vtebatur libertate in promendis, quae perſpicue certoque & grauia ſciret, fide roborante, 4, 13.

ſicut Dauides, libere promens, quae & vera & magna & ſalubria ſciret & crederet, nil veritus aut calamitatum incommoda, 4, 8. — 18. primo ob auxilium Dei, tanto euidentius, quo minus in ipſo virium, vſ. 7. velut in fragili vaſe. Quem eundem ſenſum, cauſſa ſua inſtructum, promit & 12, 10. 11. gaudeo vexari ob Chriſtum quouis modo, cum enim infirmus ſum, id eſt, cum vexatus, intelligo, me nil valere, tum maxime valeo, tum maxime ſentio Deum praeſentem, me erigentem. Quo ille auxilio ſuſtentatus, vſ. 8. premebatur ita, vt non opprimeretur: ita loborabat, vt non deficeret: multis egebat, ab hominibus deſtitutus, vt tamen a Deo non deſereretur: deiectus, non occumbebat: Deinde bono animo eſt, ob ſimilitudinem Chriſti: vſ. 10. 11. cui ſimilis in morte & periculo mortis, vita quoque ſimilis euadat, nunc ſancta, olim beata: cum praeſertim & ob Chriſti cauſſam dimicans, deſtitui non poſſit ab eo, qui ipſe a morte redierit, a Deo reuocatus in vitam, & ſe aliosque illi fidos reuocaturo, eadem potentia, quam in Chriſto exſeruerit: eademque de cauſſa, felicitatis impertiendae, qua Chriſtum reuocauerit, eius effectorem. Sed & bono eſt animo ob ſalubrem efficientiam incommodorum, vſ. 15. 16. partim in Corinthiis, vſ. 15. aliisque piis, vt diſcant fidere Deo, conſtanterque fidem ſervare, apoſtolorum exemplo: partim in ipſo, cum ita affligatur corpore & rebus externis; vt incrementa inde capiat virtus animi, homo internus, roboratus conſtantia, Dei

fi-

fiducia, prauitatis odio. Sed multo maximam alacritatem excitat spes vitae aeternae, beatae, secutura leuitatem temporariam istorum incommodorum: vs. 17. 18. Vnde nec mortem timendum, ostendit, aut a sese timeri, 5. init. quia non animus modo euasurus sit ad veram vitam, sed corpus quoque rediturum melius & mansurum. Ex hac spe, tam certa, tantarum rerum, prae qua sordeant res humanae omnes, qua vt excidant, nil sit tanti, redundare etiam firmarique, demonstrat, constantiam non timendi homines, nec famae aut gloriolae seruiendi, aut contemtus defugiendi, si Dei caussa agatur, & vtilitas hominum vera: vs. 13. cum stulteſcimus, cum immodestius agimus gloriando, Deo facimus, Deo damus, inseruimus, vt ne recusemus, eius caussa vel pro stultis contemni, derideri, exagitari. dum id teneamus, ne a Christo auertantur animi vestri: quod fiat, si nobis, eius interpretibus, diffidatis. Hac ille velut accessione proludit ad necessitatem gloriandi, cui sit cessurus ac pariturus, inde a C. 11. a Corinthiis ipsi impactae, resilit tantisper tamen, vt a re inuisa, & praeuertitur ad alia. Tamen vs. 16. negat, se quemquam noscere aut respicere κατὰ σάρκα, conditione & necessitudine humana atque externa: vt iis parcat ambitiose, offensionum metuens, ac dissimulet, quae sciat illis vtilia fore, vtut molesta: qualis erat gloriatio illa, quam moliretur. Sed enim, sibi, negat, curae esse ista, vs. 17. ad Christum omnia referenti, qui ipsum aliosque Christianos immutauerit to-

tos, vt, immemores veterum neceſſitudinum, noua tantum curent ac videant, quae ad Chriſtum pertineant, omnia referant ad amorem & illius in ipſos, & ipſorum in illum; utrumque enim innuit *amor Chriſti*, vſ. 18. vt Rom. 5, 5. 8, 29. 35. qui amor illos (συνέχει) cogat, vrgeat, vel coniungat, vt morte Chriſti vicaria ipſos mortuos, id eſt, liberatos ab omni metu & ſeruitio, vt culpae ac poenae, ita & rerum humanarum, Chriſto uni mancipatos, cui viuant, rediuiuo eidem pro nobis, noſtra cauſſa, ad quem cuncta referant, vt dominum vnum & ſummum. Quem eundem ſenſum exprimit imagine *crucis* Chriſti, Gal. 2, 20. 6, 14. omnia humana mihi ſordent, vt cruci, affixa; ego viciſſim hominibus: quod vt accidit mihi, quia Chriſtum amplector cruci affixum, ita non curo, quia facile patior Chriſti cauſſa pro nobis in crucem acti. Quare hoc illi eſt vel ſolidiſſimum conſtantiae firmamentum, mors Curiſti piacularis: vſ. 18. 19. per quam Deo reconciliati homines, ſi a Deo nil metuant, aut obnoxie curent? Quare pergit hortari eos conſtanter ac libere, vt accipiant Dei fauorem, in Chriſto oblatum, morte eius partum & firmatum, miniſterio apoſtolorum propoſitum: vſ. 19. 20. Sed & rite illo vtantur, ad ſanctitatem ſenſus morumque: C. 6. init. hoc conſtantius, quod ipſe ceterique apoſtoli idem faciant, 3, 6. ſequ. nulla incommoda veriti, quae ita recenſet vſ. 5. — 10. & tractat, vt neget, timendi cauſſam in iis eſſe, quia

quia gaudeant apoſtoli bonis diuerſis, malorum ſpecie. Ita per quinque admodum capita expoſitum animi ſui ſenſum repetit, colligit, denuo firmat, ipſe quaſi miratur, vſ. 11. Videtis, ait, Corinthii, quam laeti, quam alacriter, quam libere ad vos loquamur, quam erecto animo ſimus & laeto, quem vobis aperire, quem apud vos effundere geſtiamus. Quid ergo? Quorſum effudi? Quorſum aperui? Nempe, vt vos eodem ſenſu implerem, erigerem, vſ. 11. quem plane vos poſcerem, velut ad remunerandum me prouocatos: Quare facile ſane & ipſi ſitis animo alacri, generoſo, erecto. Ex qua prouocatione apparet, Corinthiis excitandis datam Paulli profeſſionem, rectius ad concitatos in aliis motus animi, quam ad mores, referri. Eph. 4, 13. rogat Epheſios, ne animum demittant ob ipſius vexationes: cauſſa addita: quod *honori* ſint ipſis. Quod iam ſupra notatum, in Gen. Deliber. & huc repetimus, quia eſt conſtantiae & animo bono firmando. Nec minus huc pertinet cohortatio illa fortis, & plane imperatoria, Eph. 6, 10. vt ducis, milites ad pugnam firmantis, non diſſimulata hoſtium vi, ſed armis ſuppeditatis, quibus, diuinitus monſtratis & valituris, vſi vincant. Veram nimirum fortitudinem acuit, non ignorantem hoſtium, aut ſpernentem & negligentem, nec tamen horrentem, non ſpe tantum, ſed cum cauſſa ſpei, nixae auxilio Dei & praeſidiis ab eo oblatis. Phil. 4, 6. iubet eſſe bono animo, vetat, vlla re angi: quia Dominus

adſit, Chriſtus, auxilio venturus: quem & precibus adeuntes, ſuperſedere & vacare omni cura poſſint. 1 Theſſ. 4, 13. ſequ. eximit luctum & angorem, id eſt, bono animo eſſe iubet, de mortuis Chriſtianis, amicis, cognatis: quos & ipſos Chriſtus cum ipſis in vitam reuocaturus ſit, olim veniens, ſecum deinde habiturus in aeternum. Triplex argumentum animi boni, & ponendi doloris: 1) ipſorum amicorum reditus in vitam: vt perinde olim futurum ſit, ac ſi mortui omnino non eſſent: 2) ipſorum, qui nunc velut amiſſos lugeant, conſociatio cum illis, vt vel rediuiuorum olim, ſi mortui fuerint ante aduentum Chriſti, vel receptorum ad Chriſtum, ſi viuos oppreſſerit, ſine morte, ea certe, quam ſubierint mortui ante aduentum Chriſti; (1 Cor. 15, 51. 52.) 3) perpetua vita apud Chriſtum cum amicis pie defunctis. Quid dolori relinquit ſpes tam ſolida, id eſt, tam perfecta, tam firmo fundamento nixa, Chriſti in vitam reuocati & ante nos, & noſtra cauſſa? Vnde recte addit: conſolamini vos mutuo *talibus* argumentis & alloquiis! Timotheum bono animo roborat, 2 Tim. 1, 6—8. nec timere vult quidquam, vel de iuuentute ſua: (1 Tim. 4, 12.) cui opponit a) facultatem diuinitus ei conceſſam, qua intrepidus vti & poſſit & debeat: b) creationem, inaugurationem, auctoritatem gerendi muneris, quod mandatum ſit idoneo, digno, diuinitus inſtructo & monſtrato. Quid ergo deficeret ob aetatem, confirmatus fiducia & facultatis & muneris? Addit

vo-

voluntatem ipſius Dei, nolentis, nos timere, vbi nil attineat, ſed vti a) facultate a ſe conceſſa, b) amore, qui promtos, c) moderatione (σωφρονισμῷ, i. e. σωφροσύνῃ,) quae cautos reddat. En tres partes muneris rite habendi, quibus inſtructus & vtens, nil timeas, animo bono ſis, rem feliciter geras: a) facultatem, b) amorem & probam voluntatem, c) moderationem, grauitatem & diligentiam circumſpectam. Quarum partium vna deſtitutus, cuncta timeas, nil expediturus; nulla deſtitutus, nil horreas, omnia feliciter explicaturus. (Hac commoda ſane materia vtatur antiſtes, inauguraturus curatorem ſacrorum.) O egregium oratorem Paullum, tam diſtincte & plene ponentem omnia, in tanta ſimplicitate, & rerum pondere trahentem! Nec magis moueri ſinit incommodis, ob euangelium perpetiendis aut ipſi Timotheo, aut Paullo: argumentis & ſolatiis vſus 1) praeſtantia ipſius euangelii, prae qua nil incommodi ſit horrendum. Quam praeſtantiam repetit a) ab auctore Deo, vſ. 9. b) a conſilio & materia, ſalutis atque felicitatis: eiusque α) gratuitae, ex benignitate Dei: & tamen β) firmae, vt per Chriſtum partae & promulgatae: γ) ſummae, vſ. 10. vt a morte liberantis, vitam monſtrantis aeternam & felicem: 2) ex auxilio Dei; addit enim, vſ. 10. toleres mala cum euangelio, quod vexatur ipſum & impugnatur, non tu ſolus, aut per te, aut tuo nomine, ſed ob ipſum. Quod ſi non deſtituet Deus impugnatum: nec te, interpretem eius, deſtituet.

To-

Tolera ergo, per virtutem Dei, effecturi, quae tu non possis. 3) a suomet exemplo: vs. 10. 11. vides, me, ministrum euangelii constitutum, ita pati mala, vt non deficiam: nec tu ergo deficias: habes enim idem fiduciae robur, vs. 12. Christo confisus: quem cum Emphasi signat: equidem *scio*, *cui* habeam fidem: qui possit seruare integram meam παραθηκην, doctrinam (illius ipsius euangelii, de quo vs. 10. 11. quam & 1. Tim. 6, 20. παραθηκη vocat,) mihi a se commissam, a me ad alios proditam, donec in eius aduentu victrix me aliosque beet. Eandem alacritatem profitetur, qua Timotheum secum erigat, 2, 1 3. demonstrando, 1) cursum euangelii haud vinciri, haud cohiberi vinculis suis; non esse ergo deficiendum, ne Deo desit timidus, qui neque operi suo, nec ministris eius, sit defuturus: cf. Phil. 1, 17. rel. 2) felicitatem summam secuturam eos, qui pertulerint, sese vexari ob Christum, cum Christo; regnaturos plane cum illo. Quid illustrius? Quid beatius? Et tamen, vt homines deficiant, Deum non cessaturum, neque operi suo defuturum: vt qui non possit *semet negare*, sibi non constare, a semet discedere, velut secum ipso discors, aut omittere ac destituere a se coepta, velut immemor suae potentiae, sapientiae, benignitatis, fidei a se datae, aut in poenitentiam mutatus. Ita 1, 6, 17. 18. confidere se, ostendit, auxilio Dei in omni calamitate, vt adhuc ereptum omnibus malis a Deo, porro idem facturo, ad eum finem, dum pla-

plane coelo ipsum recipiat. Quod idem Timotheum hortatur confidere & sperare. Quem & timere vetat falsos doctores, 3, 8. 9. ne noceant aut officiant doctrinae verae & salubri: vsus argumento duplici 1) exemplo praestigiatorum, qui frustra restiterint Mosi: idem ergo & hic fore: vt nec mirum accidere debeat, quod non primum tum fiat, nec successum aut vim habiturum credi, non magis, quam praestigiae contra Mosen valuerint, diuinitus missum, diuina promentem. 2) rei ipsius. Dementia, inquit, eorum patebit omnibus. Hoc & nos solatio erigamur, aliosque firmemus, quicunque, in hac colluuie & impotentia ac licentia peruerse docendi, verae & salubris doctrinae retinentes pugnamus. Neque enim alius rei exitus erit, quam, quem & natura ferat rei, & a Mose inde deductum, per Dauidem quoque proditum, Ps. 94, 15. 20. ad sua tempora contulerit Paullus: modo Deo confidamus, nec nos pauidi subtrahamus: etsi ne sic quidem sibi defuturo Deo. (2 Tim. 2. 13.) De Ebraeis diffidere sese, negat, neque ipsos vult, Ebr. 6, 9. 10. etsi grauiter & atrociter, velut exspes, & increpuisset tarditatem eorum, 5, 11. 12. & minatus defectoribus esset, 6, 4—8. non ideo diffidere tamen sese, profitetur, quia erigatur a) Dei benignitate, qui non possit destituere opus tam praeclare coeptum: (Phil. 1, 6.) b) specimine fidei iam ab ipsis dato: quod & memorat latius, 10, 32—34. Eosdem iubet esse bono animo in calamitatibus,

12, 1 — 13. partim exemplo, qua piorum, quae recenſuiſſet C. 11. qua Chriſti ipſius, vſ. 2. 3. & maioris, & maiora paſſi: partim promiſſo Dei, vſ. 5. 6. tum filiorum iure, quo careant, ſi negligat eos Deus; quod oſtendat non caſtigando: partim ſimilitudine filiorum terreſtrium, vſ. 9. 10. tum fructu calamitatum, ſaluberrimo illo & laetiſſimo, vſ. 11. 12. Quibus, vt epilogum orationi, ſubiicit alacerrimam cohortationem, prophetae verbis. Quae recenſuimus omnia in *Gen. Deliberat.* Tandem curas eximit omnes victus terreni, 13, 5. 6. promiſſo Dei, ſe nunquam nobis defuturum, nullo nos loco, nulla in re, neglecturum: vnde auxilio eius fiſi, neque homines horreamus, firmati verbis Dauidis, a Deo ſuggeſtis, a Paullo diuinitus repetitis.

Amorem ſubiicimus *gaudio*, ſuggerimus ſpei & alacritati, quae verſentur in re iam oblata, aut certo offerenda. Amor autem cenſetur deſiderio rei potiundae, vel porro fruendae; pendet tamen ab *admiratione* maxime, etſi non ſola, & *gaudium* habet, partim ex re bona contemplanda, partim ex ſpe eius potiundae. Quo rectius ſpei ſuggeſſimus. Hunc ergo animi motum profitetur Paullus & excitat, partim in Deum & Chriſtum, partim in alios: quae promiſcue per libros notare liceat, vt coniuncta & re, & ipſius verbis. Rom. 1, 11. Cupio vos videre, vt vobis impertiam munus aliquod ſalutare mentibus veſtris. Quid hic aliud, niſi & ſuum in Romanos amorem ſignificat, cuius veriſſimum

ſig-

ſignum ſit, cupere aliquem videre, eique prodeſſe? & vero efficere ſtudet, vt eodem ſentu in ſe moueantur, cum par ſit, ita amantem viciſſim amari? 5, 5—8. oſtendit & *commendat* magnitudinem amoris Dei in nos, comprobatum a) morte filii pro nobis, b) cum illi eſſemus inimici. *Filium* dedit: *morti* obtulit: *pro inimicis* obtulit. Quid plus faceret? Aut quid potentius incitaret ad illum amandum, vt amor eius effunderetur in pectora noſtra? (Nam & noſtrum amorem in Deum notare hic poteſt amor Dei.) 8, 28. omnia in bonum vertunt amantibus Dei; ergo & noſtra ſalus in eo vertitur, vt amemus Deum. 9, 1—5. praefert amorem ardentiſſimum in Iſraëlitas eminentem in dolore ex illorum calamitate, &, quod 10, 1. addit, deſiderio precibusque ad Deum, vt ſeruentur, ad Chriſtum verſi. Cauſſis idem firmat: quod eos habeat cognatos & populares: quod ſint ornati tot ac tantis beneficiis Dei; quod Chriſtus ex iis ſit ortus, quod ferantur ſtudio (10, 2.) Dei colendi & cauſſae eius tuendae, vtut inconſulto, magno tamen & intimo. Inprimis tamen aliorum amorem commendat, excitat, 13, 8—10. oſtendens, omnium officiorum caput & ſummam in eo verti, illo abſolui & contineri. Vſ. 8. Nemini quidquam debetis, praeter amorem: hunc ſi probaritis, reddideritis, nil reliqui feceritis; quippe omnia complectitur lex amore. Quod & vniuerſe ponit, & oſtendit per partes, immo exempla, quia omittit reliqua, cuncta ſemel &

om-

omnino amplexus: colligens ad extremum: ergo complementum, ſumma, omnis ambitus, omnes numeri legis ſunt in amore. Addit grauiſſimam cohortationem, ex tempore Noui Teſt. vſ. 11. quo tempore ſit digniſſimus ille animi motus. Quem & facilitate aduerſus infirmiores oſtendere iubet, c. 14. omnis cohortationis inſtar ponens vſ. 15. quod *amore* careat neque vtatur, qui alterum irrideat, contemnat, laceſſat, damnet. Quod ipſe Paullus ſi committi videat, quouis carnium vſu libenter & in perpetuum ſeſe caritурum, profitetur, 1 Cor. 8. extr. Adeo ipſe amabat alios, & amari volebat, exemplo ſuo, quin Chriſti, Rom. 15, 2. ſequ. At de illo praeconio amoris, quin panegyrico, quid dicemus, quem ex 1 Cor. 13. recenſuimus in Gen. Demonſtr. vbi oſtendit vſ. 1—3. vana eſſe omnia ſine amore, ab illo autem effici praeclariſſima, vtiliſſima; vſ. 3 — 7. hunc vnum manſurum, ceteris ceſſantibus: vſ. 8. ſequ. Cui amori conſentaneam commendat, quin ex illo repetit, concordiam, curamque mutuam, velut membrorum corporis, amantium ſeſe mutuo & fouentium, reliquorum vnius dolore dolentium, decore gaudentium, 1 Cor. 12, 23 — 26. Beneficentiam vero, ſignum & fructum amoris longe maximum, quam grauiter Corinthiis commendat, 2 Cor. 8. & 9. Achaeorum exemplo, 8, 1—6. ipſorum decore, 9, 1—4. ſpe remunerationis, diuinitus promiſſae & exſpectandae, vſ. 6. 8. 9. Quam & Galatis oſtendit, 6, 9. 10. Lenitatem

idem

idem facilitatemque tolerandi & remittendi delicta, errores, infirmitates, signum Christiani amoris, valide commendat, nunc diuina voluntate, Rom. 12, 19. sequ. nunc Christi exemplo, 15, 2. sequ. Eph. 4, 32. 5, 2. & benignitate nos exhilarante Phil. 4, 5. Nec minus coniugalem amorem, Eph. 5, 25. potentissimo argumento, Christi amore in ecclesiam: quem ille amorem signans imagine coniugalis amoris, hoc ipso hunc sacrarit, gratissimumque sibi ostenderit: vs. 25—28. & intima necessitudine coniugum, diuinitus instituta & proposita, vs. 28. plane, vt semet diligat, qui coniugem diligat, semet oderit, qui coniugem oderit. Quid potentius? Quid simplicius eodem & verius, magisue ex rei natura? Dei vero amorem, elucentem in paganis & Iudaeis per aduentum Christi sociatis, quam late, quam ardenter persequeretur ad Ephes. 1. 2. 3. supra notatum dedimus. Vnde quam valide cohortatur, vt & nos amemus Deum, 3, 18. & nos mutuo, 4, 3—6. 32. 5, 2. 22. sequ. 6. init. Ad Thessalonicenses vero quam amanter, 1 Thess. 2, 17—20. quam lectis verbis! Orbati, inquit, vobis, (vt parentes filiis,) corpore quidem, non animo, (cui praesentes vsque obuersaremini,) summo desiderio expetiuimus, vos videre. Nam quae gaudendi materia nobis, vel per se, vel apud ipsum olim Christum, nisi vos! Solos quasi & vnice amari sibi, ostendit. Nam καὶ redundat in καὶ ὑμεῖς, quia interrogatio illa: *nam quae gloriatio aut laetitia*, rel. quasi excludit alios, quos alioquin

adiungat copula & immiſceat. v. Philol. Th. P. p. 202. vbi allatis hic locus addatur.) Vos addit, (ſoli, praecipue certe,) eſtis decus & laetitia noſtra. Vnde pergit, impotentes deſiderii, cum venire ipſi non poſſemus, (en ſummam prudentiam, in amore ſummo, qua admonitus & retentus, non condonaret publica munera deſiderio illos videndi!) manſimus Athenis *ſoli*, miſſo Timotheo, cuius tamen & conſuetudine, & opera aegerrime careremus, qui vos inuiſeret noſtram vicem, nuntiaturus, quo loco eſſent res veſtrae. Et 2, 7. 8. lenes & comes apud vos fuimus: ita amantes veſtri, vt nutrix fouet alumnos, geſtimus offerre vobis non modo doctrinam euangelii, ſatis id ipſum magnum! Sed & animam noſtram. Morum ſunt iſta Paulli, & in his notanda; ſed & huc pertinent, quoad, oſtendendo amorem ſuum, prouocet ad ſimilem ſenſum in ſemet, in Deum, in alios, concipiendum, ſeruandum, probandum. De Epiſtola ad Philemonem quid dicam, iam ſupra notata, plena illa & oſtendendi amoris Paulli & in Philemonem, & in Oneſimum, quem vocet filium ſuum, viſcera ſua, ſemet alterum vſ. 12. 17. & Philemonis in Oneſimum excitandi? Sui quoque amorem, vt per haec & alia, ita commouet 2 Cor. 11, 2. amo vos Dei cauſſa; nam vos Chriſto deſpondi. Vſ. 11. An ideo non impegi vobis ſumtum, quod vos minus amarem? Deus hoc nouit! Ipſa percontatio ſui, velut exprobrantis, & Dei teſtificatio, quam validam habet amoris ſignificationem fidem

fidemque! 12, 14. 15. non veſtra, ſed vos, quaero; parentum enim eſt, filiis congerere opes: veſtra cauſſa ne vitae quidem peperci, nec parcam; ſatis commota iſta, ſed nil commotius, in tanta lenitate illis verbis: etſi, vos amans, minus redamor. Hoc nimirum eſt, vulnerare, hoc, fodere, hoc, aculeos in pectore defigere, miſericordia ſimul, pudore, dolore, amore incuſſo. Sed

Hisce motibus ſtudiisque diuerſa, contemtus, pudoris, metus, odii, quſ exciter, iam & hoc videamus. Quibus excitandis, vt non dubium eſt, quin diuerſa expellat: ita his rurſus mouendis illa ſedat & fugat; quia diuerſi ſenſus & ſtudia in eundem, in idem,

Non bene conueniunt, nec in vna ſede morantur.

Contemtum ergo & faſtidium mouet, conſortii improborum, 2 Cor. 6, 13. rel. dilatate, inquit, pectus veſtrum, extollite, generoſos induite ſenſus atque oſtendite, vt ego oſtendi. Quanam autem re, quonam modo oſtendant? Nempe impiorum conſortione fugienda, ſpernenda, vitanda. Nam dilatatio pectoris indicat ſenſus non laetos modo, vt Iеſ. 60, 5. ſed & generoſos ac liberales. Vnde, vſ. 17. prophetae verbis vetat eos *contaminari*, temerari impuris & hominibus & rebus, ſegregari plane ab his & ſecedere iuſſos, vt Deum praeſentem & propitium habeant & ſentiant. Leuiticorum rituum contemtu Galatas implet, 4, 9. 10. *ele-*

menta vocans, puerorum rudimenta: vnde & vſ 3. νηπίους fuiſſe, ait, donec iſtis operarentur, infirmis, tenuibus, terreſtribus, corporeis, quibus *ſeruire*, (magnae hoc humilitatis & infimae,) dies & annua tempora, vt magnum, captare, indignum ſit Chriſtianis. Ita & defenſores illorum rituum contemtu obiicit, Phil. 3, 2. *canes* appellans, impudentes, proteruos, ventri deditos, rixoſos & importunos: operarios *malos*, malae rei, malo conſilio: *mutilos*, truncos, ob circumſectionem, intempeſtiuam tunc & ineptam: & vſ. 19. gloriam ab illis poni, ait, in turpitudine ac dedecore corporis mutilati, in obſcenis partibus: a terreſtribus plane rebus corporeisque pendere totos. 3, 4. — 8. ſuo exemplo ſenſuque docet, quam contemnenda, quam nihili ſint omnia decora & commoda Iudaismi, quae ipſi, eximie illis ornato, pro damno, pro quisquiliis & ſtercore habeantur. Col. 3, 17. 21. 23. monet, umbras eſſe iſtas, figuras ſine corpore, corruptioni obnoxios cibos, pompam inani ſpecie placentem. Sed cum contemtu coniunctus eſt

Pudor, vicinus illi, ſimilis: quem ſubinde pluribus incutit: Romanis, 6, 21. Quem fructum habebatis flagitiorum, quorum vos iam *pudet?* Vel, vt commodius, cum Theodoreto, diſtinctum verteris: Quem fructum habebatis tum ſic viuentes? Eum, cuius nunc vos pigeat, pudeat ὧν, i. e. ἐκεῖνα, (χρήματα,) ὧν. Illa, illae res, erant fructus ille. Paganorum faſtum erga Iudaeos retundit, cum magno pudo-

re,

re, 11, 18. Si tamen te extollis: ſcito, memento, non a te vtique, ſurculo inſito, ſuſtineri & foueri radicem, ſtirpem, (vt Ebr. 12, 15. Ieſ. 11, 1. & ante vocauit oleum:) ſed te ab illa. Corinthiis maxime pudorem incutit: 1 Cor. 3, 1. — 4. negat, ſe potuiſſe illis apponere veluti cibum doctrinae ſolidiorem: lacte alendos fuiſſe, vt paruulos. Satis ad pudorem! Nec cauſſa minus pudenda: quia ſint vani, leues, inepti, rebus externis dediti, ad vera & ſolida rerum ſtupentes. Quam rurſus probat cauſſam ſigno, vt euidenti, ita neutiquam decoro, aut ſuperbire paſſuro: quod ſint pugnaces, discordes, contentioſi. 4, 6. — 15. Haec contuli in meam & Apollinis perſonam, ita, vt vobis dicta vellem in quos propius caderet: vt diſceretis (meminiſſetis, velletis, ſtuderetis,) non inflari, nec faſtuoſi inſurgere inter vos mutuo. Vnde enim eſt vobis, ſi quid eſt eximii? Aut quod omnino patitur, vos praeferri alterum alteri? Quid habes tu, qui ita ſuperbis, quod ſuperbias? Quid enim non accepiſti a Deo? Cur ergo ſuperbis, vt propriis, & per te quaſitis? Ironiae deinde aculeos ſubiicit: Saturi ſcilicet eſtis, pleni, diuites, reges, qui nos miſeri non ſimus. Id enim notant verba, *ſine nobis*, id eſt, vos ſoli eſtis tales, nos nimirum non ſumus. Quod intelligi, manifeſto doceat & oppoſitum, *nobiscum*, & miſera conditio apoſtolorum deinde deſcripta.) Atque vtinam ſitis, pergit; ita enim & nos venerimus forte in partem veſtri ſplendoris. At enim (γὰρ hic eſt pro δὲ, vſ. 9.) vereor, ne

longe aliter ſeſe res habeat. Nos enim quam miſera vtamur ſorte, videtis. Soli nimirum vos ſapiris in Chriſtiana doctrina, cum interim ſtulti nos habeamur vobis & aliis, ob id ipſum, quod ſimpliciter Chriſtum profiteamur. Id enim leue & contemtim Corinthiis habitum, cum vanitas loquitur conſectantium aliena, 3, 3. 4. tum, quod iis obiicit, 2, 10. 4. Si quis alium Chriſtum, aliud euan elium, alium Spiritum S. obtulerit: iure admiſeritis. Vnde ſane appareat, vetera illis faſtidita, noua circumſpicientibus. Vereturque Paullus, vſ. 3. ne corrupti auocentur a ſimplicitate formulae vere Chriſtianae. Vos, pergit, (1 Cor. 4.) magni & potentes; nos abiecti, tenues. Nempe ex diuerſitate noſtrae conditionis, cum eodem loco nobiscum ſitis Chriſtiani, non poteſtis exſpectare laetiorem noſtra lautioremue. Eſſe autem iſta pudori incutiendo, & res docet, &, quod ironia vtitur, quae ſemper fere ad pudorem pertinet, quia irridet: &, quod vſ 14. diſerte addit: non, quo *pudorem* incutiam vobis, iſta ſcribo. Poterant ergo ita accipi, debebant eadem, vtut non vnice, ſed ad vtilitatem referri. Nam & νουθεσία, correctio, cui a ſe datum hoc ſcribat, non poteſt non pudorem mouere. At eundem quam grauiter iis incutit, 1, 5, 1. 2. 6. Auditur, eſt inter vos libido, ipſis paganis inaudita: at non vobis, Chriſtianis Et vos etiam inflati eſtis? Non bella eſt gloriatio veſtra: vel de inceſto ipſo, vel de aliis rebus, ſupra exprobratis: quibus

bus gloriandi, nec per ſe, nec tum vtique cauſſa ſit, ita dehoneſtatis illo flagitio. Ipſa inceſti eiectio pudorem affert. Vt videatis, addit, quam belle gloriemini: en ego conſtitui diuinitus, eiicere, vobiscum, e coetu veſtro illum hominem, cuius inſolentia & impunitas vobis placeat. Nec minus 6, 5. — 8. *pudori* vobis incutiendo hoc dico! Adeone inter vos ne vnus quidem eſt ſatis intelligens veri & aequi, qui poſſit leuem cauſſam diſceptare? Iam hoc vitium eſt, quod lites exercetis, qui etiam perpeti iniurias debeatis: nunc vltro infertis, non exteris modo, ſed Chriſtianis Chriſtiani. Ad paganos deinde cauſſam defertis, quo vos turpius detis, irridendos, ſpernendos, odio dignos. 11, 20. 23. pudorem incutit adeo negligenter leuiterque habentibus Coenem S. vt cibo differciantur, aut inebrientur, contemnant pauperes, coetus tamen diuini partes, quorum oculos feriant edendo ac bibendo, exprobrantes iis eſuriem atque inopiam, cum domi poſſint fungi cibo potuque. Et grauiter quaerit, in ſumma lenitate: Quid dicam vobis? Ipſi iudices eſtote! Vultisne, vos laudem? *Hac* quidem in re (quam moderate! quaſi *in ceteris* tamen laudet, probet!) vos non laudo, laudare nequeo. Reprehendit ergo, quos laudari a ſe poſſe, neget; pudorem incutit 14, 20. — 24. retundit faſtum inanem ſuperbientium linguis, quas nemo intelligat: pueros mente vocans, qui re inani tumeſcant: impiis plane aſſimulari, vincendis miraculo exterarum

linguarum: ſtulte ſane qui, cum eſſe impii & Non - Chriſtiani nolint, tamen ita agant, ac ſi miraculis verti nunc primum ad Chriſtum debeant & opus habeant: inſanos haberi, & merito, & certo, ſi quis impiorum ingreſſus ſacra eorum, audiat ita ſtrepentes ſine ſenſu. Haec qui pudorem non incurerent? vſ. 36. Ecquid a vobis prodiit Chriſti doctrina? Ecquid apud vos ſolos ſubſtitit? Id eſt: Num vos eſtis primi Chriſtiani aut ſoli, quorum arbitrio alii regantur, qui aliorum exemplo nil tribuatis, neminem audiatis recte monentem? 15, 32. Si mortuorum reditus non eſt: age, ſane, edamus, bibamus, cras morituri, nil deinde futuri. Quorſum haec? Vt pudeat Corinthios, & ſi qui ſint eorum ſimiles, tam turpis erroris, quem conſequatur tanta licentia tot flagitiorum. 2 Cor. 11, 19. ſequ. Libenter auditis & perfertis ſtultos, vt ipſi prudentes. Iam hic pudor eſt, delectari ſtolidis; quibus delectari ſapiens quî poſſit? At qualibus? Qui illos ferant rapiant, iis inſultent, eorum os feriant impudentia ſua, ex eorum credulitate & facilitate praedentur, ſeruos plane commodis reddant ſuis. Deſinerent, opinor, Corinthii placere ſibi iſta prudentia! 12. 11. ſtultum me praebui gloriando: piget me ſtultitiae; Sed enim vos me adegiſtis ſtolide agere, diffidendo mihi, contemnenda in me Chriſti doctrina. In ipſos ergo redundaret pudor, ſtolide agere cogentes prudentem; quod cogere, ſapientis haudquaquam foret. Gal. 3, 1. O demen-

mentes vos Galatas! Quis vos fascinauit, vt vera relinqueretis? (μὴ πείθεσθαι, hîc est, non *amplius* probare: probauerant enim: 1, 6. 3, 3. 4, 9, 14. 5, 7. sed reliquerant, defecerant: vt ἀπιστία, Ebr. 3, 12. est defectio ἀποστῆναι, vt ipse ibi expl.) Qui tam clare, tam euidenter Christum cognosseris, quasi inter vos omnia gessisset, passusque omnia vobis spectantibus esset? Aut, quia & sic verti possint verba, ἐν ὑμῖν ἐσταυρωμένος, *apud* vos, a vobis in crucem actus est Christus, erroris stultitia atque impietate, quo, velut ignari, eludaretis vim, conditionem, caussam & consilium mortis Christi, 2, 21. quam haberetis pro vulgari & flagitiosa morte hominis malefici, (Ebr. 6, 6.) certe miseri. Vtrolibet modo interpretari licet, per verba ipsa & tenorem. Illud errorem ac stultitiam, hoc impietatem quoque, notet. Pergit, ironice sane: Illud *vnum* discere a vobis peruelim: vna haec percontatio satis arguat incogitantiam vestram. Spiritus S. munera mirifica vtrum accepistis, cum sub lege ageretis, an, ex quo euangelii doctrinam accepissetis? Hoc scire, hoc sensisse debetis. Et tamen adeo dementes estis, vt, quod inceperitis interne, animo prorsus mutando, id vos persequi ac tenere posse, credatis, ritibus corporeis & externis. Tantane ob Christum passi estis *frustra?* Quod stultum plane sit, pati tot ac tanta incommoda ob doctrinam, quam vestra sponte ac tam cito repudiaturi fueritis. Quid stultius, quid leuius, quam, adeo perti-

naciter rueri, vel cum vexatione, quae mox ipse omittas?

Sub nutrice puella velut si luderet infans,
Quod cupide petiit, mature plena reliquit.
Horat.

Acerrima vero haec est exprobratio stultitiae, pudorique incutiendo: Quem & 4, 9. 10. incutit vocatis ad Deum, liberatis a tenuitate ac ieiunitate rituum, idque summo cum gaudio, vt beati sibi, ac merito, viderentur, Paullum, interpretem eius felicitatis, exciperent vt angelum, vt Christum ipsum, quiduis ei dare parati: & tamen mancipare denuo illis nugis, retroque reuolui ad ineptias istas velint, dierum mensiumque captatores inepti. Haec multiplicem habent exprobrationem inconstantiae, leuitatis, inscitiae vel incogitantiae puerilis. Eph. 5, 11. 12. nolite imitari flagitia paganorum. Nam, quae occulte ab *illis* fiant, *dici* quoque turpe sit: nedum vt vos, *Christiani*, faciatis. Col. 2, 20. liberati per Christum a tenuitate rituum corporeorum, quid, velut mancipati etiamnunc rebus corporeis, δογματίζεσθε, argutamini, nugas captatis, tricas consectamini, verentes prohibentesque, vt magnum, hoc vel illud attingere & gustare? Et rei descriptio, & vocabulum δογματίζεσθαι, quod notet asseuerationem rei velut magnae ac seriae, tanquam sapientiae medulla proponatur a magistro, qui sibi egregie sapere & subtiliter proponere magna videatur, iisque insudet, & liberatio ab istis nugis, haud sine stul-

ti-

tiria repetendis, ad pudorem mouendum pertinet. Sed &

Rurſus *eximit* pudorem: Rom. 1, 16. negans, pudorem eſſe ſibi euangelii proponendi, quia ſit a) ori inis diuinae, b) diuinitus efficax: c) ſalutare cunctis & in perpetuum. Epheſios vetat, 3, 13. pudore affici vinculorum ſuorum, quae ipſis ſint decori. 2 Tim. 1, 8. Timotheum pudere non vult ſui, Paulli, aut euangelii, cuius cauſſa in vinculis agat; quippe cum ipſum non pudeat: idque grauiſſimis de cauſſis, quas affert vſ. 9—12.

Metum terroremque & ipſum incutit ſubinde, grauiter ac ſalubriter. Rom. 2, 3. An tu fieri poſſe, putas, vt poenam Dei effugias, qui facias ipſe, quae in aliis damnes ipſe? Et interrogatio commotior, & hominum, quos appellet, conditio adiecta, minacem plane terrorem incutit. Vſ 5. tu, pro tua peruicacia (vel, per tuam peruicaciam: vt κατὰ ſit pro διὰ, ſicut 1 Pet. 4, 14. κατ' ἐκείνους βλασφημεῖται, καθ' ὑμᾶς δὲ δοξάζεται, *per illos*, ab illis proſcinditur *per vos*, a vobis illuſtratur;) cumulas tibi velut theſaurum poenae, ſenſim, *occulto velut arborem aeuo*, creſcentem, magna olim mole ſe effuſurum; quem tu tibi repoſueris veluti repente promendum tempore poenae. Quam poenam, e diuina iuſtitia repetitam, minaciter deinde deſcribit, vſ. 6—8. Paganorum ad Chriſtum verſorum faſtum in Iudaeos terret, 11, 20. 22. Noli, inquit, ſuperbire; immo time: ne, qui natu-

ra-

ralibus ramis non pepercerit Deus, multo minus tibi parcat, alieno atque insititio. Seueritatem vide Dei in peruicaces! Quorum tu si fueris similis, exscinderis & ipse. 13, 4. Male si feceris, time magistratum! Neque enim frustra gladium gerit, Dei minister, puniendis maleficis. Omnia hic ad terrorem composita: gladius, Dei ministerium, vt ipso puniente Deo: vindicta. Ipsa negatio illa, *non frustra*, terribilior est minaciorque non parenti magistratibus, quam simplex affirmatio & directa. 14, 20. 21. noli destruere opus Dei, tantum, vt cibo illo tuo vescare! — — vae illi, qui malo exemplo cibum capiat! 1 Cor. 4, 18—21. Extulere se inter vos quidam, quasi me non venturo. Iam haec notatio terrorem habet, homines notans, absente tantum Paullo ferocientes, aduentante collapsuros. Veniam tamen, addit, si Deus annuerit: (*timeant* ergo, qui tam turgidi abutuntur absentia mea!) ac tunc videbo, experiar, cominus congressus, operis spectator, non, quam sint grandiloqui; quod concidet me veniente; sed, quid possint, ecquos ad Christum verterint, quos errores depulerint, quales sint & sese exhibeant veri vindices, morum emendatores, afflictorum & dolentium consolatores. Quippe haec sunt, quibus censeatur ac teneatur doctrina Christi; hac virtute valet, inquit, non verborum grandiloquentia. Turpiter ergo discedent, si deprehensi fuerint verbis pleni, rebus inanes. Haec paucioribus; iam vniuersos terret: vestra

op-

optio est, vtrum velitis, me venire puniturum, castigaturum, an lenitate vsurum. Legatum illum Carthagini Romanum mihi videre videor, colligentem togae sinum in curia, vnde vel pacem vel bellum effundat electuris: Liu. 21, 18. extr. Qua denuntiatione proludit ad increpationem illam grauem, terrificam sane & ipsam, qua C. 5. insurgat in incestum, & Corinthios eius tolerantes, ipsum eiicit, punit Corinthios, increpat, in pudorem trepidationemque coniicit, quouis Demosthene potentior; quippe argumentis validior. Graui admodum terrore turbat Corinthiorum securitatem fastumque: aperit, quantum nefas alant, quantum flagitii in se ipsi admittant; quod minime sit animo aequo laturus, aut impune transmissurus, 6, 9. An ignoratis, quod scire debetis, neminem eorum potiturum felicitate aeterna, quorum vos similes partim sitis, rixosi, rapaces, impudici, rel. Addit formulam, qua vti soleat in re graui, quae plerumque & plerisque *leuior* videatur: quod maiorem, ex *inopinato*, terrorem offundat: *Falli* nolite! Nolite rem tam leuiter, tam temere habere. Locus hic securitati non est; immo periculum errandi magnum, certum proponitur. Nec minus scortandi libidinisque horrorem mouet, vs. 15, 18. Christo eripi membra nostra, illi sacrata, scorto mancipari: in suum corpus ipsum delinquere libidinosum. 8, 12. Ita vexanda religione infirmiorum in Christum ipsum incurritis. 10, 1 — 13. terret exemplo Israëlitarum, affirmans,

mans, imagines esse culpae trahentis poenam, scripta eo, vt similis culpae similem exitum horreant! Additque seuere: Ergo, cum ita puniantur abusus beneficiorum Dei & libertatis videat, qui stet, & in eo sibi securus placeat, videat ergo, ne, vt illi, subito corruat! Fieri enim potest, quod sit factum; quare, cum tuti non sitis, securi ne estote! vs. 12. An securi adeo Deum irritamus, consulto lacessimus, nil non licere, rati? Num validiores illo sumus? Nil terribilius ista pereunctatione: nil acerbius aut minacius ipsa ironia: Deum superbe prouocare, proterue lacessere, vt inualidiorem nobis. Quid insanius? Quid periculosius? 11, 27. 29. Qui indigne, leuiter, contemtim vtitur coena S. immo abutitur, reum se facit corporis & sanguinis Christi: poenam sibimet edit ac bibit: vt res sanctissima eadem atque saluberrima vi sua, natura, conditione ac destinatione, in perniciem vertat ex culpa & abusu. Addit terrorem poenarum, iam diuinitus immissarum contemtoribus, morborum, mortis ipsius, vs. 30. Porro Cap. 15, 17—19. Si Christus non rediit in vitam: vae vobis! vana est fides vestra; delicta non sunt remissa; quippe non reuerso in vitam illo, qui professus esset, se moriturum & in vitam rediturum, vt eorum veniam & pararet vobis & firmaret. Ita nil miserius Christianis, frustra vexatis in hac vita, olim nil ablaturis. Ita ipsorum plane facit caussam; (intercessit sie;) quam oratorie! vs. 33. nolite errare! Cauete,

leuem

leuem putetis errorem tollendi reditus mortuorum in vitam! Tales ſenſus ſermonesque corrumpunt mores probos! 2 Cor. 2, 7. 10. 11. metum oſtendit Corinthiis, ne, ſi non receperint inceſtum, in melius iam muratum ex poenitentia percat ille, animo & corpore, nimio luctu exhauſtus, & deſperatione, ad quam prouocare illum, vt Iudam olim proditorem, nil cunctaturus ſit Satanas, (vel diabolus; vel quilibet Chriſtiani nominis hoſtis,) & ſollicitare ex venia negata, aut etiam concitare & protrahere ad defectionem tranſitionemque ad paganos: vbi forte concitet ipſis quoque odium vexationemque criminibus falſis. 12, 20. Timeo equidem, & vos ergo timete, quorum cauſſa propius agatur, ne, ſi vos non offendero, quales velim, & vos me inueniatis, qualem nolitis. Mollius denuntiat negando: ſed grauiter metui vult: Inflectit idem leniter & in ſe detorquet ac deriuat, vt ſeueritas emineat tamen: ne me affligat Deus! Quam blande hoc, quam amanter! At idem atrociter! Affligi enim ſeſe, demonſtrat, neceſſitate animaduertendi in complures, quorum & flagitia, & poenam lugeat. Quae ſi Paulli humanitas horrebat: ipſos tandem vt affici conueniebat, qui commiſiſſent, quos poenae manerent! 13, 1—3. Tertium hoc ad vos venio, ſeueritate iam uſurus, omnia breuiter transacturus, quaſi ſecuri Tenedia praeciſurus. Denuntiaui: rurſus denuntio! ſemel ſi venero: non parcam. Quandoquidem quaeritis ſpecimen videre Chriſti mihi

hi

hi praesentis, quando in dubium vocatis & spernitis meam auctoritatem: dabo sane plus & grauius, quam laetis sit vobis. At memor tamen lenitatis suae, ob quam inuitus terreat, precibus votisque temperat minas, vt appareat, necessitati datas rei, non asperitati ingenii. Quod vt supra iam vidimus ex c. 12. vbi ostenderet, in se maxime redundaturum luctum & dolorem e delictis alienis, & necessitate animaduertendi: ita & hic, vs 6. 7. postquam dixit, futurum, vt se agnoscant minime inualidum, ἀδοκιμον, quod vs. 9. ipse expl. ἀδυνατῶμεν, quia sit vsurus auctoritate diuinitus data, precatur Deum, ne cogatur ipse quidquam grauius in eos consulere aut statuere: id est, ne Corinthii quidquam faciant mali, quo poenam incurrant: paratus, vel ipse videri inualidus, nulla auctoritate, qua quidem, ad poenam vtendum non sit, vbi culpa absit. Qua quidem ipsa de caussa, absentem sese scribere, profitetur, vt nil attineat, a praesente & veniente monitis & correctis a venturo, inhiberi potestatem, diuinitus datam *non* ad destruendum, vt humaniter ipse interpretatur, *sed* ad castigandum, puniendum, acerbe habendum, perdendum, sed ad exstruendum, firmandum, iuuandum: id est, ad hoc magis, quam ad illud; sane enim etiam ad illud: 10, 4—6. Sed & sic 1 Cor. 1, 10. negat, se missum a Christo, qui baptismo initiaret, sed qui doceret: id est, *magis* docendi, *quam* baptismo initiandi gratia; quippe & ad *hoc* missus, & *hoc* functus erat, vt

alii

alii apoſtoli. v. Log. Paull. p. 77—80. Gal. 4, 20. iam parabam venire ad vos, ita, vt mutarem vocem, (vel orationem) meam, vosque aſperius compellarem: neſcio enim iam, quo vos loco habeam. Summa terrentis grauitas eminet in ſumma lenitate & humanitate: aduentum denuntiat, haudquaquam indulgentem, vocis mutationem, orationis aſperitatem: dubitationem oſtendit, ſatin' iis fidat, ſatin' eos probet? 5, 2. 3. Circumſectionem ſi ſubieritis; *nil proderit* vobis Chriſtus. Fruſtra ergo illum amplexi fueritis. Nam, circumſectionem qui ſuſceperit, praerogatiuam ſibi tulerit ad neceſſitatem omnis legis omnino ritusque ſeruandi. Hoccine vultis? Morum quoque lege ſeruanda probandi ſeſe Deo formulam idem ſubit. Hoccine poteſtis? Vtrumque ergo vos terreat. Vſ. 10. qui vos turbat, haud effugiet poenam Dei, *quisquis ſit*. Ego illum neſcio, aut me neſcire volo: at Deus nouit; nec diſſimulabit, ſed opprimet. Vſ. 15. ſi vos mutuo, vt ferae, mordetis, laceratis: videte; ne funditus pereatis: qui fere eſt finis diſcordiarum & rixarum. 6. Errare nolite! (v. ſupra:) Deus non is eſt, cui (tam ſecure, aut impune,) illudere liceat: quaſi perinde illi ſit, quid faciamus, liceatque negligere pro lubitu iuſſa eius, vel *miniſtros*; de his enim proxime nominatimque locutus erat vſ. 5. neglectis haud dubie apud Galatas: Merces, inquit, homini erit pro factis: vt ſementem fecerit, ita metet. Eph. 5. 5. 6. Sic habetote! (Haec ſemper eſt denun-

tiatio rei grauis, Ciceroni quoque:) Neminem impurum posse recipi coelo! Quare nemo vos decipiat vana oratione; (quasi ista sine periculo committantur!) Haec enim sunt ista flagitia, quae paganos subiiciant irae & poenae diuinae: (Col. 3, 6.) quanto magis ergo & grauius Christianos! 1 Thess. 4, 6—8. ita absterret a fraude & omni prauitate, vt Deum vindicem his omnibus denuntiet atque ostendat: addatque vs. 8. haec ergo praecepta qui soluit, negligit, non hominum, sed Dei, legem ac voluntatem soluit ac negligit. Christi denique contemtoribus ac defectoribus quem terrorem incuteret Ebr. 2, 1—3. 10, 26—31. 12, 25. saepius iam notauimus, & huc reuocandum. Quem terrorem ibi roborat acuitque partim atrocitate delicti, quod committatur in filium Dei, in sanguinem eius pro nobis effusum, in Spiritum S. eiusque beneficia, tot ac tanta: partim lege Mosaica comparanda, quam nemo vnquam impune neglexerit: partim ex opera Dei, data per haec & impensa saluti nostrae. Valida enim, & terribilis eadem caussa affertur Ebr. 10, 26. Volontario deficientibus, postquam semel peruenerimus ad veri cognitionem, non alia satisfactio aut sacrificium relinquitur pro delictis. (ἀπολείπεται, reliqua est, ἔτι, in posterum: facta ergo est, in Christo nempe; nam in Leuiticis sacrificiis nulla vis: Ebr. 10, 4.) Nam, quae sola est, Christi, nil prodest consulto repudianti; noua autem exhiberi nequit: 9, 28. 10, 14. Quid ergo relinqui-

quitur? Nimirum terribilis exſpectatio poenae, & ignis, abſumturi peruicaces. Ita & grauis terror incutitur, & certus, non vanus. Quantum vero terroris habent illa verba, vſ. 30. Notimus eum, qui dixerit: mea eſt vindicta! Ego reddam! Grauis ſane haec emphaſis eſt: *nouimus eum*, qui haec dixerit: quam ſit potens, quam verax, quam ſeuerus. Et vſ. 31. Terribile eſt, incidere in manus (iam haec loquendi forma terrorem habet:) Dei viui, veri, potentis, aeterni! 12, 29. ignis abſumens eſt Deus noſter: idem ille, tam benignus, non minus eſt terribilis vindex impietati. Magiſtris non parendi, quin acerbum reddendi munus, terrorem incutit ſatis grauem, Ebr. 13, 17. partim ex magnitudine vigilantium pro animis auditorum, partim ex ratione quam Deo ſint reddituri: tum, ne *gementes* fungantur munere ſuo: quod ſit *inutile*, id eſt, pernicioſum futurum ipſis, qui in gemitus trahunt ſua peruerſitate.

Sed omnium terrorum, quos incutiat Paulli vis, ex vero diſerta, haud ſcio, an ſit atrocior vllus eo, quem intentat Ebr. 6, 8. vbi negat, fieri poſſe, vt in poenitentiam mutati reſipiſcant hi, qui defecerint, ſemel imbuti cognitione Chriſti, & dulcedine doctrinae euangelicae, victi miraculorum vi, & efficientia Spiritus S. quin exhilarati ſenſu quodam & praeludio vitae olim in coelo beatae. Hic nimirum terror praeualet reliquis, vbi incutitur. Quippe in reliquis, a quibus abſterreat, veniae tamen ſpes conditio-

que relinquitur; (praeterquam Ebr. 10, 26. rel. vbi nempe eadem de re, de qua hic, agatur:) hic autem plane praescinditur: tum conditione eorum, qui, sic delinquendo, ostendant, nullum plane in se vim esse rerum diuinarum, quas abiiciant 1) cognitas, 2) probatas, 3) cum sensu etiam, voluptate studioque perceptas: aegris plane similes, qui post praesentissima remedia, quin vnica, in eundem morbum impliciti reuoluantur: quorum iam curandorum nulla spes, nulla conditio relinquatur; quid enim valeat in iis, vbi non voluerit, quod & solum, & maxime valeat? tum delicti natura, quae non modo acerbissime illudant atque insultent Deo, Christo, Spiritu S. & plane proculcent ac pro nihilo habeant Christum, Dei filium, Deum plane, ipsis agnitum atque salutarem, respuant pro malefico aut misero, in crucem temere aut simpliciter acto: (horret animus, ista cogitare; & tamen quotidie fiunt! ἀνασαυροῦντας nil differt a simplici, σαυροῦντας. Christum habent pro misero homine, vt Iudaei, in crucem acto: ignari, aut immemores, qui sit, cur sit in crucem sublatus:) qui non modo plane proculcent pro ludibriis & viles habeant res sanctissimas easdem & saluberrimas; sed & reiiciant praesidia salutis summa, sola: idque consulto, praefracte, iam percepta & probata: Quid facias illis? Miseri esse iubeantur, quatenus id faciant! Comparatione quoque pondus addit, terrae, quae, irrigata imbre benigno, tamen nil boni ex sese efferat:

rat: cuius vſus iam nullus ſit, in malum vertentis alimenta ipſa fertilitatis, niſi, vt cum infelici fructu ſuo cremetur. Sed & hunc terrorem mitigat humanitas apoſtoli, profitentis, meliora ſeſe tamen ſperare de Ebraeis, vſ. 9. nec profitentis tantum, quod ſignis quoque, ob quae ſperet, quibus fidat, vtentis idoneis, vſ. 10. cf. 10, 32. 34.

Odium mouere ſane non ſolet Paullus: nec vero poterat, Chriſtianus in Chriſtianis, aut in Chriſtianos: ne in paganos quidem, aut Iudaeos vtut ſatis dignos, vt mox notabimur. In flagitia tamen mouet, quorum vel turpitudinem vel exitus foeditatem monſtrando, contemtu metuque incutiendo, non poſſit non odium quoque mouere. Quis enim amet, aut non oderit, unde malum aut dedecus timeatur? Vt ſenſus moresque prauos, Rom. 8, 6. 7. mortis cauſſam, inimicitiam in Deum: quid dignius odio ſummo? Quod tamen & in impios concitat, ita ſignatos, vt amari non poſſint: Rom. 1, 21. paganos, cum flagitiis ſuis nefandis. Iudaeos, cum peruicacia ſua, & abuſu diuinae clementiae, inſolentia quoque damnandi in aliis, quae ipſi faciant? Rom. 2, 1. 3. — 5. 17. — 24. Quis amare poſſit, immo non odiſſe, illos canes, impudentes, ſordidos, improbos opifices, malae rei, malo conſilio, Phil. 3, 2. hoſtes mortis Chriſti, id eſt, verae atque vnicae ſalutis noſtrae, ventri deditos ſoli, dedecore inflatas ſuo, vſ. 18. 19. obtrudentes aliis legem, quam ipſi non ſer-

uent, Gal. 6, 12. 13. aut eosdem Iudaeos, 1 Thes. 2, 15. 16. interfectores prophetarum, quin ipsius Christi, apostolorum exturbatores, qui inuide ac superbe vetent atque impediant, paganos vocari ad salutarem doctrinam Christi: non placentes Deo, omnibus hominibus infensos & moleste aduersantes atque officientes: absurdos & improbos, 2 Thess. 2, 3 cum pietatis specie ficta falsiloquos, praefricta fronte, victis conscientiae morsibus, prohibentes a Deo permissa, 1 Tim. 4, 2. 3. tum superbos, inanium controuersiarum atque inutilium captatores, litium, turbarum, suspitionum, inimicitiarum faces, pietatem cauponantes in sordido quaestu, 1 Tim. 6, 4. 5 aut quos 2 Tim. 2, 3. — 9. describit, per Diatyposin, loco notandam suo? Aut Tit. 1, 10. 11. domus peruertentes totas, sordidi quaestus causa: & facto & consilio nil odii non merente? Aut Cretenses, vs. 14. mendaces, feros, inertes? Aut defectores, cruci affigentes Christum ludibrioque habentes, Spiritum S. eiusque beneficia, Christi adeo sanguinem proculcantes, profanum habentes? Ebr. 6, 6. 10, 29. Quae omnia, apparet, & digna esse odio, & ita notata Paullo, vt nolit amari ista aut qui faciant illa: Cum praesertim vt perditos plane describat, nulla spe aut conditione poenitentiae aut salutis, quos neque in illa vita aeterna amaturus sit quisquam, ne *miseraturus* quidem, vt Dei hostes & aeternae miseriae multis auctores? Sane

Mi-

Miſerationem & ipſam & teſtatur Paullus, & in aliis excitat: in Iudaeos, exutos & excuſſos fauore Dei & decore omni, Rom. 9, 1. — 5. 10, 1. cauſſis miſericordiae repetitis ex illo ipſo decore tanto, tam multiplici: quo repente & omnino euerti, ſpoliari, miſerrimum ſit: e neceſſitudine popularium ſuorum, 9, 2. e ſtudio illorum pio, vero, ardente, vtut praepoſtero, quo tueantur legem Dei, 10, 2. Per quae omnia & fidem faciat animo ſuo, & eodem ſenſu alios impleat. Fidem enim quis negaret vtenti talibus argumentis, aut Deum Chriſtumque teſtanti, 9, 1. aut optanti anathema eſſe pro Iudaeis, id eſt, mori, ex Hebr. חרם, החרים, aut, ſi haec verba, *ηυχόμην, κ. τ. λ.* acceperimus in Parentheſi, vt verba, *pro fratribus meis*, pendeant a voce, *λύπης & ὀδύνης*, vſ. 2. oſtendantque materiam triſtitiae & doloris: vt Paullus dicat: ipſe ego, olim, Iudaeus, optabam, praeclarum ducebam, nitebar alienus eſſe a Chriſto, nil rei habere cum illo: ſi ita ergo interpretamur: eo maiorem fecerit Paullus fidem, & ſuo olim odio in Chriſtum dolens, & ſenſu gnarus ipſe ſuo, quid ſit, alienum eſſe a Chriſto: quales ſint etiamnunc Iudaei. Ita vndique oratorem exhibet Paullus, & rei & hominum cauſſis mouens animum. Ita & omnino

Dolorem prae ſe fert & concitat, his ipſis in locis: quod res doceat. Quid eſt enim miſericordia, niſi *dolor* ex miſeria aliena? Et ipſe vocat *λύπην, ὀδύνην*, 9, 2. ſed & 1 Cor. 5, 2.

Vos inflati estis, ac non multo magis *indoluistis*, & luxistis illud flagitium? *Dolere* ergo vult illos: argumentis adhibitis e comparatione paganorum, vs. 1. qui ipsi sint alieni a libidine ista: e turpitudine rei, vs. 1. euentu pernicioso, vs. 7. ex poena infligenda illi incesto: vs. 3. — 7. Qua ex re quem luctum perceperit, demonstrat 2 Cor. 2. init. professus, plane expertem se fore solatii gaudiique, nisi Corinthiis erectis illo in integrum restituendo: Cum summo dolore animi & angore, cum lacrymis se scripsisse: nempe, quae scripsisset 1 Cor. 5. quas lacrymas nunc abstergi sibi illisque, sibi per illos, velit. Quippe & illis dolorem commorum, patet cum ex hoc ipso loco, vs. 1. decreui, inquit, non venire ad vos rursus ἐν λύπῃ, ita, vt vos affligam, tristiori de caussa veniam, ipse per haec omnia tristis. *Rursus*, ait, non, quo iam *antea* vel *semel* venerit tristis, dolendique auctor; quod factum non sit; sed, ne *rursus dolendi* materiam praebeat. πάλιν hic non pertinet ad verbum ἐλθεῖν, sed iungendum est, πάλιν ἐν λύπῃ, id est, εἰς τὸ λυπεῖν ὑμᾶς πάλιν· plane vt Rom. 8, 15. non accepimus eum Spiritum, qui nos redderet aut teneret seruiliter obnoxios, πάλιν εἰς φόβον, i. e. εἰς τὸ πάλιν φοβεῖσθαι, vt rursus timeremus, timidi ageremus, vt sub lege, vel in pagano errore. Indoluerant ergo Corinthii: quod etiam e vs. 2. patet: Si ego vobis dolorem iniunxi: quis est, qui me exhilaret, nisi idem ille, iidem vos illi, quibus ego mouerim hunc dolorem?

rem? Possit idem e vs. 5. intelligi: si quis, vel, ille, qui vos percussit dolore, non me afflixit, (solum scil. aut maxime,) sed e parte, quodammodo, ne grauius dicam, vos omnes, & ipsos, multoque magis. Sed hic λυπεῖν non efficientiam in animis notat mouendi doloris, quia addit: ne grauius dicam. Quid enim graue, quid molesti dixerit, si omnes indoluisse, dixerit, eius flagitii dedecore? Quod etiam honorificum esset! Ergo naturam magis rei signat, (velut prima conditione & interna,) per se tristem, offensuram, laesuram, nocituram. Hoc enim & ipsum notat λυπεῖν, vt Xen. Mem. S. 1, 1. τὰ λυποῦντα dicit, molesta, noxia: quae eadem, λυπηρὰ, dicantur: & sol dicitur λυπεῖν, moleste vrere, laedere quoque, vt fruges: & pro hoc verbo, in eadem caussa ponitur Paullo, 7, 12. ἀδικεῖν, quae sit explicatio τῦ λυπεῖν. Nimirum *id fecerat* incestus, quo & Paullum & coetum Corinthiorum, grauissime laederet, famae eorum noceret. Quod tamen, vt grauius dictu & qua illum, & qua Corinthios, mollit Paullus, addens, ἐκ μέρους, complures vestrum: multos certe, inuit, similes eius haberi posse. Nisi, ἐκ μέρους, est, *suo modo*, non directo, non id vtique agens: vt tamen inde consequeretur, vtut inscio illo, & nolente. Sed clarissime apparet dolor Corinthiorum a Paullo motus, 2 Cor. 7, 8, — 11. vbi vltro gaudet, hunc iis dolorem iniectum, & diuinitus, κατὰ θεὸν, & salutarem vs. 9. 10. & decorum ipsis vs. 11. Etsi negat,

2. 4. & 7, 12. id consilii sibi fuisse, vt eos dolore vulneraret; sed, vt amorem studiumque suum in illos ostenderet. Sed enim, in tanta acerbitate rei, & grauitate, qua delicti, qua poenae, in auctorem flagitii, & dedecoris, in Corinthios redundantis, & exprobrationis apostolicae, fieri non poterat, quin arderent Corinthii dolore. Nec tamen id non agebat Paullus, sed per id alia moliebatur maiora, poenitentiam incesti, & Corinthiorum: λύπην κατὰ θεὸν, 7, 10. oriundam ex odio prauitatis, & dolore offensi Dei, efficientem melioris sensus morisque: vt non sufficeret dolor, quasi defuncturis illo, sed esset praerogatiua poenitentiae verae & efficacis. Quid enim prodest omnis dolor e delictis aut peccatis, nisi corrigit mentem vitamque? Neque ipsum dolorem, per se quidem aut simpliciter, poscit Deus aut apostolus, sed quoad valeat ad illam commutationem sensus morisque; sine qua ne verus quidem fuerit dolor, vanus certe. Cui enim probaueris, te serio indoluisse re illa, quam non omiseris, non correxeris, non mutaris? Effici tamen & hunc volebat, alia effecturum. At quam dolenter idem Paullus, Phil. 3, 18. cum fletu, memorat hostes mortis Christi, rel. vt & Philippenses indolescant, non dolituri simpliciter & αὐτο μὸνον, sed vituraturi!

Sed & mitigat dolorem ac sedat: illo ipso loco, quem recensebamus, 2 Cor. 2. & 7. Exhilarari vult Corinthios, ne ipse doleat solatii expers: 2, 2. Laetitiae materiam ex illis sibi peti, de-

demonſtrat, vſ. 3. vnde ſe nolle ex iis lugendi cauſſam. Negat idem, ſe ideo tantum ſcripſiſſe, vt dolerent; ſed vt, correcti illo dolore, rem in melius refingerent: quo quidem effecto, iam tempus eſſe, illum miſerum reuocari atque reſtitui: vnde & ipſe ille non conficiatur nimio luctu, iam non inutili modo, ob effectum conſilium, ſed & nocituro, ex deſperatione: & Corinthii exhilarentur illa reſtitutione in integrum, & ſui fauoris apud Deum & fiduciae a Paullo, & decoris ad exteros: ita iam ipſe Paullus ſincere vtrorumque gaudio hilaretur. Vnde & laetari ſe, ait 7, 8. ſequ. illo ſalubri dolore Corinthiorum, cuius illis moti iam nil ſeſe poeniteat. Ita & Theſſalonicenſibus eximit dolorem & luctum ex mortibus ſuorum, 1 Theſſ. 4, 14. ſpe oblata, demonſtrata, firmata reditus & illorum & ipſorum in vitam, aeternaeque vitae apud Chriſtum.

Quid ergo? Nonne animi motus excitare laborat Paullus? Nonne vtitur praeſidiis, ſtimulis, quibus excitentur? Nonne plenum iis ſemet exhibet? An vero minus graues cauſſae erant, aut quae minus caperent ſummum animi motum vel dicentis, aut ſcribentis, vel legentium, Dei ſummi vel ira & poena aeterna, vel amor & fauor beatus, immenſus, ad quiduis promtus, ſpes vitae & felicitatis aeternae, contraque metus aeternae miſeriae, Dei maieſtas interna & externa, hominum felicitas vera, ſincera, ſolida, perpetua, conſcientiae tranquillitas vel morſus,

re-

reditus in vitam perpetuam & pure laetam, coetus diuini decus aut dedecus, tranquillitas perturbatione, coeleſtis ſapientiae & virtutis copia aut iactura? Minoremne iſta aut leuiorem materiam ſtimulosque ſubiiciebant animi motibus vel acerrimis, quam pecuniariae iacturae aut mulctae, fundorum poſſeſſiones, hereditatum amiſſiones, exilia? quibus profecto vltra dignitatem rei grauitatemque ſe iactabat, immo bacchabatur, vis veterum oratorum. Quorum quid tandem vel e minima parte aequiparetur Paullinis illis, immo diuinis? Aut quae pecuniae hereditas cum vitae aeternae copia, quod exilium (quo beatus etiam ſibi videbatur Milo,) cum ablegatione aeterna a Deo & felicitate, quod ius ciuitatis aut familiae cum iure filiorum Dei, quae aut cuius ſenatus populique maieſtas cum Dei maieſtate, quae hominum leges diuinis, quae pax publica cum tranquillitate ſolida coetus diuini, animique & nunc ſincera ac plena, & olim aeterna conferatur? Et his cogitandis, penſandis, memorandis, tractandis, explicandis, tuendis, vrgendis, commendandis aut inhibendis non inſurgeret Paullus? non incenderetur ipſe? non alios inflammaret? Quod vel ipſa res per ſe, & ſimpliciter cogitata in ipſo, explicata in aliis, efficeret atque commoueret. Vera enim omnia erant, ex natura & conditione rerum & hominum ſimpliciter repetita, non erroribus vulgi abuſa aut illudentia, non leuitate vulgi abuſura, cui nunc hoc, nunc illud, probarent.

Quae

Quae oratorum fere ratio erat, non veris vtentium: aut consulentium, sed opinionibus vulgi inseruientium: vt aperte ait Cicero, quin praecipit, *de Orat. Dial.* 1, 10. & passim. Et tamen, in tanta magnitudine rerum, quae vel lentissimum languorem erigeret, intra fines grauitatis viriliter moderatae, subsistit Paullus, nulla in re se iactat, vt appareat, veris instructum, & valentem neruis rei ipsius & caussae, aliunde arcessitis auxiliis non egere.

At vero quem animi motum abesse, dixerimus, ab illa dituinissima oratione abeuntis Ephesso & Mileto in Palaestinam? Quam admirationem, amorem, fiduciam Paulli mouisse, Deum simpliciter & enixe colentis, omnium saluti inseruientis, vs. 19—22. vitam libenter negligentis, & manifesto periculo non modo non subtrahentis sese, sed vltro cum laetitia offerentis, dum, fideliter & salubriter aliis, cursum absolueret suum, vs. 22—24. nil veri, nil salubre celantis, vs. 26. 27. lucro abstinentis, manuum opera victum quaerentis, quem repetere posse a coetu doctor; idque ita esse, omnium conscientia, qui adessent, & testimonio palam probantis? vs. 33—35. Quem vero luctum, quod desiderium concitatum abeuntis cum tali memoria & caritate sui ab his, ad quos rediturus, quos visurus posthac non esset!

Extremum, fato, quod te alloquor, hoc est!
Virgil. Aen. 4.

Quem *metum* autem incussisse, *lupos graues, non parcentes* gregi, vs. 29. ex ipsis adeo prodituros

&

& exorituros, vſ. 30. Quam curam & ſollicitudinem inieciſſe vigilandi pro grege, quem filius Dei puraſſet ſanguine ſuo, vſ. 28. a Spiritu S. iis commiſſo, ibid. cum praeſertim in ipſis ſolis futura eſſet omnis culpa, negligentibus ea, quorum nihil neglectum Paullo, nil diſſimulatum, nil non praedictum aut non munitum atque inſtructum, accepiſſent! Quid vero, cum perorationis loco, genibus flexis, Deum pro ſeſe & omnibus praecabatur? Nonne eiulaſſe omnes, & lacrymis delicuiſſe? Ego vero puerorum plane ludibria cenſeam, prae hac vi Paullo, prae illo motu atque aeſtu audientium, omnes omnium oratorum iactationes, aut in ipſis, ſimulatos ſaepius, quam vigentes, aut ab iis effectos. Quid multa? Fletus excepit orationem largus, interpres amoris, deſiderii, luctus, ſed & ardoris in Deum cauſſamque Dei.

Ceterum, quod Horatius praecipit, de A. P. 101. 102.

Vt ridentibus arrident, ita flentibus adflent
(non, *adſunt*,)
Humanae mentes. Si vis me flere: dolendum eſt
Primum (vel *primo*,) ipſi tibi:

& Cicero de Orat. Dial. 2, 45. id Apoſtolum habere in concitandis animi motibus, ita oſtendimus per ſingula, vt nil attineat, ſeparatim notari. Quare, quoniam per haec ſeſe exhibet *pectore* diſertum, & motus animorum referuntur ad *mores*, tranſire iam liceat ad

CA-

CAPVT IX.

DE

MORIBVS.

Mores multum in dicendo valere, & res ipsa docet, & rhetores praecipiunt. Cum enim sint duplices, quibus vti in dicendo possint: vel ipsius, qui dicat, vel aliorum de quibus dicat, & eorum, ad quos dicat: qua ratione tripliciter iidem dispescantur: dubium non est, quin mirifice valeant, ad docendum vtrique, ad persuadendum, fidemque faciendam illi, hi ad mouendum. Ad docendum enim omnino componitur morum notatio vniuersa: vt quae notitiam afferat eius personae, quae describatur. Quod, vt per se auget cognitionem rerum & hominum, ita propositam causſam iuuat. Vt, cum paganos describit Paulus, Rom. 1, 21. rel. & Iudaeos, 2, 1—5. 17—24. 3, 9—18. vehementer hoc pertinebat ad probandum, quod suscepisset, neminem hominem posse assequi aut tenere, vt suomet sensu aut moribus probetur Deo: vnde cunctis sit opus alia innocentia & satisfactione, Christi, 3, 21. sequ. Cum vero prauitatem multiplicem notat falsorum doctorum, Phil. 3, 18. 19. Col. 2, 18. Iudaeorum, 1 Thess. 2, 15. 16. aliorum turbatorum, 1 Tim. 4, 1—3. 6, 3—5. aliorum impiorum, 2 Tim. 3, 2—7. & quos deinde asseremus: haec eo pertinent, partim, vt caueantur, partim, vt constet, quomodo cum iis agatur: vt videbimus locis suis.

Iam

Iam ipsorum, ad quos scribat, mores notati, non est dubium quin ad maiorem suimet notitiam vocatos, moneant secum habitare: vt 1 Cor. 1, 11. 12. 3, 2—4. 11, 17—21. rel. Nec minus vim habent argumenti κατ' ἄνθρωπον, cum ex ipsorum sensibus, studiis, moribus disputatur. Sed ad fidem & persuadendum, *oratoris* maxime mores valent. Nam ostendunt, rem esse ipsimet certam, magnam & grauem, quam proponat aliis & commendet: pectus probant fidum, amans eorum, ad quos dicat, purum & integrum ab omni consilio & studio minus probo; *posse* denique rem effici, ipsius exemplo monstrant. Ad mouendum valent iidem, efficientes fidem, amorem, obsequium. Eorum autem mores, & de quibus dicatur, & ad quos, varie mouent animos, pudore, admiratione, odio, amore, contemtu, prout caussae vsus postulat.

Et *suis* quidem moribus ita vtitur Paullus, vt suo sensu, more, exemplo ostendat, *fidem* sibi haberi posse. Quippe huc omnia redire, videbimus, quaecunque de *suis* moribus afferat. Quos tamen hic notaturis, etsi non pertinebat ad caussam proprie, si tamen pertineret, otium fecerat, aut feciisse videri poterat, Cel. *Niemeyerus*, in praeclaro Opere Characteriſt. Bibl. T. 1. Sect. 2. C. 2. p. 283. sequ. Sed nos id hic agimus, ea conditione mores Paulli notamus, qua appareat, quomodo eos adhibeat ad fidem sibi faciendam: tanto quidem validius ille, quod vere in illo

erant

erant illi mores, nec cogebatur alienam induere speciem, aut fictam personam sustinere: quod veteres subinde feciſſe deprehendantur: vt Cicero simulat reuerentiam falsorum Deorum, quos nihil esse, sciret, vel auspiciorum religionem curamque, quae irrideret, vel Caesaris amorem & curam, (p. Marcell. extr.) quem odisset, exstinctum cuperet; & hodie multi faciant, vbi omnium minime par sit, fictos ad dicendum & personatos accedere. Sed huc nihil ad Paullum, pectore disertum: quem optimum dicendi magistrum Quintilianus & Longinus commendant. Quod tamen non per se notantibus, sed, quomodo adhibeat, & quo consilio, commodius fuerit, proponere non descriptum partibus suis, quod huc nil sane fecerit, sed per singula loca, vt sese obtulerit, deinceps & promiscue, non rerum aut partium ordine, sed librorum & capitum.

Mores autem intelliguntur cum *absoluti*, qui omnino contineant habitum animi, consentaneum vel alienum virtuti, recto, officio: tum *relati*, qui habeant affectionem animi, vel rationem agendi in certos homines, & in certa causſa: qui tamen pendeant ex illis absolutis vel vniuersis, quos deinde exseras proprie, in hac vel illa causſa, in certis hominibus: non ita exhibiturus relate & proprie, ni habeas simpliciter atque vniuerse. Et hos ergo vtrosque iunctos & promiscue sane notare liceat.

Rom. 1, 8 — 16. profitetur ſtudium ſuum in Romanos, gaudium ſibi perceptum ex eorum fide, intelligentia & amore ac ſtudio rerum diuinarum, vbique celebratis: pro quibus & gratias agat Deo, vſ. 8. precatus, vt iis conſtent. Vnde appareat, &, quam vere loquatur, Deum ipſum teſtatus: &, quam grauis illi res videatur, quantae ſit curae: amor deinde in Romanos: cui fidem facit a Deum teſtando, b, cauſſis afferendis, cur illos merito amet: vſ. 8. c) deſiderio illorum viſendorum: quod iam bis terue ſit conatus: vſ. 13. vnde & cura illorum appareat, animo Paulli infixa: quam & conſilium docet, quo geſtiat venire ad illos, vſ. 11. 12. impertiturus eos muneribus animo profaturis qua Deum & ſalutem coeleſtem: vnde conſtantia fidei & alacritas augeatur, qua ipſis Romanis, qua ipſi Paullo. Quod curae ſibi rurſus eſſe, fidem facit ex ipſa natura rei, quae referatur ad doctrinam euangelii. Cuius doctrinae praeſtantiam, vt rurſus e cauſſis oſtendat, quam ſit merito magna ipſi, repetit 1) e cura Dei in ea proponenda, per prophetas plures, in libris ſacris veteris formulae: 2) ex argumento & materia, a) perſonae, de qua agat, Chriſti, vſ. 3. Cuius magnitudinem rurſus, nil ſine cauſſa poſiturus, deſcribit, & vt hominis, *κατὰ σάρκα*, oriundi e ſtirpe Dauidis, magni ſane regis; & vt filii Dei, ſecundum diuinam naturam, *κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης*, quod, *carni* oppoſitum, quae non poſſit *hic* aliud notare niſi humanam naturam, ori-

originem natalium physicam, quia additur, *filio Dauidis*, nil aliud significare potest, nisi diuinam maiestatem, & plane naturam Christi: quam & ex reditu eius in vitam probat: vt praestantiam euangelii porro ex argumento b) rei, quod α) salutem praebeat, β) omnibus, non Iudaeis solis, γ) fide sola, non operum merito, quo plane destituti, tenere salutem nequeamus. His ita praestructis, exspectare iam poterat, vt Romanis probaret amorem ac studium suum, cum a) tanta res ageretur, b) in qua ipsi plurimum profeciissent: Quo promtius amplecterentur summam & caput, arcem doctrinae euangelicae, quam illis esset propositurus in hac epistola. Iam 9, 1—5. 10, 1. 2. quo amore simul & dolore ac miseratione feratur in Iudaeos, & *profitetur* verbis lectissimis, 9, 1. 10, 1. memorans dolorem, tristitiam perpetuam, intimam, quae faciat, vt cupiat pro iis anathema esse, mori, morte sua redimere tantam eorum calamitatem: & *fidem* facit, 1) testando Christo & conscientiae sensu: ne quis suspicetur, eum vana loqui: 2) caussis exponendis, per quas ipsi cari debeant esse Iudaei, vt populares & cognati, vs. 3. vt tot ac tantis decoribus a Deo ornati, quibus & ipse gaudeat, vt Iudaeus: Christo inprimis, ex iis nato; quod sit maximum, cum idem ille sit Deus; vs. 5. v. Log. Paull. p. 89. 90. & 404. 2) e studio, quo ferantur in legem Dei, 10, 2. Vnde & 11, 13. 14. profitetur studium suum vertendi illos ad Christum, aemulatione iis inii-

cienda ex ipso paganorum exemplo. Vbi probat & fidem suam, & vero prudentiam, qui & Iudaeorum ingenium norit, & vti illo sciat. Quos & verti posse ad Christum, si voluerint, & retinere pristinum decus, probat suo ipsius more & exemplo, 11, 1. & ego, inquit, sum Israëlita, Abrahami progenies, e Beniaminis tribu, vere Iudaeus; & tamen, Christianus effectus, tenui verum decus populi Deo cari: quod & alii mecum possint. Eandem & prudentiam, & vero liberalitatem animi moderationemque, probat 15, 18—21. vbi & progressus exponit, quos fecerit in euangelio propagando, quo inde ab Hierosolymis impleuerit Asiam, Graeciam, Illyricum: testibus ipsis prouinciis, sat luculentis: sed & rationem, qua cauerit, ne alienis fundamentis inaedificaret, docendo eos, quibus iam per alios innotuisset Christi doctrina: Iesaiae verbis vsus: non, quibus praediceretur illa ratio sua, aut cui vaticinio pareret, vt euentum redditurus: sed, cuius verbis designare posset rem similem: vt recte monet Cel. *Niemeyer*. T. 2. p. 271. & a me plura allata sunt in Log. Paull. p. 141. & 23. extr. sequ. Quod ita notat e moribus suis Paullus, vt ostendat Romanis, quantae sit curae Deo, & ipsi, ergo & illis esse debeat euangelica doctrina, per hanc Epistolam repetita atque inculcata: simul promit fidem suam & diligentiam in perferenda liberalitate Achaeorum, Palaestinis destinata: vs. 25—28. Porro 1 Cor. 2, 1—7. exponit rationem, qua sit vsus

in

in euangelio proponendo, non adhibita ſapientia humana, non rebus, ſententiis aut argumentis e philoſophia vel Iudaiſmo repetitis, ſed iis tantum, quae Deus ſuggeſſerit per Spiritum S. (vſ. 13.) Nam, & Iudaicam formulam intelligi, remouendam ex illa formula atque eliminandam, apparet ex 1, 20. Vbi eſt legis peritus? Vbi ſunt diſputatores τῦ αἰῶνος τύτȣ, id eſt, Iudaice docti; qui proprie vocarentur συζητηταὶ, חנרשים, & ex Col. 2, 4. 8. vbi πιθανολογία, φιλοσοφία, nil aliud ſunt, ex manifeſto tenore orationis, & conſilio Pauli, niſi argutiae Iudaicae, de lege Leuitica, aliis reliquiis Iudaiſmi, traditionibus & praeceptis, a Chriſti formula alienis: *fabulas* vocat, & genealogias, 1 Tim. 1, 4. vbi ſimiliter de Iudaeis ſermo eſt, e vſ. 7. volentibus, ſe haberi doctores *legis*: & Tit. 3, 9 iungit γενεαλογίας & controuerſias de lege: fabulas denique Iudaicas vocat, Tit. 1, 14. vbi apparet e vſ. 15. maxime referri ad diſcrimina ciborum & obſeruantiam rituum: vt plurima alia loca taceam, vbi doceat, diligenter eſſe abſtinendum, & ſemet abſtinere, tricis iſtis Iudaicae ſubtilitatis. Quid ergo? Cum Ebr. 7. init. de Melchiſedeco, aut C. 9. de adyto & Pontifice, aut Gal. 4, 21. ſequ. de Agare & Sara diſputat, quorſum pertinent? Haud profecto ad illas fabulas Iudaicas, quas tam ſollicite fugiat, fugiendasque doceat: non ad ea, quae tantum κατ' ἄνθρωπον promta adhibeat, ſed ad veram doctrinam euangelicam & diuinam, ad conſilium

Deo ipſi propoſitum in iſtis figuris, quod manifeſto ſatis appareat ex Ebr. 9, 8. hoc *aperiente*, ſignificante, innuente (per iſta) Spiritu S. nempe vt in agno paſchali, in ſerpente aeneo: ad τελειότητα denique, ſolidiorem doctrinam, ad quam praeuerti ſeſe velle, profeſſus, Ebr. 6, 1. promat illum ipſum locum de Melchiſedeco, c. 7. init. poſtquam etiam grauiter *increpuiſſet* Ebraeos, 5, 11. quod nondum ſatis caperent illum cibum ſolidiorem, vſ. 11, λόγου δικαιοσύνης, deſtinatum τοῖς τελείοις· (quibus ſolis etiam promi a ſe & aliis apoſtolis dicat σοφίαν, 1 Cor. 2, 5. 6. ſapientiam Dei arcanam, quae ipſos Iudaeorum principes fugiat: quam ergo aliam, hic certe, niſi illam ipſam comparationem Melchiſedeci typicam? Quam proinde non poſſum, cum Cl. *Niemeyero*, T. I. p. 271. & aliis, referre ad illa, quae, Iudaeorum opinionibus data priuis, apud illos vim habitura ſolos, promerentur *temporis* & hominum cauſſa, quaſi non vera per ſe aut ſimpliciter. Quae quidem, ſi ſunt per ſe vera & a Spiritu S. ſpectata, & nobis vera & grauia ſint, oportet; ſin opinione tantummodo Iudaeorum, non probata Paullo: vera vtique non erant, nec perſequenda aut exornanda cum tanta aſſeueratione: ne adhibenda quidem, vt falſa, niſi κατ' ἄνθρωπον· quae ratio longe alieniſſima eſt ab illo modo, quo iſta ponat Paullus, vrgeat, explicet; maxime de Melchiſedeco; tam late, tam ſerio, cum τελειότητος appellatione, & grauitatis praefatione: vtut libenter con-

conceſſerim, quod ipſe ſoleo facere & monere: non eſſe indulgendum libidini typorum commiſcendorum, vbi ſcriptura taceat: nec patiar, aut probem, quidquam trahi ad Chriſtum, niſi, quod alio trahi vetet aut noui teſtamenti auctoritas, aut res ipſa, non aliter hiſtorice explicanda. Ad cauſſam vt redeamus: interpretatur Paulus *morem* docendi ſuum: negans, ſe quidquam ſcire viſum, aut ſcire vel *proponere* voluiſſe in iis docendis, nil aliud iis proponendum diuinitus cenſuiſſe, aut vere propoſuiſſe, quaſi nil praeterea noſſet, (qui plurima tamen noſſet,) niſi Ieſum Chriſtum, eumque in crucem actum. (εἰδέναι quidam explicant, docere; nil opus; immo vis maior ſit in illo: *nolui* quidquam *ſcire* apud vos: quidquid praeterea ſcirem, ſepoſui, vt ignarus.) *Eumque*, ait: nempe, quia 1) haec ſumma eſt Chriſtianae doctrinae, vt 2) paganis inepta, abſona, Iudaeis etiam impia videbatur; 3) proponenda tamen erat praecipue, quin vnice; 1, 23. Videant ergo, quam ſint Paulli ſimiles, aut quo loco habendi inter doctores euangelii, qui hodie longe alia praeferant ac proferant, plane immemores Chriſti, eiusque in crucem acti, morum tantum praecepta, vt Philoſophi, recitantes, quorum cauſſa, quid tandem attinebat, templa condi, aut ſacra celebrari, aut ſacrorum ad Theologiae interpretes creari? Qui facta & hiſtoriam Chriſti circumſcribentes, atque eliminantes e formula Chriſtiana, repudient, quae prima, quae ſola, quae ſumma

Paullo ſint vila, cenſenti euangelium iſtis *rebus geſtis*, 1 Cor. 15, 1. — 8. pro quibus ea nobis obtrudant, quorum cauſſa nemo adierit Theologum Chriſtianae formulae & diuinitus patefactae doctorem, ſed philoſophos. Cuius ergo eſt, conſtituere vim ſummam formulae a Deo propoſitae? Apoſtolorumne, an noſtrum? An melius Paullo nos iſta videmus? Aut illum ergo fugit vis vera doctrinae euangelicae, aut nos fugit, tam longe ab illo discedentes. Verbum addere piget, vbi res loquatur! Addit Paullus: ſe egiſſe inter Corinthios: vt *infirmum*, id eſt, vt minime paratum aut volentem a doctrina, Iudaica quidem & humana. Nam, ita intelligi, magis poſcit continuatio disputationis, quam explicari. quod tamen & vis vocabuli per ſe ferat, 2 Cor, 11, 30. 12, 9. 10. & res geſta, Act. 18, 12. ſequ. in multa calamitate, iactatione & vexatione a Iudaeis: quorum offenſione & furore non abſterreretur, quominus promeret, quae ſciret, eſſe vnice vera, grauia, ſalubria; ſed, vt dixi, illud aptius eſt tenori: cum timore & tremore, id eſt, 1) in ſummo discrimine, in ſumma contentione & dimicatione ſollicita e peruerſitate Iudaeorum: Act. 18, 6. 12. 2) cum cura, id enim hic eſt timor & tremor, vt Pſ. 2, 11. 2 Cor. 7. 15. Phil. 2, 12. quorum locorum nulli ſane congruat timoris notio, multo minus tremoris; niſi forte Pſ. 2, 11. vbi tamen ibidem *laetari*, exultare adeo iubeantur) cum *cura* ergo, cum cautione & modeſtia ſumma & religioſe ſollicita, ne quid admiſ-

miſcerem aut alieni, aut de meis, aut, quod in meum honorem detorqueretis: 1 Cor. 1, 13. — 15. Nam hoc praecipue agit iſta notatione ſui moris, ne plus tribuant ipſi, quam par ſit: ne omnino a doctoribus vnice pendeant, alterum alteri per ſe, ſuo nomine (perſönlich,) praeferant, aut ſibimet placeant in hoc alioue doctore, cum aliorum contemtu: 1, 11. — 17. 3, 4. — 8. 4, 1. — 7. ſed omnia ad Chriſtum referant, ſolum, 3, 11. 1, 30. ipſius Paulli exemplo: nec ſapientiam circumſpectent humanam, 1, 17. ſequ. 2, 13. ſequ. qua & ipſe abſtinuerit in iis docendis, 2, 4. non vſus argumentis humanae ſapientiae, ad perſuadendum compoſitis, ex philoſophia pagana, aut doctrina Iudaica, ſed ex Scripturae S. locis; vaticiniis, praeceptis; formula repetitis: quae πνευματικὰ vocat vſ. 13. & virtute mirifica Spiritus S. in docendo & agendo. Cur? Ne fidem illi doctrinae habitam habendamue referrent, ad commenta humana, σεσοφισμένους μύθους, 2 Pet. 1, 16. (quas conferas cum fabulis & γενεαλογίαις, ſupra memoratis e Paullo: quibus Petrus opponit *viſam* ſibi virtutem Chriſti, quam ἐπόπτης propoſuerit:) ſed diuinitus valere, agnoſcerent, nil crederent Paullo affirmanti, vt Paullo, ſed doctrinae ipſi, vi ſua radianti, & aſſenſum extorqueenti. Vnde apparet liberalis animus Paulli, fidesque nil ad ſe referentis, ad Deum omnia conuertentis: magnum ſane argumentum fidei Chriſtianae doctrinae, cuius interpretes nollent

ac prohiberent, quidquam ſibi tribui, aut quidquam ad ſe gloriae redundare. Veram tamen, demonſtrat, illam eſſe ſapientiam profectam a Spiritu Dei, vſ. 11. 12. expreſſam e ſenſu Chriſti ipſius, vſ. 16. intelligique talem ac probari τελειοις, vſ. 6. ſatis valentibus ad iudicium rerum diuinarum & prudentia ac ſollertia ſenſus, Ebr. 5, 12. libera voluntate & integra a ſtudiis alienis & improbis. Quam quidem ſapientiam negat, plane illis a ſe explicari potuiſſe, 3, 1. ſequ. ſeque coactum inſeruire infirmitati deditorum etiamnunc & ſeruientium rebus ſenſibus, ſtudiis alienis atque inanibus. Et hoc eſt *morum* Pauli, accommodari ingenio audientium, nec proponere ſolidiora infirmioribus: vt tamen & hos excitet, materiamque ſuggerat capeſſendi maiora, ne ſemper languentes inertia, tandem obtorpeſcant: Ebr. 5. extr. 6. init. Quae vera eſt doctoris & prudentia, non onerantis tarditatem aut obruentis, nec deficere adigentis iniquitate ponderis, ac tamen ſpe & cupidine incendentis ad maiora: & liberalitas, ita parcentis, vt paratum ſeſe ad maiora oſtendat, ſimulatque ipſi poſſint: & fides, non laudantis indignos, nec rurſus deſperatione repellentis a progreſſu aut arcentis, non ingerentis, quae fruſtra audiant, nec rurſus neganris grauiora, vberiora, ſimul oſtenderint ſeſe paratos & intelligentia, & deſiderio. *Fundamenta* ſibi iacta, ſcribit, vt a *primo* illorum doctore; 4, 15. 9, 1. Act. 18. init. prima & maxime neceſ-

ceſſaria tradita, velut ab architecto artis perito, & diligente, fundamenta ſolidantis ante omnia, quibus nihil imponat, niſi ſuffecturis. Quod ne arroganter a ſe dictum interpretentur, aut in-ipſius laudem & gloriam trahant, addit: ſecundum *Dei* beneficium mihi datum. Dei ergo eſt, quod facio, inquit: illo auctore, monitore, duce, praemonſtratore, rectore vtor. Ita ſine iactantia morem notat ſuum & probat. Quam vanitatem quo magis oſtendat a ſe alienam, grauiter diſputat 4, 1—8. quo loco ſe aliosque apoſtolos haberi velit: Chriſti miniſtros, rerum diuinarum diſpenſatores. Quae veriſſima eſt notatio morum, eo compoſita, vt appareat, 1) ipſos non eſſe dominos, nec per ſe colendos aut obſeruandos, ſed ad dominum ipſum Deum & Chriſtum, omnia referenda: 2) cenſendos eſſe ac ſpectandos ſola fide & probitate tractandi & curandi muneris: non eruditione, non facundia, non aliis rebus externis; ſed, a) quam vera, quam grauia, quam ſalubria doceant & praecipiant & b) qua cura, quo ſtudio, qua induſtria, probandi ſe Deo, iuuandi homines; inſeruiendi illius conſiliis, horum felicitati verae atque aeternae. Neque vero *imperitiae* fauet haec conditio, vt *fidem* tollenti ipſam. Improbi enim hominis eſt & perfidioſi, offerre ſe, immo obtrudere, muneri aut expetendo, aut capeſſendo, aut tractando, quo ſi recte atque intelligenter fungi nequeat, ne fideliter quidem poſſit: ne velit quidem, ſi ſe imparem ſciat. Et, quod *diui-*

ni-

nitus illi muneri apoſtoli aptabantur, 2 Cor. 3, 5. id ſecus & in aliis iam tunc fuit, & hodie eſt. Ac tamen & ipſis apoſtolis auxilia erant adhibenda, ſacrae ſcripturae maxime legendae, intelligendae, explicandae, tractandae: quod nobis non detur ſine praeſidiis multis & opera multiplici. Libris vero ne Paullus quidem carere poterat aut volebat, quippe quos Romam mitti ſibi, inde vsque ex Aſia, rogaret Timotheum, 2 Tim. 4, 13. Alterum patet ex iſta notione oeconomorum, 2) non eſſe ſubiectos hominum iudicio, vſ. 3. rel. quippe a Deo & Chriſto miſſos, cuius formulam & mandata (Auftrag,) vt legati tractent, non hominum, a Deo commiſſa, non ab hominibus, rationem iidem reddituri ſoli Deo & Chriſto, non hominibus: vt nemo poteſt a legatis repetere rationem, niſi princeps aut respublica, cuius perſonam & mandata ſuſtineant: quorum nil mutare poſſint in gratiam aliorum, nil condonare aliis, Gal. 1, 10. etſi diſpliceant aliis: ſatis habituri, ſi probentur mittenti. Quod qua conditione, quem in finem (wie weit, in wie ferne,) cadat & conferendum ſit in noſtros interpretes ac miniſtros ſacrae doctrinae, haud difficilis exiſtimatio erit, reputanti, & *diſcrimen*, quo apoſtoli a Deo & Chriſto ipſo proxime directo vocati miſſique ſint, non ab hominibus, Gal. 1, 1. alii ab eccleſia principibusque vocentur: quo deinde apoſtoli non potuerint falli in docendo; quod quis alius aut noſtrum arroget ſibi? ſed & *ſimilitudinem* rurſus, qua & apo-

apoſtoli, & alii, verſentur in rebus diuinis, Dei cauſſam agant; quam ſi rite tueantur, nil promant, nil vrgeant, niſi, quod diuinitus traditum e Scriptura S. probent aut probare quaerenti poſſint, non magis apoſtolis cogi a quoquam hominum poſſint mutare quidpiam, dum fidem imitentur apoſtolorum, veris promendis, diligenter inculcandis, prudenter habendis. Hoc ſi fuerint ſenſu, hanc operam ſi nauarint: alacritatem quoque imitentur, licet, quin plane oportet, Paulli, negantis, ſeſe laborare, profitentis, ſe minimi id facere, an homines de ipſo iudicent: dum Deo & Chriſto probet ſenſum moremque ſuum. Magnam hic conſtantiam exhibet Paullus pectoris bene ſibi conſcii, non vanam illam, aut ſuperbe ſumtam, ſed nixam iure muneris, & conſcientia muneris recte habili, & memoria, a quo acceptum, cui probare debeat: modeſtam eandem, nil ſibi arrogantem, tribuique volentem, Deo & Chriſto omnia permittentem ac delegantem: neque cupientem inanis gloriae, aut felicitatis externae: quam alieniſſimam a ſua & conditione & deſiderio monſtrat vſ. 9. ſequ. vbi oſtendit, &, qua ſorte vtantur, miſera vero & contemta, &, quomodo illa vtantur, patienter nimirum, nil reluctantes. Narrat enim ſimpliciter, quae perferant citra querelam, Deum ita velle, dicens, vſ. 8. & aperte ac directo vſ. 13. vexati, ſuſtinemus: leniter iidem, vt qui non modo non vlciſcantur infeſtos, ſed vltro faueant iis, bene precando, ſalubriter comiterque monendo: vſ.

13.

13. Quae omnia Corinthiis monſtrat per ironiam, vſ. 8. ſequ. vnde diſcant, non poſſe melius agi cum ipſis, quam cum apoſtolis: neu ſumant ſuperbiam, immo ſumtam deponant, vt neque ipſis congruam, vt quae non ſit in apoſtolis, neque conditioni eorum, quam nequeant exſpectare meliorem apoſtolorum ſorte. Mitigat tamen rurſus, vſ. 14. 15. & lene pectus monſtrat; non ad pudorem vobis incutiendum (ἐντρέπων pro ἐντρέφων,) iſta ſcribo; ſed hortor ac moneo, vt filios mihi dilectos. Filiorum ergo loco illos habet: patrem ſe illis eſſe, demonſtrat, quos ad Chriſtum verterit, Chriſtianos effecerit: quo nomine potiorem ſeſe illis eſſe debere, quam omnes paedagogos, a quibus non genti, tamen acerbe habeantur, nullo amore paterno, quem in ipſo agnoſcant: Vnde & fidere ipſi debere, & modeſtiam imitari ipſius, 4, 6. 7. & patientiam, modo deſcriptam. Filiorum enim eſſe, componi ad parentum exempla.

Nec minus C. 7. in praeceptione de coniugio monſtrat pectus ſuum moremque: non vno modo: primo, quam liberaliter agat & vere, diſtinguendo Dei voluntatem a ſuo conſilio, vt videant, ex *illo* nil remitti poſſe, de *hoc* ſtatuant, quod velint. Vnde ſubinde repetit, non praecipi iſta a ſe, non vetari, non vrgeri, ſed ſuaderi tantum & commendari, integro iure legentium, nulla praerogatiua, quam ſequantur. Bona interim & vtilia eſſe, conſilia iſta, oſtendit partim e facultate iudicandi, qua diuinitus pol-

leat:

leat: vſ. 25. conſilium affero, inquit, vt is, cui Chriſtus dederit hoc beneficium, vt fidelis eſſem; id eſt, vt & ſcirem, quid melius ſuaderetur (vera enim fides, vt ſupra demonſtrauimus, teneri nequit, ſine peritia rerum, eiusque conſcientia,) quodque, viderem, vobis melius eſſe, id cum fide & amanter ſignificarem: is denique, quem, conſtet, & poſſe & velle ſuadere vobis optima: & vſ. 40. ex *mea* ſententia, qui tamen & ipſe puter moneri diuinitus, id eſt, vobis ipſis videar, recte, quia *vere* inſtruor diuinitus, vt vos non debeat poenitere conſcii mei: His ita fiduciam facit ſuae auctoritatis, vt ſubiicere tamen illi Corinthios non vitatur vſ. 35. Morem deinde & ſenſum declarat ſuum abſtinentis coniugio, optantisque, vt & alii abſtineant illo: vſ. 7. id quoque & liberaliter, quia non imperat aut cogit idem facere: & tamen amanter atque fideliter, quia cauſſas affert, cur melius ſibi conſulant, qui ſecum ſteterint: vſ. 1. 26. 28. 32. 35. vbi nudat pectus amore plenum, nolentis eos dari & coniici in diſcrimina curarum, turbarum, incommodorum, vbi nihil opus ſit, quibus ſuperſedere & vacare poſſint: vacuos eſſe cupientis & expeditos, & qua ſuas res, & ad Dei cultum. Cuius conſilii fidem auget vſ. 17. more & proposito ſuo, idem vbique de his rebus ſtatuendi: conſtantiae ſignum & fiduciae veri iudicii. Quis repudiaret iſtam veritatem, prudentiam, fidem, ſalubritatem, liberalitatem ita moderantis conſilio, vt ne repudiatum quidem ſpernerent, quippe

pe nemini obtruſum? Quantam idem monſtrat cautionem, fidem, indulgentiam, pietatem, humanitatem, grauitatem & continentiam moris ſui, 8, 13. Equidem, inquit, ſi vſus cibi noceat aliis leuitate exempli, libenter abſtinuerim carnibus in perpetuum, priusquam laedam quemquam ſuſpicione in me leuitatis, aut periculo exempli imitandi contra iudicium animi. Quid Corinthii facerent, aut quid nos faciamus in rebus, quae mediae videantur potius, quam ſint, per ſe quidem *obiectiue*, infinite, ſimpliciter, quam in hac vel illa cauſſa, aut ad aliorum vſum relata? Nam cum ipſe interponit ſuum morem ſenſumque, noſtrum nimirum fingit, ſumma cum modeſtia, ſed & ſumma cum fide. Latius deinde ac velut profeſſus, notat hunc ſenſum moremque ſuum, C. 9. quod totum, quoad porrigitur, mores exprimit apoſtoli prudentiſſimi, religioſiſſimi, humaniſſimi, moderatiſſimi, nil detrahentis veris, nil veri diſſimulantis, nec diuinitus vetari dicentis, quae non vetentur, & tamen libenter abſtinentis iisdem, ne locum aperiat aut faciat calumniae exemploue aliis nocituro. Externam primo perſonam ſignat muneris apoſtolici, quod in ſe agnoſci, probat & per interrogationes, quarum quaſi prouocatio adhiberi ſoleat rebus certis & notis: Nonne apoſtolus ego ſum; rel. & per ſigna, quibus apoſtoli cenſeantur: Nonne vidi Chriſtum Dominum? Vidiſſe enim apoſtoli debebant Chriſtum in terris agentem, hactenus certe, qui teſtari poſſent reditum eius

eius in vitam & maiestatem diuinam. Quod Paullo contigisse legitur Act. 9, 4—6. 22, 6—8. 26, 13—15. Vbi etsi visus illi Iesus diserte non legitur, sed lux tantum coelestis oblata, & vox Iesu audita: satis tamen & audiuit & vidit, vt intelligeret, Iesum esse, coelo receptum, ergo in vitam reuersum, verumque plane Messiam; neque enim Deus pateretur, falsum ita apparere aut illustrari, aut coelitus loqui, vt Deum: Ebr. 12, 25. 26. Matth. 3, 17. Ioh. 12, 28. Gen. 22, 11. 12. Nec vero *negatur* illi visus in illa luce, quem videre posset in illa, per illam, illa circumdatum (vt Stephanus): quem & postea saepius haud dubio viderit: nominatim Act. 18, 9. 23, 11. 2 Cor. 12. init. vbi & *plures* numero memorat ὀπτασίας & ἀποκαλύψεις, vs. 1. & 7. κυρίε, Domini, quem, sicubi nominat, Christum fere & proprie ac signanter intelligit. Alterum apostoli signum ponit ecclesiam a se conditam Corinthiorum, ad quos scribat: Nonne vos estis opus meum in Domino, id est, vt Christiani? Vbi fidenter ipsos testatur: Vt aliis non sim apostolus: at vobis vtique sum: id est: nemo minus vobis dubitare potest aut debet, an sim; quia per me versi estis ad Christum. Ita probata externa persona sua, conditionem quoque externam probat, inde pendentem: qua sibi pateant eadem iura, quae aliis apostolis: vxoris ducendae, quolibet cibo vescendi, commodorum operae percipiundorum ab illo creta, cui illam operam praestet: quae commoda iusto iu-

re capi, probat ex natura rei, lege diuina, & exemplis, qua vitae communis, qua veteris formulae. Haec est illa duplex conditio Pauli externa: cui deinde mores confert suos, non vsi commodis iuribusque, quibus *potuerit*, quibus & alii vtantur. Hoc praemittendum vtique erat, Quid enim magni habebat, abstinere *non datis*? *Datis* ergo & concessis, ostendit, sese abstinuisse, vs. 15. nec velle, posthac praeberi sibi: ne videatur exprobrare aut repetere nondum praestita. Quod sibi nec venisse in mentem, nec venturum, graui affirmatione obstringit: mori sibi satius esse, professus, mori se malle, quam spoliari & excidere ista existimatione abstinentiae & consilii probi. Quid grauius diceret? Vnam ergo sibi mercedem, unum praemium proponi ostendit, operae, quam euangelio docendo impendat, missus a Deo oeconomus, nil exspectaturus ab iis aut repeiturus, a quibus non sit missus: vnum ergo relinqui, vt probet oliberalitatem animi, Dei tantum caussa elaborando, saluti hominum consulendo, vere, sincere, nullo studio lucri aut commodi: unde & doctrinae ipsi fides accedat, quam datam, appareat, vnice ac liquido veritati, auctoritatique diuinae, non vllius commodi studio. Hoc nimirum est illud pectus Pauli, liberale, generosum, Dei & hominum amans pure: quod eum reddat ditertum, alacrem, constantem, nullius metuentem, nulli obnoxium: cuius conscientia erectus, grauiter, fortiter, splendide

di-

diceret in ſumma ſimplicitate: rei ipſius & grauitate, & magnitudine excellentiaque & fide, loquente ipſa per ſe, verba ſuggerente & ex ſe, & ex more ſenſuque Paulli: quem vel hiſtorice tantum narrandoque notari, ſufficeret, vt magna res intelligeretur, & legentes moueret. Abſtinentiam ergo hic notat ſuam, Dei hominumque amorem, ſtudium doctrinae euangelicae, ſincerum, veritate & magnitudine eius incenſum, nulla alieni conſilii labe infectum: cautionem idem ſollicitudinemque religioſam, (quam maxime hic commendare Corinthiis nititur,) non abutendi libertate Chriſtiana, ne malo exemplo aliis noceat. Quam potenter ergo procedere poterat, vt, ſe, iuberet, contueri, ſe imitari! Quod & addit 11, 1. Quam potenter autem docere exemplo ſuo! Quam iuſte, quam conſtanter poſcere, quae ipſe faceret! Quod porro exſequitur 9, 19. ſequ. qua commoditatem & facilitatem inſeruiendi cunctis, ſeque accommodandi omnium moribus, quoad poſſit, id eſt, quoad liceat, ſalua Dei cauſſa atque religione. Itaque ſcribit, ſe omnia omnibus factum, in omnia verſum, non modo non arcuiſſe quemquam rebus per ſe non malis, aut coëgiſſe ad res non per ſe neceſſarias; ſed ultro illis abſtinuiſſe his vſum eſſe, deſcendentem ad mores imitandos eorum, quibuscum verſaretur: cum Iudaeis agentem, ſeruiſſe ritibus, abſtinuiſſe cibis, eorum lege veritis, quibus, ſciret, vti licere homini Chriſtiano & Apoſtolo: cum paganis rurſus,

neglexiſſe ritus, quolibet cibo vſum; infirmioribus peperciſſe, vt ne feriret timidam eorum religionem vſu illarum rerum, quibus illi abſtinendum putarent, falſo illi quidem, ſed putarent tamen, neque id in re graui; firmiores rurſus non conieciſſe in timorem intempeſtiuum, aut in odium ſui, doctrinaeue ipſius, exemplo abſtinentiae non neceſſariae: legem Leuiticam, quaſi promiſcue, nunc neglexiſſe, nunc retinuiſſe, cum vtrumque liceret, illud non vetito, hoc non iuſſo: tempori ergo, locis, ingeniis hominum dediſſe vtrumque & attemperaſſe: cur? vt omnes ad Chriſtum verteret, ſaluos praeſtaret: vt doctrinam euangelii cunctis commendaret, cuius oſtenderet facilitatem liberalitatemque in rebus per ſe mediis: vt nec Iudaeos ab ea abſterreret odio ſui, quaſi ſpernentis legem, quam, ſcirent, eſſe diuinam, crederent neceſſariam ac perpetuam, in qua ſibi placerent: aut odio doctrinae, tollentis iſtam legem: neque onerando paganos ritibus nouis & inſolitis; ita rei ſummae memorem, negligentem in paruis vltorem, vt cum Liuio loquar, grauem ſe ad maiora vindicem ſeruaſſe: tanto facilius ſeruerunque retenturum caput rei, quo promtius conceſſum a ſe & remiſſum, quod poſſet, & Iudaei & pagani agnoſcerent, quorum cum vtrisque ita ageret vere & conſtanter. Videtis, ait, me nil expetere a vobis, nihil vobis iniungere, niſi quod ſit neceſſarium, & ad Dei maieſtatem,

vo-

voluntatem veram & perpetuam, veſtramque ſalutem pertineat: videtis, non pugnari a me, vt mea ratio valeat, nec iugum vobis imponi. Quippe iſtos ritus, quos Iudaei amatis, pagani odiſtis, (forte & Iudaei, quorum non vnus haud dubie cuperet exſolui iugo & vinculis rituum, Act. 15, 10.) hos ergo ritus licet vobis vel retinere, vel abiicere, vel plane non amplecti: modo ſummam rei teneatis, quam vobis propono, Dei iuſſu, ſalutarem vobis. In qua quidem rei ſumma, feretis animo aequo, & probabitis, quod non poſſim facilis eſſe, cuius facilitatem in aliis rebus cognoueritis. Et haec quidem fieri a ſe, profitetur, euangelii cauſſa, vſ. 23. vt omnibus illud commendet, omnes ad illud vertat, ipſe quoque veniat in conſortium eius, id eſt, beneficia eius & nunc & olim conſequatur ac teneat: minime aſſecuturus aut retenturus, ſi parum fideliter in eo verſatus fuerit, & intempeſtiua aſperitate alios quoque ab eo abalienarit. Itaque, exemplo vſus curſorum & athletarum, idem, ait, a ſeſe fieri in corpore ipſius, vſ. 26. 27. quod quaſi verberet, (ὑπωπιάζω, ſub os verbero: Theodoretus legit, ὑποπιεζω· & vocabulo inſolito, & ſignificatione parum congrua vel corpori, vel tenori & conſilio, vel imagini propoſitae:) verberet ergo, vexet ac male habeat, ſubtrahendis commoditatibus ac deliciis, ne ipſe aut luxuria elangueſcat ad operam muneri dandam, aut noceat aliis malo exemplo intemperantiae, vnde excidat conſilio, qua Dei, qua ſuo, beandi

se aliosque, velut in nullum exitum commodi, laudis aut praemii currens, aut viribus in auras effusis, ictu & conatu irrito, aut, velut praeco, aliis ad cursum & certamen vocatis, socius ipse certaminis, careat laude & praemio. Tam late & varie exposito more suo, vocat Corinthios ad eandem cautionem curamque: fidenter compellans & prouocans, 11, 1. qui versus referri debet ad 10 extr. vt clausula disputationis. Me (ergo) imitamini, vt ego Christum! O praeclaram hanc ipsam imaginem sensus & moris Paullini! Quam quidem alia conditione, prudentiae, moderationis, curae alios iuuandi, non sese iactandi, proponit 14, 15. sequ. Gratias sese agere Deo, quod gaudeat vsu maiori linguarum, quam quisquam Corinthiorum; & tamen se malle fundere quinque vel pauca verba sibi aliisque intelligenda, quam multa millia linguis non intellectis. Quam multis hic nominibus notat mores suos! facultatem primo suam vtendi linguis exteris; quam praedicare & posset vt notam, & beneficium Dei, & vero debebat, quia, ipsius exemplo, illa abuti Corinthii non debebant. Ita a maiori ad minus procedit: si ego, vobis omnibus peritior exterarum linguarum, tamen mihi tempero, vt illas ne iactem, immo plane premam, vbi intelligam, nil admodum profuturas, & plane repudiem prae vtilitate maiori: quid vos facere decet, tanto minus instructos! Quanto minus vos iactare! Ita tamen extollit vsum linguarum, vt beneficium

Dei,

Dei, id est, vnde ad se nihil gloriae redundet. Grate interpretatur munus Dei, ne contemtum linguarum inferat, quod nec velit, nec debeat. Interim Deo reddit suum, ne aut in se relinquat superbiae notam, aut Corinthios superbire sinat. (4, 7.) Ita & conscientiam prodit virtutis, necessariam plane doctori, & modestiam probat nil sibi tribuentis. Curam idem probat aliorum commodis unice consulendi: vt qui vel breui opera prodesse malit, quam longa iactatione sibi vni placere. Paratum sese ostendit, non vti beneficio Dei quamuis magno, si alia opera vtilior sit futura. Ita ardebat animus amore Dei & hominum, qui omnem iactantiam obrueret atque absumeret, eximendam & Corinthiis tali exemplo: quod ipsum ageret Paullus ista notatione moris sui. Nec minus sine iactantia memorat, 1 Cor. 15, 9. 10. qualis sit, quid sibi obtigerit: Christum sibi visum rediviuum: magnum vero decus, quod & fidem faciat testimoniis, reditum Christi in vitam firmaturis; quippe isto consilio affert illa; sed quantum sese abiicit, *minimum* sese vocans omnium apostolorum: quem & Eph. 3, 8. se vocat: indignum plane, qui sit & vocetur apostolus. Quae ne simulata modestia videatur, caussam addit grauem, confessionem temeritatis olim suae; quod coetum Christi vexarit. Vnde & *postremo* sibi, post alios omnes, visum ait, quasi ἐκτρώματι, qui, velut acerbus partus, ex vtero matris excisus, praesenti exitio sit ereptus, ne peri-

ret cum matre, coetu Iudaico: esse tamen sese aliquid cum reliquis apostolis, & effeciisse; plus etiam; vt pluribus ad Christum versis, maiori opere ac molestia. Quod ne arrogantius a se dictum videatur, refert ad beneficium Dei, immeritum prorsus, indignoque tributum. Ita generose praedicat, veris fretus, & qui sit, & qualis, & modestiam probat sentiendi de se, memoranda indignitate sua, & beneficio Dei: plane memor formulae a se ipso diuinitus praescriptae, Rom. 12, 3, qua vetat, quemquam sentire de semet *vltra*, quam par sit: ne *infra* quidem, sed vere (vt Iohannes Baptista, Ioh. 1, 21. — 23.) non abnuentem, quae sint, quod inepti hominis esse, Crassus ait, apud Cic. de Orat. Dial. 3, 22. extr. nec rursus arrogantem, quae non sint: vt Socrates, apud Xenophontem, Memor. S. 3, 7, 9. ex tot. Cap. negat illud, γνῶθι σεαυτὸν, ad *vitia* modo, sed & ad *bona* noscenda, pertinere. Cur autem hic refert ista? Nempe, vt fides constet testimonio de reditu Christi in vitam, quod ipse reddat, 1) hostis antea & vexator formulae Christianae; qui cum esset, constare illi profecto debuerit de fide eius, vt non amplecteretur modo antea impugnatam, sed etiam propugnaret: 2) apostolus, quauis fide dignus. Idem vs. 31, 22. immiscet sensum moremque suum: Quotidie morior, i. e. versor & iactor in quotidiano periculo mortis: καθ' ἡμέραν est Ebr. כל-היום ἡμέρα πάνα, quod Symmachus vertit, διαπαντὸς· vt apud Homer. Il. 14, 235. qui ex vs. 269. iun-

iungit, ἀιὲν ἤμεται πάντα·) nempe ob Christi professionem. Addit affirmationem, vt iurantis: per vestram gloriam, id est, quam e vobis habeo, pro quibus mori paratus sim, vt caris mihi & Christo: quod & vobis ipsis honori sit: Eph. 3, 13. vel, ἡμετέραν, vt Theodoretus legit, aptius haud dubie & mollius, vel ob voc. ἔχω, praeclareque καύχησιν explicat fidem, constantiam, παῤῥησίαν. Quid ergo ita morior? Nempe, quia mihi constat de fide & veritate doctrinae & professionis, cuius causa ne mors quidem timenda sit ob illam alteram vitam: cuius exspectandae nulla conditio relinquatur, si Christus non redierit in vitam, aut mortui omnino non reuiuiscant; tum enim vana sit Christi doctrina, & finis sit omnium in morte. Creditisne ergo, inquit, tantam meam stultitiam, vt non modo commodis caream omnibus, sed & mortem vsque metuam subeamque, nullam in spem aut incertam? Similis haec est disputatio & argumentatio Ciceronianae illi, p. Arch. C. 11. 12. „ Certe, si nihil animus praesentiret in posterum, &, si, quibus regionibus vitae spatium circumscriptum est, eisdem omnes cogitationes terminaret suas: nec tantis se laboribus frangeret, neque tot curis vigiliisque angeretur, neque toties de vita ipsa dimicaret. Nunc insidet quaedam in optimo quoque virtus, quae noctes & dies animum gloriae stimulis concitat atque admonet, non cum vitae tempore esse dimittendam commemorationem nominis nostri,

sed cum omni posteritate adaequandam. An vero tam parui animi videamur esse omnes, qui in republica, atque in his vitae periculis laboribusque versamur, vt, cum vsque ad extremum spatium, nullum tranquillum atque otiosum spiritum duxerimus, nobiscum simul moritura omnia arbitremur? „ Pergit Paullus, si cum bestiis pugnaui κατ' ἄνθρωπον, vel proprie, quod tamen non legatur: vel improprie, cum hominibus saeuis, iratis, infensis, κατ' ἄνθρωπον, id est, vt me iactarem, vt auctoritas accederet opinioni a me defensae, vt constantiam meam, aduersarii admirarentur, nil sublimius aut solidius post hanc vitam spectans: quid hoc mihi profuit, nil aliud, nisi irriso ab hostibus & contemto? Grauem vero praerogatiuam affert sensus & mos talis viri, quem haud quidquam temere aut leuiter agere, sed certo & firmo iudicio regi, scripta & facta loquantur omnia!

Altera quoque ad Corinthios plena est morum Paulli: quos tamen plerosque iam notatos dedimus in Cap. de *Animi motibus*, quo redeant fere, ad alacritatem maxime in calamitatibus, 1, 3—11. 4. 14. sequi muneris rite habendi, 2, 14. reb. 3. tot. vitae integrae bonique exempli, 4, 1. 2. 6, 3—8. Et hic tamen reddemus nondum notata, quae ad mores magis referenda proprie videantur. 2, 1, 12. Gloriatio nostra, id est, vt recte exponit Theodoretus, παῤῥησία, alacritas & boni animi robur & materia est testimonium conscientiae, quod versati sumus, (vel, quae

quae conſcientia doceat, affirmet, nos eſſe verſatos) εν τω κοσμω, id eſt, inter Iudaeos & paganos, apud omnes homines, quibus proponeremus doctrinam Chriſti, apud vos maxime, (*maxime*, non quo apud alios minus; ſed, quod vos optime noritis, quibus ſcribamus; & quod apud vos plurimam materiam eius rei inuenerimus:) ita, vt vteremur ſimplicitate, (veritate,) & ſinceritate, (puritate doctrinae, conſilii, vitae,) Dei, id eſt, a Deo effecta, ſuggeſta, ad Dei formulam cultumque relata, Deo probata: non ſapientia humana, qua admiſcenda corrumperemus ſinceritatem & infirmaremus fidem doctrinae diuinitus patefactae, ſed Dei ſolius beneficio & auxilio: vt appareret, nos fidere non noſtris viribus, ſed diuinis. (4, 7.) Per haec proludit partim inceſto in illorum coetum recipiendo: quod & ipſum, intelligant, fieri diuinitus, recte, vero conſilio, ſalubriter: partim auctoritati ſuae vindicandae ab improbis doctoribus, c. 10. 11. 12. ita modum probat, quo ſit vſus in euangelio docendo, vt promeret purum ac ſimplex, nulla fiducia ſui. Conſtantiam maxime tuetur, & formulam doctrinae morisque, ab omni leuitate & varietate alienam, vſ. 13. Neque enim alia, inquit, vobis ſcribimus, quam quae legitis, id eſt, quae ſcripſimus in ſuperiori epiſtola, de inceſto, de formula doctrinae, de aduentu ad vos per Macedoniam: (promiſſo 1 Cor. 16, 5. quod hic repetit vſ. 15. 16. vt dilatum, dicat, idoneis de cauſſis, vſ. 23. vt infra videbimus:)

mus:) quae & hic repetimus: vel: quae legitis, ea vero ſcribimus ex animi ſententia: firma, rata, immutabilia ſunt diuinitus: (vt γραφειν ſit.) cum emphaſi, *ex animo*: vt ne alia ſcribamus, alia cogitemus aut faciamus: paene vt apud Cic. ad Qu. Fr. 1, 1. aures tuae id, quod audiant, exiſtimentur audire: i. e, ne alia audias ſecreto, quam palam, ſed, quod audieris in iudicio, vere geſtum cognoris, id ſequare; non ſecretis conſiliis, ſubdolis, quaeſtuoſis, clanculum aures praebeas; nec vero *poſſumus* ſcribere alia, quam quae legitis ſcripta: (ſaepe enim agendi verba tantum *poſſe* ſignificant: vt 7, 16. *confido* vobis: ita Latini vix *tolero*, non patiar, vix me *contineo*, id eſt, poſſum tolerare, rel.) nam & ſunt vnice vera, & a vobis ita intelliguntur: vt nec res ipſa, nec ſententia noſtra ratione mutari queat. Legitis ergo vera & rata; quin ipſi agnoſcitis, probatis, intelligitis, vt Chriſtiani, eſſe vera, diuinitus certa & immutabilia: quin & probabilis ad extremum, id eſt, nunquam non, ſemper: vel etiam, per omnem hanc epiſtolam, in omnibus per omnia, quae nunc ſcribam: exitus olim probabit, vera eſſe: quin iam probaſtis, *ex parte*, id eſt, plerique veſtrum, vtut non omnes: vel, in quibusdam rebus & cauſſis. Tangit enim leuiter, vt ait Theodoretus, qui nondum omnes aut omnino depoſuerint ſuſpicionem de ipſo, conflatum calumniis corruptorum. Agnouiſtis ergo, vos eſſe καύχημα noſtrum, laetari nos vobis ac fidere, gaudentes ac gauiſuros, quod

olim

olim futurum ſit, vt poſſimus ſiſtere vos Deo, vt miniſtris nobis interpretibusque ad Chriſtum verſos, eique ſeruatos (10, 2. 4, 14.) vbi & vos olim laetaturi ſitis apud Chriſtum, aduentante iudice Chriſto, (5, 10.) quod feliciter parueritis noſtrae doctrinae. Hoc alterum addit, quo certior laetiorque appareat illa ſua materia laetandi ex Corinthiis. Vtrique enim, ait, vtrisque mutuo laetamur & fidimus: pariter fit: pars aequa laetitiae mihi vobiscum eſt: non minus decoris, ſolatii, gaudii nobis accedit inde, quam vobis. Par enim ratio eſt: nos fidimus & laetamur vobis, vt diſcipulis fidelibus, vos nobis, vt magiſtris: quae ſit inſeparabilis neceſſitudo conditionis. His omnino praemiſſis, fidei faciundae amorique firmando, iam accedit ad rem ipſam cauſſamque: qua neget, conſtantiam ſuam ab illis requiri, aut leuitatem accuſari poſſe. Quae duplex cauſſa eſt: immo triplex fortaſſe: vna, vel prima, aduentus ſepoſiti: altera, inceſti reuocandi: tertia, auctoritatis ſuae a falſis doctoribus vindicandae: quorum omnium rationem ſibi conſtare, nec quidquam non factum vero animo, id eſt, a) ex neceſſitate, natura & vſu rei, b) amore in Corinthios, c) ſalubriter illis, iam deinceps approbet. Ac de aduentu quidem ſuo, vel profectione per Achaiam, eadem exponit vſ. 15. 16. qua rem ipſam, & ſe facturum fuiſſe, profitetur, quae oſtendiſſet 1 Cor. 16, 5—7. idque illa fiducia, quam antea expoſuiſſet, conſcientiae recti ſenſus morisque ac

de-

doctrinae, amoris quoque in Corinthios sui, horumque in ipsum: vt Corinthii perfunderentur *altero* gaudio, id est; nouo, relato, rursus visi Paulli: vel, vt denuo laetarentur, pro dolore ex luctu illis incusso per incesti poenam: quod gaudium sequeretur & exciperet illam poenam, cui quasi *secundum* succederet. Sic δεύτερος quodammodo ponitur Ebr. 8, 7. Etsi ibi πρώτη praecedit; notat tamen ibi manifesto, quod, *diuersum* priori, succedat in eius aboliti locum. Sed enim, hoc consilium sibi mutatum, ostendit Paullus, iis de caussis, quas memorat vl. 23. quod parceret iis: nempe, ne feriret eos seueritate castigandi: quam ne adhibere cogatur, vereri sese, ostendit 12, 20. 21. quin plane adhibiturum, 13, 2. Quare hic fidenter ex iis quaerit, vs. 17. ecquid iis videatur egisse leuiter aut inconstanter & varie, qui distulerit aduentum constitutum, quem distulerit, vero consilio, parcendi illis, spatiique dandi ad meliorem sensum moremque, amore parcente Corinthiis, salubriterque adeo, distulerit, vt, interim in melius versi, laeto deinde animo ipsum opperirentur. Hoc ita cogitans, inquit, animo voluens, vt ad vos venirem, ecqua leuitate visus reperior? (τῇ est pro τινί, vt Ioh. 1, 21. ὁ προφήτης, *aliquis* prophetarum: & 1 Thess. 4, 6. ἐν τῷ πράγματι, i. e. ἐν τινὶ τ. ρ. Vbi nil attineat, deleto circumflexu legere, τῶ· neque enim ἀττικίζει Paullus; nec praeponunt Athici illud τῶ. & illa loca docent, articulum ita poni;) An, quae statuo,

tuo, pergit, ſtatuo κατὰ σάρκα; id eſt, vt homo promiſſi memor, ſuae dignitatis ſuperbius tenax, vt promiſſa reddam, aut decreta efficiam vtique & praefracte, ſecurus, an noceat, effici, dum fides conſtet verbis meis, vel cum incommodo aliorum, & cauſſae grauioris damno? Ita enim continuantur iſta verba; vt apud me *profecto* ſit profecto, & *non* ſit non, id eſt, vt, quod ſemel ottenderim, me facturum, faciam, vel importune κατὰ σάρκα, mihi commodus vni, meae dignitati ſeruiens, vt auctoritas mea conſtet, fidesque probetur, nec mutari diceat ſemel decreta, vtut deinde rectius mutari, viderim. Quod cum in profectionem meam cadere, vidiſſem, vt rectius differretur: non laboraui, me falſum me haberetis, qui non veniſſem ex promiſſo. Grauiora enim videbam ac ſequebar: vobis conſultum ibam: vobis parcebam: quae cura potior eſſet ipſa fide promiſſorum. Immo mihi, tatis eſt, pergit, vſi ita, quod doctrinae meae fides conſtitit, ab ipſo Deo firmata: vobis ipſis agnita, non varia, non ita & non ita, ſed *ita* plane certa, vera, immutabilis; vt ſint omnia promiſſa Dei per Chriſtum, maieſtati eius illuſtrandae, non gloriolae vindicandae meae. Quorum fides *per me* tamen conſtitit, eorum interpretem: vt ne ſic quidem laborandum mihi ſit de fide mea, vt ſatis probata vobis in doctrina Chriſti vobis prodenda; vt facilis ſit iactura promiſſi de aduentu meo. Hic eſt, opinor, loci tenor, non adeo promtus; ſed quem ita ſatis per-

perſpicue & molliter procedere, putem. Aperit autem mores Paulli: prudentiam mutandi aut ſuſtinendi morandique decreta, quin promiſſa adeo, ſimulatque viderit, offectura amori aliorum & ſummae rei: modeſtiam nil laborantis de opinione fidei ſuae, dum Deo & Chriſto fides habeatur: liberalitatem non laborantis in re ſua & leuiori, dum conſulat commodis aliorum & cauſſae grauiori: amorem in Corinthios, quibus, vel cum ſuſpicione & opprobrio leuitatis & vanitatis in ſe, tamen parcat. Quod propoſitum ſibi fuiſſe Deum teſtatur, vſ. 23. vt plane mores firmet tueaturque ſuos. Quod rurſus ne arroganter dictum interpretentur, quaſi aſſerat ſibi tantam vim atque reuerentiam, vt terrori illis velit aut putet eſſe aduentum ſuum, quaſi magni regis aut iudicis, quem non ſuſtineant iratum: ſapienter corrigit & diſerte: τὸ ἀφυβῶν vocat Theodoretus, quaſi refrenandi aut ſufflaminandi cauſſa additum: vſ. 24. non, quo mihi regnum aſſeram aut arbitrium veſtrae profeſſionis, vt me timeatis, ſi illam parum probaritis, vt mihi obnoxii, mihi rationem reddituri, mea cauſſa probaturi, ne ego iraſcar, aut vos caſtigem: minime vero! Ego me adiutorem profiteor, nil aliud, fidei veſtrae, cuius opera ſitis eo perducti, vt Chriſtum teneretis, in eo tuendi a me & iuuandi. Quod opus eſſe, probat addito: nam fide (ſola, vnice,) ſtatis, Deo probamini, placetis, veram ſapientiam virtutemque tenetis, nunc tranquilli, olim beati futuri. Ergo,

go, inquit; omnia sunt a me adhibenda, vt retineatis formulam fidei: vnde &, cum venero, vel seuerioribus remediis agendum erit. Ita vbi de aduentu suo Corinthiis satisfecit, ob iustas causſas dilato: iam & de altero satisfacit, incesto recipiendo. Id quoque a se datum, ostendit, vero consilio & salubri, non leuitati aut ambitioni, sed Corinthiorum amori veraeque vtilitati. Primum animo vero, ne diutius doleret luctu, qua Corinthiorum, qua illius, olim improbi, nunc miseri. Decreui, ait, vs. 1 non ergo leuiter egi, sed iudicaui re perpensa, stat sententia, (vt ille apud Plinium Corellius, Ep. 1, 12. 10. κέκρικα,) non venire ad vos ita, vt rursus dolorem vobis incutiam: πάλιν, *rursus*, vt iam supra notatum est, hic non pertinet ad ἐλθεῖν, sed ad λύπην, quasi, ἐν πάλιν λύπῃ, vt vos denuo terream; nec dum enim antea ad Corinthios venerat dolorem effecturus: at absens mouerat dolorem, eiiciendo illo homine, & increpanda securitate Corinthiorum; 1 Cor. 5. quem instaurare dolorem, aut porro, pati, eos affligere, nolit; quod fiat, si diutius manserit illa poena: iam abolenda, ait, 1) vt ego vobiscum laeter: vt & vos gaudeatis, liberati illo dedecore, & homine ipso in melius verso, in integrum restituto, & ad me gaudium e vestro redundet, non redundaturum, quoad vos dolentes videro. En pectus apostoli, gaudere nescii, nec solatia capientis, ne admissuri quidem, nisi gaudentes viderit Corinthios suos: tanto certius, (fidem

enim ſemper adſtruit dictis e natura rei ipſa;) quod iis ipſe exſtiterit luctus cauſſa. Dolore, inquit, vos percutere ſum coactus; id dolori fuit ipſi mihi. En humanitatem, liberalitatem, non libenter inhibentis ſeueritatem, ne ſalubrem quidem, nec niſi neceſſario; tunc quoque cum dolore, vt miſericors medicus adhibet! Quem dolorem, pergit, quid eximat mihi, quid omnino me reddat compotem gaudii, niſi ſublata materia e vobis dolendi? Res ipſa loquitur; ſed & pectus. Nam, qui dolorem mihi inuſſit, inceſtus, ait, non mihi ſoli inuſſit, vel dedecore flagitii, vel poenae neceſſitate, ſed & vobis, plerisque certe. Tres ergo ſumus, qui doleamus: ille inceſtus, vos Corinthii, ego Paullus: quorum nullus gaudere poſſit, altero dolente. Nam neque ille animo laeto eſſe poſſit, quoad nos eius flagitio doleamus: nec vos, niſi illo reſtituto, me placato, neque ego denique, niſi & illo recepto, & vobis inde laetantibus. Euellam ergo radicem vnicam luctus, illo vobiscum, (id eſt, probantibus vobis,) reſtituendo: ita & ille dolere deſinet, & vos tranquilli ageris: ita & mihi eiicietur materia dolendi de illo & vobis. Ita oſtendit, rationem ſibi conſtare, & hic mutanti ante decreta: ne iniquo dolore abſumatur, iam ſatis caſtigatus: vſ. 6. 7. ne incommoda aut pericula in illum illosue redundent, ſi in deſperationem verterit, ex venia negata: vſ. 10. 11. Ita & prudentiam probat ſuam, videntis, quid conſequatur ex pertinaciori ſeueritate, & liberalita-

tem

tem, non puniendi vltra neceſſitatem, & mutandi ſeueritatem ac mitigandi, vbi primum viderit, a) non amplius neceſſariam, b) vltro nocituram: amorem quoque in Corinthios; quorum non vtilitati modo ſecuritatique conſulat, ſed & laetitiae tranquillitatique inſeruiat, vt ſemetipſum ferat expertem gaudii, niſi illis conſtet eius ratio. Aliud idem aperit conſilium ſuum, vſ. 9. ideo ſe ſcripſiſſe, profeſſus, vt experiretur, ſatin' promtos illos & obſequentes haberet ad cuncta, in omnem partem, vt antea, ad extrudendum illum, ita nunc, ad eundem reuocandum: vt poſſent ac vellent vertere conſilia ſecum, ſe auctore, ex vſu quidem rei. Quod rurſus, ne imperioſius videatur dixiſſe, mollit humanitate & liberalitate ſumma: vſ. 10. cui vos veniam dederitis, dedero & ego: nec plus repetiuero a vobis, quam vobis obtulero: aequum eſt, me vti obſequentibus vobis, ipſum vobis obſecuturum, hac ipſa in cauſſa; in qua, vt in aliis, vbi par ſit, veſtram ſententiam habeam & ſequar praerogatiuam meae. Haud dubie enim Corinthii detulerant ad Paullum, Tito interprete, (7, 11—13. ſequ.) voluntatem ſuam reuocandi illius hominis, qui poenitentiam ſeriam, & Paullo, & illis, probaſſet: vnde rogat, vſ. 5. quod ipſi rogaſſent. Ita hoc vulnere perſanato, probataque ſua conſtantia, quae non ſit in peruicacia tenendi ſemel inſtitutum, qualem Stoici in ſapiente vrgebant, ruſtice fane atque importune, ſed in ſequenda natura rei &

vsu temporum, perpetuo studio verae vtilitatis eorum, quibus consultum velis: quibus si commutata ratio profutura intelligatur, si nociturus sis retinenda priori; parum vtique tibi constiteris *nocendo* illis, quibus *prodesse* velis: probato porro amore suo & vtilitatis Corinthiorum cura, iam incedit elatus gaudio rei tam feliciter compositae, memorata sollicitudine, vs. 12. quam senserit, antequam certo cognosceret exitum rei. Quam sibi tantam aegritudinem fuisse, ostendat, vt, cum yteretur facultate & materia laetissima euangelii propagandi, campo ei rei magno aperto, qua non posset alioqui maior laetitia animo eius offundi, tamen non conquieuerit animo aut constiterit, sollicitus de Corinthiis, de quibus certa & laetiora nuntiaturum nondum vidisset Titum; adeo praeualuisse de Corinthiis curam, quae omnem alium laetitiae sensum obscuraret atque obrueret. Qua impatientia victum sese, relictis illis hominibus, apud quos tum ageret, in Macedoniam excurrisse, vt liberaretur illo aestu dubitationis. Quo liberatus tandem, gratias agit Deo, vs. 14. qui ipsum & doctrinam euangelii, veluti victricem, per tot discrimina expedierit, ac velut odorem grati vnguenti, vbique sparserit, salubrem ac iucundum, iis quidem, qui rite exceperint, hauserint, tenuerint, adhibuerint, quem vocat *odorem vitae*, i. e. rem salubrem ac laetam; secus pertinacibus, atque inde perituris: quibus sit mortifer ille odor, in perniciem vertat, (ipsorum quidem culpa,) tan-

to grauiorem, quo maiorem beneficii copiam oblatam ſpreuerint atque repudiarint, quo maius periculum, iis commonſtratum, non declinarint; quod fieri aliter non poſſe, demonſtrat vſ. 17. rurſus notans mores ſuos, non *cauponantis* formulam euangelii, id eſt, corrumpentis, mutantis, diſſimulantis ambitioſe, ne quos offendat, aut vt commoda ipſe capiat ex illa commoditate promendi non vera, ſed grata & placitura; verum promentis ſincere ac ſimpliciter vera, ſalubria, vtut moleſta nonnullis & acerba, vt medicamina ſaepe ſolent: plane vt Deus tradiderit & praeceperit, ex cuius mandatis ac praeſcriptis nil detrahere, nil mutare, nil addere in hominum gratiam poſſint aut velint. Quod paſſim *retro* dirigitur, ad inceſtum eiectum, & Corinthiorum in eo flagitio patientiam increpitam; moleſte illis quidem, at diuinitus, at ſalubriter: & *porro* ſpectat falſos doctores, a quibus vindicatum ſeſe ea in poſteriori parte Epiſtolae: quorum ambitio improba, & lucri ſtudium, quaſi cauponetur ac nundinetur, impio praedetur, in doctrina euangelica non ex vero habenda, ſed hominum ſtudiis accommodanda atque attemperanda. Quam peruerſitatem a ſeſe alieniſſimam eſſe, iam porro demonſtrat apoſtolus, per Capp. 3. — 7. idque 1) e praeſtantia muneris euangelici & apoſtolici, c. 3. quam tamen hic non notamus, vt ad mores apoſtoli non pertinentem: niſi, quoad notat, 3, 1. 2. vim eius probatam ipſis Corinthiis, & in ipſis, vt commendatione

ad illos haud egeat, quippe ab ipsis commendandus, immo iam commendatus, cum sint ipsi quasi epistola commendatoria Paulli ad alios, quia ad Christum versi Paullo ministro, ostendant, vere illum esse apostolum. Deinde fiduciam notat suam, qua feratur in Deum, ideo, quod ab ipso acceperit & facultatem, & auctoritatem, sustinendi muneris euangelici: vs. 4. Vbi modestiam simul ostendit, negando, ex se esse illam facultatem, quam a Deo repetat solo: vnde iam 2, 16. dixerat: ad haec (efficienda, tenenda,) quis aptus est? Id est: nemo per se, aut ex se, satis ad haec valeat; nil nobis arrogamus ex ista efficientia doctrinae euangelicae; Dei est omnis, vel ipsa, vel virtus eius: ita tamen, vt apostoli sint eius ministri atque interpretes. Ita & sibi asserit sua, nec Deo aufert: plane vt 1 Cor. 15, 10. Dei beneficio sum, quidquid sum: id est: 1) sum sane aliquid; sed 2) non a me, aut per me, sed a Deo: & porro: fauor eius & beneficium in me irritum non fuit: id est: 1) effeci plurima, maxima, sed 2) Deo iuuante, efficiente in me, per me: plus omnibus praestiti; non ego tamen, sed Dei virtus; per me tamen, & in me. Hoc nimirum est, secum habitare, se nosse, nec bona sua ignorare, neque infirmitates suas: neque abiici, nec rursus vltra verum extolli. Ergo hic fiduciam monstrat Dei, quo auctore sit apostolus euangelii: cuius 2) euangelii praestantiam demonstratam inde a vs. 6. ad 12. e contentione cum lege,

ge, iam oſtendit, ſibi eſſe alteram cauſſam ſummae alacritatis: vſ. 12. Hac ſpe recti, nempe, vt confidamus, Deum nobis affuturum, neque operi ſuo in nobis ac per nos defuturum, immo illuſtraturum eundem ac vindicaturum praeſtantiam doctrinae, qua nos inſtruxerit, cuius interpretes nos eſſe voluerit, hac ergo ſpe erecti, vtimur libertate & alacritate multa, vel ſcrutandae doctrinae, vel promendae; vtrumuis enim intelligi licet vſ. 13. vbi negat, velamen a ſe aliisque opponi, Moſis ritu, ad vultum, vel contemplantium doctrinam Chriſti: quod intelligi, docet oppoſita vſ. 13. — 16. ignorantia Iudaeorum, qui nequeant adſpicere Moſen, id eſt, non aſſequantur vim legis, quam audientibus obſtet quaſi velum ignorationis, quominus videant veram conditionem & morum legis, non eo pertinentem, vt per opera & facta Deo probemur, ſed vt videamus neceſſitatem ſatisfactionis a Deo praeſtitae: Rom. 3, 20. 27. 9, 31. — 33. 10, 3. 4. & vero Leuiticae, quae tota ſit plena figuris Chriſti, non intelligendis, niſi referantur ad Chriſtum, in quo res ipſa conſtiterit, per illas ſignata: quod docet Ebr. 9. & 10. quae per ſe valere rati Iudaei, nil videant, veroque vſu & conſilio legis excidant: quae omnia apparitura ſint ad Chriſtum verſis; cum e diuerſo Chriſtiani, in primis Apoſtoli, vſ. 18. velut in ſpeculo contueantur maieſtatem Chriſti, aperto vultu, vel Chriſti viſi, vel ipſorum videntium; vnde ipſorum ſapientia, ſanctitas, fe-

licitas, laetitia, perfectio omnis virtusque, augeatur ita, vt par sit effici per virtutem Spiritus S. vs. 17. Quae omnia magis loquantur libertatem vsumque *noscendi* & contemplandi, nullis, quasi vinculis impeditam. Sed quia & doctor tamen vtique loquitur Paullus, vt per omnem epistolem, ita Cap. 2. extr. & huius initio, manifestoque refert cognitionem suam ad Corinthios, aliosque Christianorum, 4, 2. 5. 6. 7. sane & *docendi* libertatem intelligi licet & ipsam, qua sese vti ad Corinthios, & alibi dicat, omnia promentem, quae vera & salubria esse diuinitus cognouerint, nemini parcentem aut lenocinantem cum veri fraude aut salutis periculo, 4. 2. Qua probitate & fortitudine liberali differre se maxime, aiat, a falsis doctoribus, ad quos ista iam velut eminus directa tendere, quos istis quasi tormentis peti, appareat. Qua conditione porro persequitur morem suum 4, 1. — 7. constantiam professus non deficiendi animo, vs. 1. etsi vexetur calumniis, iactetur calamitatibus; Deo tamen fidem probare, a quo mandatum sustineat munus: vs 1, cuius auxilium in summa iactatione & infirmitate sua etiam sit expertus, & porro experturus, vs. 7 sequ. tanto potentius, quanto minus virium & auxilii in ipso eum esset, tamen ex tot malis eluctatus, non viuat modo, sed & laetus agat. Cui sese Deo tam praesenti debere, ait, fidem summam operae ministeriique: quam probari a se, ostendat, 1) non deficiendo, 2) abstinendo omni improbitate;

quam

quam hic non vitae intelligit, vſ. 2. ſed doctrinae: vt apparet ex ipſo vſ. 2. non corrumpentes *doctrinam* Dei, ſed vero promendo probantes nos ita, vt omnes homines id agnoſcant, id enim eſt, ad omnem conſcientiam hominum) & ipſe Deus omniſcius videat. Ergo hic χεμπτὰ τῆς αἰσχυνης, quae vſ. 2. dicit, ſe ἀπειπασθαι, repudiare, fugere, cauere, non tam ſunt facta turpia, quam conſilio inſeruiendi commodis & conſiliis hominum, ac per id ſuomet lucro; quod falſi apoſtoli agebant, 1 1. 20. quorum πανουργίαν, negat, ſe imitari, callidam improbitatem, artes ambitioſas, honori & lucro captando: contra autem ita verſati, vt, memor, Dei ſeſe miniſtrum eſſe, ei ſoli probetur, rationemque reddere poſſit, ſed & hominibus, recte iudicantibus, vera magis & ſalubri ſpectantibus, quam ſpecioſa dictu aut laeta, agnituris tamen illa, vtut alii non intelligant, ſua culpa perituri, quia patiantur, ſe a diabolo obcaecari, vſ. 3. 4. (Qui niſi eſt Deus & Numen hominum improborum, cui pareant, cuius vim ſentiant in animis ab illo obfirmatis, non video, ac ſcire velim quis ſit, aut quis dici hoc nomine poſſit, aut caecare dici homines, ipſe agens vi ſua.) Ita profeſſus fidem ſuam, conſtantiam, probitatem animi, ſimplicitatem virtutemque docendi, alienam ab omni ſpecie aut aſſeueratione ſapientiae humanae, nil tribuentem ſibi, omnia Deo, nil promentem de ſuo, ſed diuinitus cognita, per Spiritum S. quae non temere ab ſe iactari, docet partim ipſa in-

genuitate professionis, a se omnia ad Deum reiicientis: quod non sit profecto hominis sibi placentis: partim per ea, quae de sua ratione docendi attulit, ipsis testibus Corinthiis, 1 Cor. 1, 15. 17. 23. 2, 1—5. 3, 5. 11. 4, 1—7. professus idem animum ob omni ambitione alienum, satis probatum seueritate puniendi incesti, sed eundem ab asperitate remorum, rursus ita probatum recipiendo eodem, & solandis Corinthiis, iam ita fatetur infirmitatem suam, vs. 7. vt & modestiam probet, fragilitatis suae conscium sibi, quam fictili vasi comparet: id est, ostendat, 1) se esse haud sane dignum aut idoneum, qui sustineat talem thesaurum doctrinae Christi & muneris apostolici: vt fictilia vasa & testacea non sunt digna rebus pretiosis: 2) periculo labendi errandique obnoxium: vt nil facilius citiusue frangitur testa aut facilius effunditur, quam quod parum tuta contineat: 3) expositum discrimini calamitatum & mortis: quam hic vel maxime spectari conditionem testaceae fragilitatis, patet e vs. 8—11. Sed ex eadem conscientia infirmitatis suae, quam vere & intime obuersari animo suo, docet describenda sorte, qua vtatur, ex hac ergo ipsa repetitam ostendit fiduciam auxilii diuini, & inde oriundam alacritatem perpetiendi cuncta, ne mortem quidem metuendi: nixam illam a) voluntate Dei, qui, cum iusserit ipsum esse apostolum, vires quoque suppediteret impari sine iis futuro: b) maiestate & consilio Dei, hoc ipso ostendentis, suum esse opus, quod

nul-

nullo modo ſuſtinere aut perficere poſſit humana fragilitas: vſ. 7. Eam ὑπερβολὴν δυνάμεως vocat, ſummam potentiam, non modo ſuffecturam tot ac tantis periculis tolerandis, difficultatibus vincendis atque expediendis, ſed & plus, quam ſatis ſit, valituram: vt Rom. 8, 37. ait, eadem de re; ὑπερνικῶμεν, plus virium habemus, quam requiratur ad illa vincenda; aliquantum etiam ſuperat vel ad plura & maiora vincenda: Quae vis ac virtus, in tanta ipſorum infirmitate, intelligatur eſſe ſolius Dei, id eſt, diuinitatem probet doctrinae, quae, ab hominibus propoſita tam infirmis, per tot ac tanta obſtacula tamen expediatur quae & extrinſecus oblata vincat & vero animis docentium addat eam alacritatem, quam deſcribit vſ. 8. ſequ. vbi notat & ſortem, qua iactetur, & alacritatem, qua illam vincat: ita preſſi vndique, ait, vt nunquam tamen in anguſtiis haereamus, aut vlla in re laboremus: multis rebus deſtituti, multis difficultatibus colluctantes, qua veri noſcendi & promendi, qua erroris refellendi, qua dubitationum exſoluendarum, qua improbitatis reprimendae, qua periculorum tolerandorum, non vt tamen plane inopes auxilii deſtituamur, aut deponere rem cogamur: vexati ſaepius ab hominibus, non deſerti a Deo: male mulcati, vulneribus, plagis, vinculis, minis, inſidiis, vi aperta tentati, nondum defecimus tamen, nec periimus: mortem denique Chriſti, quaſi *interfectionem*, conditionem morti obnoxiam, ad diſcrimina mortis ſaepius in-

intentatas expositam, circumgestamus, versantes in quotidiano ac perpetuo sensu & periculo mortis propositae atque intentatae, Christi & exemplo, & caussa: ea tamen conditione, quae nos mirifice erigat: vt & vita Christi illustretur in corpore hoc mortali: id est, vt, seruati ex isto periculo, discamus, aliosque doceamus, & ore scriptoque, & exemplo, viuere Christum, qui eripiat sua caussa periclitantes: vt viuamus eius auxilio, sed & exemplo, sancte, cum contemtu rerum huius vitae, cuius propediem relinquendae admoneamur quotidiano periculo mortis: cum spe vitae coelestis, vt denique nunquam posthac morituri viuamus cum Christo, eius exemplo, eius virtute sociati cum illo ad vitam aeternam, redituri per illum. Ita & sensum aperit animi sui, & quo fundamento nitatur, vt constet, verum esse illum sensum, id est, & vere adesse in animo, per caussas, quas sibi intelligi, afferendo ostendat, & recte & cum idonea ratione adesse & vigere. Quem quidem sensum animi sui communicat & quasi partitur cum Corinthiis suis, incommoda sibi seruans, bona illis, quasi vnice destinata, cedens; vs. 12. in nobis mors exserit vim suam, quotidie intentata, subinde nos ablatura; in vobis autem vita, non modo, (etsi & hoc,) quatenus vos nunc tuti agatis, non vexati, aut in discrimen mortis, vt nos, deducti; dum nos, vt milites, pro securitate ciuium excubantes depugnantesue, caput nostrum pro vobis morti obiiciamus; sane enim tum va-

ca-

cabant Corinthii calamitatibus, grauioribus certe: 1 Cor. 10, 13. vt Ebraei, 12, 4. & tamen in periculis primae tum erant partes apostolorum, vt deinde episcoporum; sed & quatenus, ait, per illam doctrinam, quam cum periculo nostro tueamur, per exemplum constantiae nostrae, vobis alatur & firmata seruetur ac constet vera vita & solida, sapientiae, sanctitatis, constantiae, fugiendi & spernendi humana, spei & fiduciae coelestis vitae. His vitae bonis dum vos, inquit, fruamini, nos libenter sane & quotidie moriamur. En apostoli pectus! Non ille vult aliis acerbus esse, vt sibi sit dulcis, sed sibi acerbus, vt sit aliis dulcis: plane Christi exemplo, paupertatem sua sponte subeuntis, qua nos ditaret: 2 Cor. 8, 9. Vnde ergo illi tanta alacritas, tantus amor? Nempe ex illo fonte, vnde omnis virtus manat: ex *fide*: vs. 13. Cum habeamus eundem (aut vobiscum, aut nobiscum, aut cum Dauide, cuius verbis vtitur; illud praetulerim, & vt grauius ac planius, quin & amantius: & quia nondum attulit verba Dauidis, quem ne nominet quidem:) eundem ergo Spiritum fidei, (id est, fidem, sensum fidei, aninum fide plenum: aut, si quis maluerit, Spiritum S. fidei auctorem: hic enim non pugnauerim, vbi vtrumque liceat:) sicut scriptum est: (non de nobis vtique; sed de Dauide, a Dauide dictum conferre datur in similes:) credo; (Deo) ergo loquor: effundo, quibus implear, plenus & erectus fiducia Dei, nec quemquam metuo: ita & nos

lo-

loquimur, vera, grauia, ſalubria, explorata nobis, certo cognita, magni facta, non ergo reticenda; fortiter, amanter, nulla ambitione Dei & veſtra cauſſa. Ergo fidem ſuam hic profitetur, efficientem & alacritatis, quia ſciat, & vera eſſe & magna, quae promat: ea enim conſcientia affert libertatem loquendi. Nam & falſa non niſi verecunde, cunctanter ac trepidus eloquare: nec vera ſat libere promas, vtique moleſta aliis, niſi, grauia eadem, ſalubria, neceſſaria eſſe, ſcias: id ipſum haud feceris, niſi amore plenus eius, cuius cauſſa loquare. Dei autem & Chriſtianorum cauſſa Apoſtolus loquebatur, a Deo ſuggeſta, iuſſa, neceſſaria Corinthiis, profutura. Quaenam ergo illa? Nempe, quae vſ. 14. ponit: Scimus enim, & cognitum & certum habemus, eum, qui Chriſtum ſuſcitauerit, & nos ſuſcitaturum, & vos nobiscum. Ergo & *certa* res eſt, nixa reditu Chriſti in vitam, quod eſt fundamentum, vt omnis doctrinae euangelicae, ita reditus noſtri in vitam, quo ſublato, omnis ſpei & laetitiae conditio auferatur vtentibus hac vita tam moleſta tamque exercita. Sed & *grauis* res eſt. Quid enim maius aut laetius afferamus illa ſpe melioris vitae? Sed & *veſtra* res agitur. Nam & ipſi redituri eſtis in vitam. Quare reticere vetat amor Dei & veſtri, quae eo faciant & pertineant, cohortationem ſpei, fidei, conſtantiae, virtutis & ſanctitatis. Ad vos, inquit, omnia referuntur: vſ. 15. Veſtra cauſſa fit, quod docemus vos euangelium, quod labo-

ra-

ramus ac periclitamur; exemplo praelucemus, fidem seruaturis, vobismet salutarem: nos erigit solatio Deus, quo vos vicissim erigamus: 1, 4. 6. Quae omnia rursus ad Dei maiestatem pertineant ac redeant, cui pro tot ac tantis beneficiis gratia debeatur. Reliqua, quae affert a vs. 16. rel. & 5, 1—8. de salutari efficientia calamitatum, de vita aeterna, de corporis ipsius meliori olim conditione futura, iam supra in *Motibus animi* notabamus, huc reuocanda, quia pertinent ad *mores* Paulli, exponentis alacritatem suam, vt ratio constet ac fides. Sed, quae deinde affert, 5, 8. sequ. morum proprie sunt, ea conditione, qua iam quodammodo proludat defensioni contra falsos doctores: quod innuit vs. 14. 15. vno nixa omnia fundamento, aut, si ita placuerit, duplici: 1) vt Deo per omnia probentur apostolii, vs. 9—11. 2) vt & hominibus probent amorem fidum, non adulatorium aut ambitiosum, non lucri studio simulatum, sed verum, naturae rei congruum, aliorum salutis memorem atque studiosum. Hunc sensum, hunc morem inde redundantem, profitetur deinceps, fidemque adstruit, inde a vs. 9. studemus, inquit, sola haec est contentio & gloria nobis, vt Christo probemur: (verum ergo Deum intelligi, par est, cui *vnice*, maxime probari velit, qui *hominibus* placere non curet:) siue hic in corpore agamus, siue, iam soluti corpore, ad eum euehamur in morte. Hac formula vtitur, quia de corpore locutus erat, inde a vs. 1. ad 8. Quid

er-

ergo tum proderit, inquit, hominibus placuisse, cum Christi offensione? Nempe talia iustum reddant tenacemque veri consilii, quem non ciuium ardor praua iubentium quatiat mente solida! Cum sciamus, inquit vs. 11. timorem Domini, Dei, Christi, id est, cum videamus causas tam graues Christi vnice reuerendi, omnia eo referendi, vt illi probemur, qui solus sit arbiter nostrae conditionis in aeternum: vel, cum sciamus formulam religionis, pietatis, voluntatis diuinae, (ex Ebr. יראת יהוה; illud tenori magis congruit:) hoc ergo cum sciamus: (non temere ergo agit, nec sensum obtrudit suum, sed causas affert probandas & ipsi, & aliis:) vt sic quoque oratio diserte *instructa* in animos influat:) homines ergo, & vos, Corinthii, πείθομεν. Hoc se facere, hoc posse aut debere, negat ille quidem Gal. 1, 10. ita, vt, si hoc agat, Christi minister esse nequeat. Satin' constanter? Quidni, si vis vocabuli alia est alio loco? Isto loco Gal. 1, 10. sign. inseruire hominibus, lenocinari, studere iis placere, idque vnice, solis & maxime, eos colere θεραπεύειν, vt bene ibi expl. Theodoretus, conari illos sibi conciliare, eorum odia & offensiones horrere, vitare; at hic notat, quaerimus iis persuadere, nempe, vera & grauia esse, quae doceamus, de Christo rediuiuo, ad iudicium venturo, rel. monemus homines, vt illorum memores agant: vel, vt Theodor. expl. conamur illos imbuere bona existimatione de nobis, probare illis nostram integritatem, & ab aduer-

uersariorum calumniis vindicare: quod bene congruat sequenti: Deo apparemus, noti sumus: ille nouit probitatem nostram, vtut hominibus ignotam, suspectam, impugnatam: hic nobis sufficit testis ac spectator. En pectus, Dei comprobatione contenti, eamque spectantis solam: ita tamen, vt & hominum existimationem haud iuxta habeat: quod sit aut illiberalis animi, aut stulti atque incogitantis, (magna enim vtilitas ostenditur e secunda de nobis opinione:) aut superbi, aut leuis, aut aliorum haud amantis; quem enim ames, ei improbus videri quî sustineas, aut contemnas? Ita & prudentiam, liberalitatem, & modestiam, & amorem in alios, profiterur. Spero enim, inquit, me & patere & probari iudicio vestrae conscientiae: nec me posse vobis suspectum esse improbitatis, vere quidem iudicantibus, doctrinamque & facta reputantibus mea. Neue haec arrogantius dedisse suae tantum gloriae videatur: neque enim quidquam diligentius cauet: Corinthiis a se omnia dari, ad eos referri, ostendit, vs. 12. 13. Nos non commendamus, aut venditamus, non nostra caussa nos defendimus; immo vltro vobis materiam sufficimus gloriandi de nobis. Nostram enim integritatem si agnoueritis, quos doctores habeatis, quorum discipuli sitis: ad vestram ipsorum existimationem hoc pertinet. Mali enim doctoris, id est, stolidi, rudis, falsiloqui, leuis, illiberalis, ambitiosi, sordidi, timidi, improbi, nequeat esse aut haberi bonus discipulus,

ſapiens, intelligens, grauis, fortis aut liberalis; κακῶ κόρακος κρακὲν ὠὸν. Veſtra ergo cauſſa agitur in exiſtimatione noſtra tuenda, vt nos opponere poſitis falſis doctoribus, gloriantibus & fidentibus *ſpecie* προσωπῳ, ſapientiae Iudaicae, ſanctitatis mere Leuiticae, non animo vero, ſapiente, fido, liberali, forti, Deo aliorumque amanti. En prudentiam Paulli, commonſtrantis veram conditionem, qua quidque haberi deceat: ſimul trahentis Corinthios in cauſſam ſuam, vt ſibimet conſulturos ipſis, dum Paullo ipſi reddant integritatem ſuam. Neque id callide; res enim loquitur. Nec vero vsquequaque diſſimulat, ſeſe laborare non de ſola tamen, aut veluti ſola, ſed quam & Corinthiis ſalutarem videat ac decoram. Quo nomine quod magis eam tueatur, laborare ſeſe, oſtendit, & Chriſti cauſſa, cuius doctrina, ſi ſuſpecti ſint interpretes eius, in ſuſpicionem trahatur ipſa: & Corinthiorum cauſſa, quibus ſit damno futurum, non ſatis fidere doctrinae Chriſti, cuius interpretibus male fidant, & dedecori, ſi ſuſpectos habeant ſuos doctores, & ſuſpectos eſſe ſinant. Ita, in ſimplicitate ſumma, & probitate amoris, conſulit tamen, non liberalius, quam prudentius, rei ſummae, Chriſti doctrinae, & Corinthiorum ſaluti, & amori in illos, & ſuae exiſtimationi: nec prudentiae rationem conſtare ſine probitate animi & conſilii, ſuo docet exemplo. At contra amor & Chriſti & Chriſtianorum, & prudentiam ingenio, & facundiam ori addebat. Nam

quid

quid disertius aut grauius verbis, quae sequuntur vs. 13. 14. Nam siue ἐξέστημεν, nempe τῷ νοῒ, (opponitur enim, σωφρονοῦμεν, modeste agimus:) id est, immodici ac nimii sumus, velut impotentes, stolidi, (vt ipse ait 11, 23.) in gloriando, (quod vt necessarium moliretur, redditurus c. 11. & 12.) quod per se stolidum sit, nobisque ipsis vt vobis, certo ac merito videatur; *Deo* id facimus, Dei caussa, vt fides constet doctrinae eius & muneri: neque horremus aut refugimus vel stulti haberi, dum Dei caussa stet, nec doctrinae Christi officiatur. Deo ergo haec damus, quem non lateat, nos vero consilio isthuc facere, non fastu, sed vindicandae doctrinae, quam voluerit a nobis proponi: quae teneri nequeat apud eos, qui nos, interpretes eius, habeant suspectos: seu modeste loquimur, vobis sit rursus: partim, vt nos ametis, nobisque fidatis, partim, vt nostro exemplo idem faciatis. (1 Cor. 4, 6.) Sed enim cur ita agimus? Quid implet nos tali sensu, vt omnia faciamus Dei caussa & vestra, ne stultitiae quidem opinionem declinantes, modo diuina auctoritas constet, nec salus vestra laboret, laboratura nempe, ni nobis fidatis, a quibus acceperitis doctrinam vnice veram & salutarem? Nempe Christi amor, id est, & Christi in nos, & noster in Christum, nos συνέχει, vrget, premit, vt ista sentiamns, velimus, faciamus: vel *continet* nos, iungit, & Christo, & vobis, vt Christi caussa vestraque, omnia & faciamus, & subeamus. Christi ergo

amore plenum atque concitum pectus prodit, quod & Christi amorem in nos reputet, & Christum redamans, omnia ei tribuat, ad eum referat omnia, alienas causſas & conditiones plane repudiet: vt nec noſtrae, inquit, exiſtimationi parcamus, nec veſtrum cuiquam, vtut ſuſpiciendo aut caro, nec vereamur dignitatem, potentiam, doctrinam cuiuspiam eorum, contra quos pugnemus: dum Chriſti amorem probemus, ei ſatisfaciamus, ſalutique conſulentes veſtrae, eius amore vos impleamus, atque ita probatum demus & illum, & vos a nobis vere amari. Cuius ſenſus fundamentum oſtendit, vim, conſilium & efficientiam mortis Chriſti, vſ. 15. *ludicamus* enim hoc, inquit, ſcimus, ex rei natura & auctoritate diuina, ſequimurque eam rationem, vt exploratam: ſi vnus eſt mortuus pro omnibus, Chriſtus, omnes ergo mortui ſunt atque intelliguntur. Et ſane, pergit, ea de cauſſa mortuus eſt, vt, qui viuant, non ſibi viuant, non vt ſui iuris, non ad ſemet omnia aut quicquam referentes, ſed ei, qui pro illis, eorum & vice & cauſſa, mortuus ſit, idemque in vitam reuocatus, vitae illis auctor. Hoc quid ſibi velit, quorſum pertineat, hoc quidem loco, nam per ſe quidem nil habet obſcuri, apparet e vſ. 16. vbi pergit: Quare ne nos quidem iam quemquam nouimus aut reſpicimus κατὰ σάρκα, id eſt, vt hominem, quod ſit ille vel ille, notus nobis, carus, ſuſpiciendus, vt parcamus ei, inſeruiamus, ei nos venditemus, aut eius doctrinam

fa

facundiam, alia decora mere humana, vereamur; ſed omnes habeamus eo loco, ea conditione, qua referantur ad Chriſtum, quatenus ſint Chriſtiani, vel non ſint: ſat'in' probentur vera cognitione, ſtudio, cultu Chriſti: hoc probatos amamus, laudamus; in hoc laborantes, aut vitio, aut ſegnitie, aut etiam animo improbo, improbamus, reprehendimus, retundimus, qualescunque tandem, quamlibet honorati agant, docti, diſerti, nobis vt homines, κατὰ σάρκα, cari aut coniuncti. Quare nolite mirari, ſi nec vobis, promendo vera, vtut acerba, promenda tamen, quia inſeruiant Chriſti cauſſae. Quem ipſum Chriſtum iam non nouimus, inquit, κατὰ σάρκα, id eſt, vt hominem, tenui ſorte & conditione, quali erat, cum verſabatur in terris: aut, ſi non intelligitur Ieſus, verus Meſſias, in *concreto*, ſed Chriſtus, Meſſias omnino, ſign. κατὰ σάρκα, vt regem, potentem ac ſplendore externo florentem, qualem Iudaei exſpectant, & nos, ait Paullus, exſpectauimus, priusquam meliora edocti amplecteremur; nunc multo ſecus eſt: nunc ſcimus, eſſe Deum, Dei filium, dominum & regem πνευματικὸν, *moralem* animorum datorem ſapientiae, virtutis, felicitatis, non corporeae vtique aut terreſtris, ſed animi & coeleſtis. (Theodoretus intelligit Chriſtum iam non παθητὸν, morti obnoxium: vnde iam nemo ſit obnoxius morti. Quod, vtut verum per ſe, a contexto tamen alienum eſſe apparet.) Ad hunc ergo Chriſtum, talem, pergit Paullus,

cuncta iam reuocamus: ad hanc eius formulam cuncta referimus: illi apta aptosque probamus; illi aliena alienosque improbamus, impugnamus: vt legati atque interpretes eius, vſ. 19. 20. cui rationem reddituri ſimus cauſſae ab illo mandatae. cui ſoli a nobis inſeruiendum ſit, tum ex mandato, tum ob rei magnitudinem grauitatemque, omnia ſuperantem, vt quae pertineat ad homines Deo reconciliatos per ſatisfactionem Chriſti, quem Deus, innoxium, culpae omnis ignarum, expertem, habuerit vt affinem culpae, vt piaculum, quo nos ei probaremur. Tantae cauſſae omnia cedere oportet, omnem metum, omnem ambitionem, omne ſtudium rerum a Chriſti cauſſa alienarum. Cui ſe inſeruire profitetur C. 6. non modo docendi ſeueritate, ſed & morum integritate, conſtantia perferendi calamitates, & ſtudio aliorum cohortandorum: quos adiuuari a ſe, dicat, & cohortando ac monendo, ne tantum beneficium Dei fruſtra acceperint, 6, 1. 2. ſed rite gratique vtantur tempore & copia nouae formulae per Chriſtum proditae: ſed & exempli auctoritate; quod proponit vſ. 3. — 10. vere *morata* oratione; ita vos hortamur, (nam particip. διδόντες pendet a verbo παρακαλοῦμεν, vſ 1.) vt ipſi neminem laedamus vllo exemplo malae rei. En egregiam cohortationem, & plane apoſtolicam! Bono *exemplo hortamur*, non doctrina tantum aut oratione, quae laboret fere, niſi exemplo fulta; hoc firmata, vim ſuam potentius exſerat.

Quae

Quae vetemus, ipsi cauemus, ne mumus culpetur aut reprehendatur, diuinitus nobis iniunctum. Ita aperit pectus, quo consilio recte agat, quid ipsum impellat. *Fidem* enim consilia faciunt, si *causſa* apparet faciendi: simul liberalitate factum commendant. Cunctis, pergit, nos συνιστῶμεν, vſ. 4. exhibemus, probamus: (nam *commendandi* notio hic est aliena;) vt Dei ministri, vel ministros: ita viuimus, vt decet legatos & interpretes Christi: vt pateat, non nobis nos inseruire, aut hominibus, sed Christo: sed nec fidere nobis hominibusve, aut parcere cuiquam ambitiose, aut consulere sordide, sed omnia ad Christum referre: Cuius etiam causſa pati sese, dicat, nec curare aut refugere mala, quae recensſet vſ. 5—8. incommoda, pericula, labores, pugnas. Quae omnia deducit per partitionem oratoriam, vel hypotyposin, suo loco notandam: timeri a se quidquam, negat, vſ. 6. seu vincula, seu iactationes itinerum, non verbera, non inediam, non vigilias, non contemtum aut conuicia: quorum nil non sit grauissimum; nullo officio, nulla parte virtutum vacare, vſ. 7. non castitate, vel integritate & abstinentia, non prudentia cauendi exempla & consilia nocitura, indulgendi infirmitati cuiusque, sed & resistendi improbis, aut errorum auctoribus: (quam prudentiam, γνῶσιν, & Corinthiis commendat, 1 Cor. 8. 9. 10. & suo exemplo monstrat, vt Gal. 2. 3. 4. 11.) non amore vero, nullis lucri studiis dato: auxiliis se-

se vti, doctrinae, cui fidat, vt verae & salutari: potentiae diuinae adiutricis, armis his ipsis, & dextris, ad impugnandos errores ac mores aduersariorum, & sinistris, ad defendendam & doctrinae fidem, & sui muneris dignitatem & vitae integritatem, vel retinendam, vel a calumniis vindicandam. Male Theodoretus expl. dextra & sinistra, laeta & aduersa. Paganis mos est, ita loqui ex superstitione, aliena Iudaeo, Christiano, apostolo; nec congruit aut armorum notioni, aut praepositioni ἐτί. Ita affecti animo, ita agentis conditionem pingit antitheſi egregia & oxymoris, non veris minus, quam acutis. Quae vt iam supra persecuti, hic non repetimus: ita ad mores Paulli hactenus pertinent, quoad neget, se laborare aduersa sorte atque opinione, qua prematur ab aduersariis, paganis, Iudaeis; partim, quia non sit is, quem temere putent, aut improbe dicant ac differant, sed contra plane in se omnia inueniantur, verum pro errore, diuitia pro paupertate, rel. partim, quod libenter sustineat Christi causſa, longe explentis omnia & longe exsuperantis, satis habens, quod alium sese Christus & videat probetque, & efficiat praestetque, ac maleuolis videatur. Hoc sensu, hac conscientia sensus morisque sui plenus atque elatus, quasi ipse sui admirator insurgit: non fastu, sed gaudio, atque exultabundus; venditatque Corinthiis constantiam suam & imputat, vs. 11 — 13. vt parem mercedem gratiae relaturis. En, inquit, o Corinthii, quam palam, quam li-

be-

bere, quam alacriter, quam effuſe pectus noſtrum vobis indicarimus! Videtis, quam nihil vos celemus, quam laetemur iſto ſenſu placeamusque nobis, quam geſtiamus effundere illum, nil timentes, ſpe bona erecti, nullo metu aut illiberali ſtudio contracti aut demiſſi. Id enim hic ſignari vocabulo πλατύνεσθαι, dilatandi, apparet ex Iſ. 60, 5. pectus tuum dilatatum erumpet, ac veluti diffluet, vel redundabit: id eſt, gaudebis, exultabis, geſties, non temperabis laetitiae ſuperfundenti ſeſe; admirabunda erumpes in voces alacres: ſed & omnem luctum, metum, animi demiſſionem depones, magnifice & elate ſenties de tua conditione: qualia & hic Paullus ſignat Sed hunc ſenſum, pergit, dum *effundimus* apud vos, cupimus eundem *transfundere* in vos, cuius ſimilitudine gratiam nobis reddatis. Nam ita nos ſumus animo in vos affecti: veſtra cauſſa & facimus iſta omnia, & patimur: amorem in vos probare noſtrum, vobis conſuli, volumus iſta ratione & conditione noſtra. At vos reddite amori amorem, fidei fidem: reſpondete ſimplicitati noſtrae, nec diffidite nobis: cum videatis nos ita erectos, vltra omnes iſtas nugas elatos, omnium, praeterquam Dei veſtrique, immemores ac ſecuros: imitamini nos, nec vos vltro demittite aut abiicite ad iſtam humilitatem atque illiberalitatem errorum & prauitatis, qua ſtudiorum, qua morum: dilatamini & ipſi, alacritate, ſimplicitate, liberalitate ſenſus morisque! Vt filiis parens, ait, loquor, ſimpliciter, aman-

ter, cum auctoritate aliqua & asseueratione. Causſam vſ. 12. addit aliam, obſcuriorem verbis, datis metaphorae verbi πλατυνεσθαι, *dilatari*; e quo explicari debent. Nam, cum *dilatari* iubeat illos, effundi, expandi, vetat illos στενοχωρεῖσθαι, contrahi, in anguſto verſari. Apud nos, ait, in animo noſtro, qua noſtrum ſenſum, non eſtis in anguſto: nos non eo loco vos habemus, quibus dignum ſit, humiliter contrahi, aut demitti obnoxie & illiberaliter. Quod ſi nos ſequamini admonentes, ſi nos imitamini praeeuntes: non ita vos abieceritis ad conſortium falſorum & improborum. Nos non cogimus vos abiecte ſentire, nec cauſſam vobis praebemus obnoxie metuendi; non in anguſtias vos compellimus, quaſi vobis dominaturi: (1, 24.) Immo in veſtris ipſorum animis, (σπλαγχνοις, quae hic non *miſericordium* notant, ſed omnino *ſtudium* animi, ſenſum, mentem ipſam, ipſos adeo Corinthios: vt 7, 15. & Philem. 12. ex Ebr. קרב, vel מעים, vt Pſ. 40, 9.) ipſi vos contrahitis ac demittitis, ſenſu illiberali & obnoxio prauis doctoribus. (11, 20.) Hanc στενοχωριαν, hanc ſenſus illiberalitatem, exuere ipſi poteſtis; exuetisque, ſi nos audietis atque imitabimi. Ita iubet, exemplo moris ſui, animique illis declarati fiducia & conſtantia, erigi, liberaliusque ſentire & agere. Sunt, qui pro ὑμῶν, legi malint, ἡμῶν· in pectore noſtro arctiſſime eſtis incluſi, amore arctiſſimo. Quod & per ſe habeat ſenſum commodiſſimum, &

con-

congruat vocab. σπλάγχνων, a quo vix liceat ſeiungere notionem amoris, vel ſenſus mollis & amanter affecti, qui parum conueniat ſtudio illiberali falſorum atque improborum, & vero verbis C. 7, 3. vbi ait: *Supra* dixi, (*vbi* autem dixerat, niſi *hic* dixit?) vos eſſe in pectoribus noſtris, nobiscum morituros & victuros. Et tamen vel ſic legenti manebit ſenſus & diſcrimen partis prioris; non anguſti eſtis in nobis, qua nos, per nos: ad timorem vos non compellimus: volumus, vos diffundi ſenſu liberali, vtut intime comprehenſos, arcte & anguſte incluſos amori noſtro. Fateor, ſic mihi praeplacere, maxime ob 7, 3. quod nuſpiam reſpiciat aptius. Sed porro notat mores ſuos C. 7. partim alacritate mentis bene ſibi conſciae, qua libere ferat, vt ipſum audiant aequi, vſ. 2. patiantur profiteri, quo ſenſu in eos feratur, quid ab illis viciſſim exſpectet: neque enim iniuriam vllam a ſe in illos ortam, aut ambitione ſua quemquam eorum corruptum aut deceptum. Vera eſt haec morum notatio, integri moris probique, eo compoſita, vt vetitos ipſi diffidere hortetur promte excipere, quae poſtea ſit dicturus, partim C. 8. de liberalitate in Iudaeos poſcenda, partim c. 10, 11. de fiducia ſui muneris habenda contra falſos doctores. Quod humaniter ſane temperat ac reſtringit, vſ. 3. ne, exprobrari ſibi, putent, leuitatem in Paullum, aut ſe ab illo damnari. Quod longe abeſſe, demonſtrat, ab amore in illos ſuo, quo per om-

nem

nem vitam, in morte ipsa, amplexurus sit illos, vt plane inclusos pectori suo. Hic & modestiam vituperandi ostendit, & causſam, amorem, & constantiam coepti amoris. Ex hac conscientia nasci sibi, profitetur, alacritatem, tum ex sua in illos integritate, & amore suo, tum vero ex laetandi materia, a Corinthiis sibi suggesta, per poenitentiam, in delicto & poena incesti significatam. Vtroque ergo laetum sese ostendit, & suo sensu in Corinthios, & Corinthiorum in sese. De quibus & quantum laborarit, priusquam a Tito certiora disceret, ostendit vs. 5. tristem plane fuisse conditionem suam, extrinsecus, in muneris vsu, pugnantis cum aduersariis, intus, in animo timentis, cum pro reliquis Christianis, satin' illis constaret vera ratio pii sensus & moris, tum vel maxime Corinthiorum causſa, quam vim apud eos habuisset reprehensio illis adhibita, 1 Cor. 5. & poena flagitioso irrogata, ibid. & quantopere recreatus sit reditu Titi, prospera quaeque nuntiantis: quae proprie ad Corinthiorum mores pertinent. Vnde excitatam sibi laetitiam vix satis interpretari valet: vs. 7 — 9. Quam demonstrat ac repetit laetitiae magnitudinem pariter & fidem partim e magnitudine doloris, quo affectum sese, tantum non poenituerit doloris, per priorem epistolam illis commoti: non, quo potuerit illum poenitere talis consilii, quippe necessarii, salubris, diuinitusque suggesti, & vi diuina effecti: 1 Cor. 5, 4. sed indoluisse tamen sese, fatetur, (recte explicante Theo-

do-

doreto, μετεμελόμην, λίαν ἀλγῶν, valde dolens, lugens; quod cadat in acerbitatem consilii quamuis necessarii; quippe *libenter* ne Deus quidem punit;) sed illum dolorem prorsus euanuisse, videnti, quam salutaris fuerit vis & efficientia castigationis illius, quos fructus tulerit. Quos persequitur vs. 9—11. & ostendit consilium suum, ipso exitu comprobatum, vs. 12. non, vt euerteret aut affligeret, velut vlturus, illum in se Corinthiosque maleficum & iniurium: neque, vt ab eius iniuria sese aut Corinthios vindicaret. (Hos enim intelligere malim in vocab. ἀδικηθέντος, quam, cum Theodoreto, patrem incesti, vt quem nec verbo tetigerit Paullus, nec mortui caussa scripsisse Corinthiis videatur;) sed, vt appareret studium Corinthiorum, odio & fuga prauitatis, detestatione exempli illius mali, amore in Paullum, cui nollent dolorem illum tantum inustum haerere: vt Dei tamen caussa facerent omnia ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, quod addit, ne videatur velle, ipsi tribui sibi omnia, aut ad ipsum, vnice vel vt summum, referri: vt *Deo* probarent sensum verum poenitentiae ac virtutis. E quibus sibi multiplex gaudium scribit, creatum: cum ex re ipsa, Corinthiis salutari, tum, quod fiducia de illis sibi non fuerit vana, Tito praedicata, non sine pudore, si vanam exitus destituisset: (quo argumento latius etiam vtitur 9, 3. 4. vbi demonstrat, iam in anteceſſum a sese laudatam liberalitatem Corinthiorum. Quam gloriationem suam, oratorie plane, rogat, ne

pa-

patiantur vanam cadere, aut in pudorem cedere ipsi:) tum, quod videat, recte se tam cuncta ab iis sperare. Hac ille spe firmanda vbi ita proluſit, cursumque tentauit, iam plenis sese velis infert cauſſae iis proponendae, vt eos intuitet ad liberalitatem in Iudaeos exhibendam. Achaeorum exemplo; qua & ipsa re probent, & ipse discat, se recte iis per omnia fidere. Ecqua dignior ratio oratore, aut aptior ad cauſſam acceſſio? Verum haec alius sunt loci; nunc de moribus agimus, Paulli primo: quos ille rursus, vt in tota morata epistola, notat e 10. 11. ad extremam: intelligens, versari sese in loco scopuloso sane ac difficili, coactum dicere de se ac pro se, cum laude sui. Ceterum & ex his veluti scopulis eluctatur cum oratoria plane & prudentia, & grauitate, & modestia, & fortitudine. Ac primum initio statim notat morem suum, & quem adhuc exhibuerit, & quem possit exhibere, nolit tamen, ac roget, ne illo vti necesse habeat coactus, & Corinthiorum leuitate in se ac suspicione, & falsorum doctorum insolentia. *Ipse* ego ille Paullus, quem nostis, inquit, ipse pro me dicere, quando ita res tulit, a vobis coactus, qui pro *aliis* adhuc, in aliorum vsum, disputarim, aliorum cauſſa elaborarim, libentius illud quidem, ecce, nunc, mei defensor, non per alios, velut interpretes, vt videatis, me fidere cauſſae meae, iam vos rogo, (hoc enim hic notat, παρακαλῶ, 10, 1. e vi. vbi expl. δέομαι) vestra cauſſa rogo, parcens vobis,

cum

cum ſeuerius agere liceat, conſulens vobis, ne ſeueriorem ſentiatis dolentes: nunc interim vos rogo, per manſuetudinem facilitatemque Chriſti, id eſt, imitaturos patientiam Chriſti in toleranda gloriatione, qua ipſi me cogatis vti, vel, eadem patientia, qua Chriſtus ſit vſus, (vt διὰ ſit pro ἐν, σὺν,) quae digna ſit apoſtolo Chriſti: ille Paullus, qui, apud vos, inter vos, modeſtus, timidus, lenis, abſens ſcribo fidentius, quia (vt Cicero ait, in ſimili fere materia & conſilio gloriandi,) litera non erubeſcit; erubeſcam enim coram gloriari ita vt nunc per literas faciendum video: ne literis quidem commiſſurus, niſi opus ſit: vel, ſi per ironiam explicare libeat, cui ſeſe iam dare incipit, imitationemque falſorum doctorum: quem doctores improbi, & inter vos plerique, dicant, coram eſſe modeſtum, timide deque demiſſum ac velut obnoxium, in ſcribendo autem, ac velut ex tuto, attollere animos, & minacem inſurgere: (quae interpretatio per μιμησιν pulchre concinat vſ. 10. & plane inde firmetur:) ipſe ergo Paullus, aut ſic affectus, (ex illa priori explicatione,) aut (ex altera,) talis viſus, parcens viribus etiamnunc conſulto extenuatis, ne confidam praeſens, vbi ad vos venero, quod iam paro: (1, 15. 16. 23, 13, 1.) id eſt, ne vos me cogatis fidere & vti (hac enim meronymia adhiberi verba ſimplicia, docui in Philol. Paull. Thucyd. p. 258. lit. d. adde Gloſſ. Philoſ. S. p. 207. ſequ. dit. Dath. vbi tamen proprio loco notata non eſt:) & apparet e 13, 7. rogo

De

Deum, ne quid grauius in vos *ſtatuam*, id eſt, vt nunc malim interpretari, ne *cogar* ſtatuere:) ne cogatis ergo me fidenter vti illa conſtantia animi & fortitudine libera, conſcia ſibi muneris diuini & bonae cauſſae, qua *cogitem*, velim, opus eſſe ducam audere, acrius & fortius inſurgere contra quosdam apud vos & ex vobis, qui ſibi aliisque perſuadeant me agere κατὰ σάρκα, id eſt, vt hominem, artibus & conſiliis humanis, callidis, at tenuibus tamen, & facile reuincendis. (Id enim hic notare *carnem*, apparet e diuerſo, δυνατὰ, quae vſ. 4. opponuntur σαρκικοῖς.) Nam, etſi homines ſumus Apoſtoli, & agimus inter homines, non tamen vtimur eiusmodi praeſidiis artis humanae. Quippe arma, auxilia, praeſidia expeditionis noſtrae, quia de *armis*, velut militum, loqui coepit, muneris & negotii apoſtolici, pugnantium contra errores, dubitationes, impietatem, calumnias, qua Iudaeorum, qua paganorum, reſiſtentium hoſtiliter Chriſto, cuius in caſtris, cuius pro cauſſa nos militemus, non ſunt infirma, vt hominum praeſidia, ſed potentia, valida Deo, id eſt, diuinitus, Dei virtute δυναμις θεῦ, (Rom. 1, 16.) in cauſſa Dei, ad maieſtatem Dei aſſerendam, quibus iam deſtruamus, euertamus ac deiiciamus (vſ. 4.) velut munimenta impiorum, errores, dubitationes, argumenta, calumnias, qua legisperitorum, qua philoſophorum, quamuis ſpecioſas, vel inani apparatu doctrinae & pietatis, diſſoluamus ratiocinia, ſpecioſa: ſed vana, & omnem altitudinem, id eſt, ſpeciem

fa-

sapientiae fallacem, arrogantem, fastum, attollentem sese, velut turres aut castella, contra doctrinam Dei, quae sola est vera cognitio veri Dei, & omne νόημα, omne commentum sapientiae Iudaicae, (non sanam *rationem*, de qua sermo hic non est, nec νόημα hoc significat; nec res patitur:) velut captiuam ducentes, militum more victorum, refellendo, vanam, inutilem ostendendo, vt concedere cogatur formulae ac fidei Christianae, nec sibi, sed Deo & Christo auctori, vni assentiri, fidere, parere. Quod vt satis habemus, quippe mandatum nobis, salubre ipsis: ita (vs. 7.) parati sumus iisdem armis, ἐν ἑτοίμῳ ἔχοντες, i. e. ἑτοίμως, vel in promtu habemus, iidem etiam seuerius animaduertere in contumaces, quo vos sitis promtiores, salubriter exterriti exemplo obiurgationum atque poenarum; Ita professus, quid possit, quid debeat, quid, vbi sit opus, velit, vt videant, rem ipsis esse cum apostolo Christi, haud contemnendo vindice causae diuinae, illius quidem, quae nec semet ipsam, nec propugnatores sui, destituat, cui & frustra, nec sine periculo repugnetur, iam propius notat morem consiliumque suum: vs. 7. nihil sese omnino concedere, nulla esse re inferiorem vanis illis apostolis & inflatis, si vel externa conditione muneris iurisque res censeatur. Vnde incipit: Videte, quae in oculos incurrunt: vel externa, spectetis, licet. (Neque enim iubet sane per se, quod vetet Christus, Ioh. 7, 24. nec fecerit, Ies. 11, 3. sed per-

mittit, vt, ne hoc quidem vereri se aut defugere, dicat:) cet. reperietis, communia mihi cum illis esse. Quod, vel vnice propositum sibi, satis haberet, a se teneri: (11, 12. & latius persequitur vs. 21. sequ.) proponitque 10, 7. Hoc reputet quisque, ait, vel reputare possit a se, per se, non monente me, re ipsa docente: vel *ex* se, de se, ex sua similitudine mecum: (nempe, si pertinet ad ipsos doctores:) inuenturus, me esse ministrum Christi, non secus ipso. Ecquid enim afferet, quo sit & putetur dicaturque apostolus, quo ego minus vti possim? immo & vltra (vs. 8.) gloriari possim potestate a Christo data, non falsa gloriaturus: sed parco, abstineo, quia illa praesidia mihi sunt data, non, quibus destruerem, nisi vbi opus esset, vs. 5. sed, quibus aedificarem, prodessem, iuuarem. (Obiter nota *negandi* formulam & conditionem hic habere vim *comparandi*: non *tam* ad destruendum, non directo aut proxime, non vnice, sed *magis* ad iuuandum: hoc *potius*, etsi & illud, vbi sit opus: v. Log. Paull. p. 77.) Abstineo ergo, inquit, ne rursus putetis dicatisue, aut maleuoli dicant, me velle vos per epistolas exterrere. Quippe particula, ἵνα μὴ, vs. 9. non refertur ad αἰσχυνθήσομαι, sed ad illa ἣν ἔδωκεν —— οὐκ εἰς καθαίρεσιν. Nolo terrere vos, vt non eo proprie aut proxime datam habens potestatem, qua terream aut deiiciam, sed qua erigam. Per omnia elucet & modestia apostoli, minus facientis, quam possit, & id ipsum par-

parce promentis, quod debeat, vt possit, nec se iactantis in iure suo; sed vsum eius salutarem sequentis: quod & *sapientiae* sit: Non confundar, inquit, si de potestate dixero mihi data. Et pietas apparet, amantis Dei & hominum, nolentis vti auctoritate sua ad grauiora, nec terrere aut laedere quemquam: & conscientia tamen, quid possit, cum fortitudine denuntiandi, quid coacto sit faciendum. Quam verò & fortiter idem, modeste, vs. 9. 10. occurrit criminationi dicentium, epistolas Paulli graues esse ac minaces, rebus & auctoritate plenas, at ipsius praesentiam leuem, timidam orationem. Non metuit calumniam, quam vltro occupatam ponat; neque ad iram se illa commotum, ostendit: ita simpliciter ac breuiter, sine accusatione aut contentione, ponit. Leniter egisse Corinthi & cum Corinthiis Paullus videtur, amore omnia magis beniuolentiaque, quam seueritate compositurus. Quod & epistolae doceant ipsae, amanter fere, comiterque, vel in summa seueritate, scriptae: nec non coërcuisse grauitatem ipsius doctrinae ad modum & captum infirmitatis eorum: quod appareat, ipso profitente, 1 Cor. 3: init. vbi vocat, timide ac trepide agere, id est, caute ac diligenter: quem *timorem* interpretaretur fastus maleuolorum: vt Minucius apud Liu. 22, 13. extr. Fabium *pro cunctatore segnem, pro cauto timidum, affingens vicina virtutibus vitia, compellabat*: modeste egisse idem, nil poscendo: quod 2 Cor. 12, 7. vocat, semet ταπεινῶσαι, ex-

tenuari, in ordinem sese cogere, velut abiicere, vt nulla mercede dignum: quam scilicet arroganter satis reliqui poscerent atque caperent. Hinc ille contemtus modesti apud tumidos, humani & ciuilis apud imperiosos, nil poscentis apud cupidos, doctrinae gloriam fugientis apud eius iactatores: vt & nunc fieri, videmus, in vita ciuili & literaria. Vltra non porrexerim illam calumniam, nec retulerim ad tenuitatem corporis aut vocis; quod & puerile nimis sit, neque argumento nullo constet, & vero abhorreat a defensione, subiecta vs. 9. 10. & modesta illa & vera. Cogitet, inquit, talis homo, qui ista nobis obiiciat, nos esse praesentes factis, quales simus absentes literis: nempe & doctrina, quam non aliam promat absens, ac tradiderit praesens: 1, 12, 13. 1 Cor. 15. init. & amore atque humanitate, qua utatur, non alia in scribendo, ac praesens soleat; nec per epistolas poposcerit, quod praesens sit deprecatus: nec quidquam tamen dissimulauerit, aut irreprehensum transmiserit, quod esset praesenti notandum. Quin & miracula a se coram edita, monet, apostolum probatura, 12, 12. quod vel maxime intelligit opus apostolicum; cum patientia malorum, ibid. & Christiano coetu inter Corinthios, & Corinthiis instituto: 1 Cor. 9. init. Rebus ergo sese defendit, e Corinthiorum notitia: modeste id ipsum, & breuiter; sed fortiter idem, quia vere. Neque vero ex *aliorum* comparatione, aut contemtu & inuidia laudem captat, vs. 12. sequ.

sequi. Quod ironice sane ponit: non audemus immiscere aut conferri cuiquam eorum, qui semet ipsi commendent: non videntes, (οὐ συνιοῦσι,) pro quo Theodoretus legit οὐ συνιασιν· illud idem esse debet, cum participium, ob γὰρ, & Dativus, ob nominativum, non habeat locum;) quam temere sibimet sese comparent: qua conditione quis non possit esse magnus, si nolit respicere ipso maiores? Sed & sine ironia dictum acceperis, non audemus; quia stultum est & vanum, iis sese immiscere, ἐγκρῖναι, in eorum esse numero, eos imitari, aut iis se conferre, συγκρῖναι· Ironice tamen malim, maxime ob vocab. *comparandi*, quasi non audeat, sed vereatur accedere ad illos, vt se maiores. Quonam ergo modo ac pede se metitur apostolus? Nempe verissimo, certissimo, aequissimo, rei ipsius: non εἰς τὰ ἀμετρα, inquit, sine modo aut fine, (unbestimmt,) non vocibus vniuersis, infinitis, (in allgemeinen Ausdrücken,) vagis aut meris, nil definituris aut probaturis, sed rerum certarum signis, (That-Sachen,) mensura cursus, a se absoluti, perlati, expediti euangelio propagando, non modo ad Corinthios vsque, inde a Palaestina, sed & Italiam versus, Rom. 15, 19. 20. Hoc vocat μέτρον κανόνος, spatium curriculi: prudenter hoc quidem & modeste: tum, quod *mensuram* vocat, vltra quam efferri non liceat, tum, quod definit & signat, id est reprobat, quid effecerit: tum, quod vocat legem cursum praescriptum, diuinitus designatum, non

ipsius sponte, sed Deo & iubente & iuuante susceptum, expletum. Quod & addit: ὃ ἐμέρισεν ἡμῖν ὁ θεὸς μέτρου: id est, ex parte nobis a Deo assignata: vt Rom. 12, 3. extr. Non ego, inquit, effici ista, sed Deus per me. Vnde & adiicit, ἐν κυρίῳ esse gloriandum, si sit vtique gloriandum, id est, rebus diuinis, vt talibus, Deo probatis, ab eo mandatis, eius ope effectis; quas & laudabiles esse, certo scias, quia diuina sint, & tamen arrogantia careas, nil tibi, Deo omnia asserendo. Ita instructam omnino caussam suam & sensu suo demonstrando, quo non laedere cupiat, sed iuuare, & iure, quo polleat ad inhibendam atque incutiendam auctoritatem muneris apostolici, cuius & virtuem per se comprobatam dedisset, vs. 3.—6. & ius sibi datum, vs. 7. & effecta per se, vs. 12. — 15. iam latius tractat C. C. 11. & 12. non sine praefatione & excusatione iactantiae sibi impositae, quam *stultam*, vocet, 11, 1. 16. 23. 12, 11. sed necessariam, demonstret, 11, 2. 3. 12, 11. & sic defensam persequitur 11, 21. sequ. 12, 1—19. Quae tria hic sunt in moribus Paulli: vt 1) de *semet* loquatur, 2) *stultum* id per se *esse*, fateatur, 3) vi tamen *expressum necessariumque* defendat, non sibimet, sed aliis & Dei caussae: vnde & modestia eluceat, non libenter gloriantis, sed cum confessione stultitiae & liberalitas, consulentis non suae gloriae, sed Christi caussae, aliorumque vtilitati: idque vel cum stultitiae opprobrio, quod ita sentiat, vt tamen subeat, non sibi

bi conſulens, ſed aliis: prudentia denique, & in re ipſa videntis ac demonſtrantis, quid ſit neceſſarium, & per ordinem rei tractandae offerentis ſeſe ſimul inuidiae, per confeſſionem & occurrentis eidem, per defenſionem; remque ipſam veluti ſepientis vndique, obuelantis ac mollientis, hinc fatendo opprobrio, cui aculeos eximat, torporemque inducat occupando, ne ab aliis intorqueatur: hinc neceſſitatis cauſſa, & praemiſſa, & ſubiecta: plane vt Demoſthenes, de Corona, Vlpiano notante στρατηγικῶς, imperatorie, ducis periti more τοὺς κακοὺς, res lubricas, moleſtas, diſcriminis plenas, calumniae materiam εἰς μέσον ἐλάσας, in medium compellens, firmioribus cinctas: plane vt ſpecimen hoc ediderit *maratae* orationis: cuius primam partem, diximus, eſſe ſtultitiae profeſſionem, excuſationem: quam ponit & adhibet frequentatam ſane & ſubinde ingeſtam, vt remordente cura, & diligenter ac ſolide, ſi tamen, ſatis facturus non aliis modo, vel maxime ſibi ipſi, ad tranquillitatem animi, & ſcrupulo euellendo; II, 1. vtinam, ait, iam, vel paullulum toleretis ſtultitiam meam! Et vero perferetis! Nouerat enim, & ipſe docuerat, 1 Cor 4, 7, ſtultam eſſe omnem gloriationem. Vnde ipſe fatetur, ſe ſtulte agere. Quod faſſus, oſtendat tamen, intelligere ſe, ſtultum id eſſe. Quod vt, videre, non ſit ſtulti, ſed ſane ſapientis: ita, facere, quod non modo videas ſtultum eſſe, ſed vltro fateare, careat omni excuſatione, niſi neceſſita-

tem probaris. Vt Romanum hominem Cicero notat, qui veniam petiuerit vitiis in Graeca lingua admiſſis, cum Latine ſcribere poſſet, nec cogeretur id committere, cuius venia eſſet petenda. At neceſſitate probata, deſinat ſtultum eſſe: non per ſe quidem, ſed ad neceſſitatem relatum: ſicut acerbitas poenae, ſi ſit neceſſaria, retinet illa quidem naturam per ſe acerbam, ſed abſcondit neceſſitate. Quare licebat Paullo fateri ſine periculo, ſtulte id a ſe fieri. Nec vero diuinitati eius officeret, vt non diuinitus ſtolide loquentis, ſed oſtendentis, diuinitus id ipſum, quod per ſe ſtultum eſſet, ſi fieret ſine cauſſa, iam non fieri ſtolide, quia non fieret temere, quod eſſet ſtultorum. Vt, qui conſulto puerili-ter cum pueris agat, ſeque ad balbutiem eorum demittat, quia aliter conſilium tenere nequeat, dicatur ille quidem puerilitер agere per ſe, ſi factum ipſum ſpectes, non item, ſi conſilium, alio modo non efficiendum: ne ſapienter quidem acturus, ſi velut virilius agendo non conſequatur, quod velit: quia hoc ipſo oſtenderit, quam ſibi ſit cordi, efficere aliquid boni, quanto amore ſtudioque feratur & rei, & illorum, quibus vel cum pudore irriſuque ſui conſultum eat. Fatetur ergo ſtultitiam Paullus, ſecure iam ex probata neceſſitate; nec ſine humanitate ſumma, ac plane vrbanitate, & facete; vſ. 16. Nolite putare, me eſſe ſtultum! Neque enim ſtultus ſit is, qui intelligat, rem eſſe per ſe ſtultam, ſed neceſſitati dandam. Sin minus, pergit: at vos

ve-

velut ſtultum admittite me & ferte, paratum & paſſurum haberi vel inconſultum, dum efficiam Deo grata, vobis ſalubria. Quid grauius, quid amantius eodem, quam conſultum vtique ire commodis aliorum, vel cum contemtu & iactura exiſtimationis, non verae illius quidem, quippe quam Paullus duceret vita cariorem 1 Cor. 9, 15. ſed inanis ac temporariae? Fabium plane illum Maximum mihi videre videor, ſecurum famae popularis, interpretantis pro cunctatione ſegnitiem ex timore, neque ab inſtituto recedentem, vtut inuiſo & male audienti: donec ſpreta gloria auctior rediret: immo, dum conſuleret reipublicae, ciuibusque, quamlibet ingratis. Non alia Paulli conditio, aut mens alia: ſtultus haberi dicique paratus eſt! Quo quid grauius homini vere ſapienti, & in magna dignitate? At nil recuſat, dum vere conſulat his ipſis, a quibus, dum id agat, pro ſtulto contemnatur atque irrideatur. Cui opprobrio tamen ipſe occurrit, occupato a ſe, priusquam alii ingerant: vſ. 17. non loquor iſta κατὰ κύριον, iſta quidem, quae ad laudem meam referantur, non alia, quae ſint vere diuina; cum iſta ſint per ſe inepta, Deo inuiſa, qui odio habeat ſuperbos & arrogantes, auerſetur, coërceat: Pſ. 12, 4. 5. 1 Petr. 5, 5. Non vt Chriſtianus, inquit, iſta fundo, non vt apoſtolus promo, quem modeſtia deceat. Et tamen id ipſum diuinitus monebatur, neceſſitatem ſibi nunc iniungi iſta loquendi. Quo eodem monitu, τὸ πῶς καὶ τί ſuggeren-

te, ſtulta iſta appellat. Plane vt 1 Cor. 7, 12. 25. id ipſum diuinitus monitus ſignificat, nil ſibi diuinitus imperatum, liberumque relinqui cuilibet, quod Deus non coniecerit ſub vincula legis. Et vſ. 21. per ignominiam, inquit, iſta dico, quaſi infirmus repente factus. Theodoretus explicat: Hoc ob turpitudinem dico eorum, quae a falſis doctoribus fiant, quaſi ego non eadem perpetrem ideo, quod non valeam efficere. Non placet. Nam neque ατιμίαν ita ſimpliciter poſitam intellexeris: τούτων adderet: nec reliqua vllo modo cohaereant. Quare ita malim: dico per dedecus, meum quidem, cum pudore me ipſe abiicio, ipſe ſciens volensque indecore loquor, ac ſi infirmus ſim, id eſt, delirus, inſipiens, mente inualidus, qui tam ſtulte glorier: vel, quaſi ita abiectus & exenuatus, vt cogar defendere exiſtimationem, veluti labantem, iſta prauitate iactandi. Morata ergo oratio eſt, oſtendentis, quem alienam perſonam atque indecoram induerit, neceſſitate impoſitam. Idem ingeminat vſ. 21. & 23. vt impatiens ſtultitiae, in quam neceſſario prolapſum ſeſe, intelligat: partim, moniturus, ne credant, temere ipſum iſta loqui, aut inſita cupidine gloriandi elatum: vt qui ſciat, ſentiat, fateatur, id ſtulte fieri: fere vt ille Terentianus ſenex, Micio, in Adelphis extremis, victus importuna neceſſitate precum: etſi, inquit, hoc ſtultum, delirum, ineptum eſt: tamen, quando ita vos vultis, faciam. Ita mirum non eſt, ſi & coeptam a ſtultitiae profeſſione,

ne, & interruptam in medio atque interpellatam gloriationem eadem professione claudit, 12, 11. Multum me praebui gloriando. Habetis ergo, quod voluistis, extortam mihi gloriationem vobis datam, vestrae & voluntati & vtilitati. Hac praefatione, hac interpellatione, hac veluti peroratione munitam gloriationem, ingenue fatendo, prudenter monendo, amanter, consulendo illis vel cum opprobrio suo, quomodo iam instituit ac persequitur? Non minus morate, ab 11, 21. ad 12, 10. memorando & vera, & magna, cum per se, tum κατ' ἄνθρωπον, ex illorum sensu, & impostorum fastu, & communia cum illis, per quae haud sit inferior, & propria, per quae potior: quodque vel maximum sit, e quibus cum ad ipsum nulla gloria redunder, vel ob rerum inanitatem, vel, quod sint Dei opera, vel, quod loquantur miseriam infirmitatemque, non magnificentiam, appareat in ipsa gloriatione, quin ex ipsa, Christiana plane modestia. Primo potiit vera, quae & ipsi scirent esse vera: Ebraeum se esse, Abrahamidem, Iacobi vel Israëlis progeniem, vere & antiquitus primitusque Iudaicae originis: 11, 22. apostolum deinde vs. 23. iactatum calamitatibus multis, variis, magnis, vs. 22—29. aut quae crediturus sit sanctissime affirmanti, vt Damascenum periculum, vs. 30. rel. & coelestis gaudii sensum praeceptum, 12, 1—6. quod tamen, vt summum atque honorificentissimum, non vt de se, sed velut de alio refert: adeo gloriationis impatiens

erat,

erat, etiam vbi vere posset. Ea deinde memorat, quae essent & per se magna, & Corinthiorum impostorumque iudicio magna: per se, vt, esse Christi ministrum, apostolum, vs. 23. sustinere curam tot ecclesiarum, vs. 28. praebere se tot hominibus adeundum, consulendum; quam vocat ἐπισύστασιν, frequentiam adeuntium & circumstantium, velut ad tribunal iudicis: nulli negare operam suam: angi afficique curis, incommodis, periculis aliorum, vt suis: vs. 28. 29. Quae ipsa simul per se Paulli mores exhibeant, liberalis sane, Dei hominumque amantis, & Christi Christianorumque caussa succensentis & dolentis prauitate errorum ac flagitiorum, velut si ipse lapsus errauerit aut deliquerit. Quae sint & magna per se, Deo & hominibus grata, cunctis probatura, & vera, Corinthiisque nota: quorum conscientiam testatur interrogando. Nec minus amplum atque honorificum in se memorat, Christi caussa tot ac tantis periculis conflictari, vs. 23. frequ. sed in primis, in coelum rapi ipsum, imbuique diuinitus sensu praecepto coelestis felicitatis: 12, 1. sequ. Quibus ille rebus etiam superiorem sese ostendit falsis apostolis, qui talia afferre nequeant: vs. 24. 28. vt nec passi quidquam tale Christi caussa: quod callidi sane defugiant, studentes placere cunctis ambitione obsequioque doctrinae; vnde commoda vltro capient atque auferant: vs. 20. coll. Rom. 16, 18. Gal. 6, 12. Phil. 3, 19. rel. cum ipse incommoda tantum habeat. Sed ini-

nibus quidem cum asseueratione memorandis abstinet, quae nil ad rem faciant, nullam habeant virtutem animi morumque, fortuita sint, externa, friuola plane: tanquam, quod sit Ebraeus, stirpis Abrahamicae atque Israëliticae. Quibus quid conueniat tribui, aut ipse tribuat, satis profitetur Phil. 3, 8. de quo infra paullo agetur. His adeo ipsis maxime referendis, immo leuiter attingendis, inserit stultitiae confessionem, vs. 21. 23. non modo, quia omnino stultum sit, gloriari, sed &, quod *istis* vtique nugis: quasi professus cum Ulysse, apud Ouid. Metam. 13. 140.

Et genus, & proauos, & quae non fecimus ipsi,
Vix ea nostra puto.

Quorsum ergo iactat? Morate ille quidem, & κατ' ἄνθρωπον, imitator iactantiae alienae, vsu ita ferente. Scio, inquit, ista esse inania: sed enim, vobis quia magna videntur, & in me agnoscatis, licet. Equidem nil tribuo crepundiis istis: vos, qui illis adstupeatis, ne ab his quidem me inferiorem illis probate! Ita & veritati consulit, prudenter atque ingenue, iudicando ista inania, aliena; & tamen veluti concessis vtitur, ne quid in se vel ab errantibus requiratur. Illis denique laudibus vtitur, iisque vel *maxime*, (nam ista velut in transitu leuiter attigit,) quae nullam gloriandi materiam in ipso residere patiantur, cum sint aut infirmitatis humanae argumenta, aut Dei beneficia. Quid enim

per

per ſe gloriae habeat, lapidari, flagris caedi, naufragio iactari, per murum demitti? Conſtantiam ſane iſta probent, patientiamque profeſſionis, in cauſſa bona; per ſe quidem nil ſint, niſi, quos ipſe vocat, vſ. 30. & 12, 5. 10. ἀσθενείαι, incommoda, infirmitatis argumenta humanae, in quibus Dei virtus vnice ac potentiſſime eluceſcat, 12, 9. ſine qua tolerari aut vinci nequeant. Vnde & his maxime immoratur, vt ad Dei laudem redundaturis, non ſuam ipſius. Cui laudi diuinae idem vnice reddit ſenſum illum praeceptum gaudii coeleſtis, 12, 1. cui plures ſimiles percepiſſe, non improbabiliter colligit Theodoretus, e vſ. 6. 7. vbi Paullus ait: ſi voluero (pluribus) gloriari, vera dixero: & memorat ἀποκαλύψεις & ὑπερβολάς, *plures* ergo: &, *parcere* ſe, profitetur, i. e. non omnia recenſere. Quid autem ſunt iſta gaudia inenarrabilia, iſta ἄῤῥητα ῥήματα, res arcanae, ineffabiles, quas aut non poſſet interpretari, aut vetitus eſſet, niſi mera Dei munera? Paulli autem gloria quae tandem in illis! Carum illa quidem Deo probant, fidemque muneris apoſtolici; ſed & ipſe ad Deum vnice refert, vſ. 5. hoc ſeſe, dicens, gloriaturum, id eſt, laetaturum, ſeſe oblectaturum: quippe vocabulo *gloriandi* ſubſtituit vſ. 10. εὐδοκῶ, gaudeo: & ſemet ac ſua ab his diſtinguit, vſ. 5. *de me* autem, inquit, nil gloriabor. Ergo Dei illud memorat; de ſe autem nil, praeter incommoda, inuidiae haud futura: plane, vt Cicero, vbi illi ratio ſatis conſtat modeſtiae

aut

aut prudentiae, non iactat ingenium aut eloquentiam, aut scientiam, quippe inuidiae obnoxia, cum sint iucundiora ac splendidiora, quam laborioſiora aut moleſtiora: labores quidem, dimicationes, iactationes, ſecure memorat, vt inuidia vacaturas. Quanto & circumſpectior Paullus & modeſtior, qui Dei tantum beneficia memoret, vnde nil ſibi aſſerat; incommodo autem ſola praedicet de ſe, eaque ita, vt demonſtret, non ſuam, ſed Dei virtutem elucere in iis tolerandis: quin, eo conſilio Dei ſeſe iis premi, vſ. 7. ne intumeſceret magnitudine & multitudine rerum ſibi diuinitus monſtratarum: σκόλοψ vocat τῇ σαρκὶ, aculeum, ſpinas, (ex vſu LXX virali,) vel crucem, ignominioſam, acerbam: recte explicante Theodoreto, πειρασμὸς, calamitates, nominatim calumnias aduerſariorum & turbas contra ipſum in ciuitatibus excitatas, rel. Neque ex his ipſis, aut in his ipſis, ad ſe quidpiam trahit; Chriſto omnia vindicat, reddit, cuius virtuti & auxilio fidat ſoli, vſ. 9. 10. ſe infirmum, fragilem, per ſe malis imparem: potentem tamen eundem atque victorem, Chriſti virtute, plane mereque diuina, cui idem debere ſe, profitetur Phil. 4, 13. Quid ergo ſibi reliquit, quo gloriaretur? Vera ac ſolida Deo tribuit, inania transmiſit, tantam in Corinthiorum gratiam poſuit, incommoda ſibi decerpſit; vt tamen & in his tolerandis Chriſti virtutem agnoſceret atque praedicaret: ſtultam denique ſubinde appellat omnem iſtam gloriandi ſcenam. Satin

tin' prudenter ac modeſte in illis ſcopulis verſatus videtur? Nec ſatis hoc tamen habet, in ipſa gloriatione nihil minus, quam gloriatum eſſe, niſi & *cauſſas* attulerit, quibus agnoſcant, datam ab ipſo rem eſſe leuem per ſe, ſtultam, temerariam plane atque ineptam, niſi cauſſas ſequatur idoneas. Has ergo & praemittit cauſſas, & ſubiicit: illud quidem C. 11. a vſ. 2. ad 15. Primam cauſſam affert amoris, alteram timoris, tertiam conſcientiae ſuae. Amoris quidem, & in Chriſtum, & in ipſos. vſ. 2. & 11. vtrumque amplexus vſ. 2. Sollicite vos amo, amore incitatus, nolo, vos a Chriſto abſtrahi: ζηλῶ ὑμᾶς, cordi eſtis mihi, non leues, velut aemulo amoris, nolenti, vos, alterius ſtudio, fidem mutare, quam Chriſto per me dederitis, cui iam vos deſponderim, velut nuptiarum conciliator: non placet, hoc foedus amoris, me auctore atque interprete iunctum, turbari ac dirimi ſollicitatione improborum doctorum, veluti riualium. Amanter ergo laborat & Chriſti cauſſa, cui deſponderit illos, & ſua, ne fruſtra elaborauerit in re tam ſalubri, & ipſorum, ne excidant illa tanta felicitate. Quae cauſſa cum in diſcrimen coniiciatur, hinc per iactantiam falſorum doctorum, hinc Corinthiorum ſtudio in illos: negat, quidquam a ſe intentatum relinqui poſſe aut debere. Amori ergo, qua Chriſti, qua ipſorum, hoc a ſe dari, & hic docet, & ſancte affirmat vſ. 11. Deum faciendo teſtem amoris ſui in Corinthios. Sed quia, vt ait Ouidius, res eſt ſolliciti plena timoris

ris amor, accedit & altera cauſſa, metus, quem nudat vſ. 3. Metuo, inquit, ne veſtri quoque animi abducantur a ſimplicitate doctrinae & fidei τῆς εἰς τὸν Χριστὸν, quae vnice referatur ad Chriſtum, vnum illum & verum, (ob vſ. ſequ.) quae nil demat, nil addat formulae ab ipſo, de illo propoſitae, ſed eam ita retineat, vt a me diuinitus propoſita vobis ſit, nil tribuendo aut paganae ſapientiae, aut Iudaicae ſubtilitati, aut Leuiticae legi: quod falſi illi doctores faciunt & admiſcent: quibus me reſiſtere cogat & Chriſti amor, cui vos eripi, a quo vos alienari nolim, & veſtri amor, quibus noxium ſit futurum; ſed & periculi metus. Quod periculum & magnum & facile ac promtum, demonſtrat Euae lapſu: quam ſerpens, Satanas per ſerpentem, (quid enim tale faceret per ſe ſerpens? aut quis tum adeſſet effecturus, praeter eiusmodi naturam mentis alicuius?) & ipſam auertit a ſimplicitate fidei & obedientiae Deo praeſtandae; quam ſi ſimpliciter tenuiſſet, vt recte ab initio fecit, Gen. 3, 3. neque interpretari diuinum interdictum, voluiſſet, aut ſe praebere ſuſpicioni ac dubitationi; non intuliſſet ſibi poſterisque illam calamitatem, qua nunc omnes preſſi laboramus. Idem vobis, inquit, vereor, ne accidat, praebentibus vos calliditati falſorum doctorum, admiſcentium vana, aliena, vtut ſpecioſa, formulae Chriſtianae, vere & ſimpliciter a me vobis propoſitae; quam ego tueri cogor, & Chriſti cauſſa, a quo acceperim, & veſtra, quibus ſalubriter tradide-

rim. Tertiam cauſſam addit, conſcientiam bonae cauſſae, qua doctrinae a ſe proditae, qua ſenſus ſui morisque. Cur, inquit, mihi diffiditis? Cur deficitis a doctrina per me propoſita? Quid 1) aut noui, aut praeciputi afferunt iſti in doctrina, quod aut a) ego nondum attulerim, aut b) melius ſit efficaciusue a me allatis? vſ. 4. aliudne euangelium vobis tradunt? Vtrum pronunt noua, an meliora, ſapientiora, ſanctiora, laetiora, ſalubriora, diuiniora aut efficaciora? Immo falſa, aliena, Chriſti formulae inimica. An vobis monſtrant alium Spiritum S. aliaue eius munera impertire poſſunt plura, maiora, praeſentiora, potentiora, fructuoſiora iis, quae iam acceperitis, cum me miniſtro ad Chriſtum vocaremini? Quorum ſi nil eſſe, ipſi ſentitis, neque in melius vos mutari ex illorum formula: quid eſt, quod illis adſtupeatis, mihi diffiſi? Verum eſto; res nil mutetur: at 2) ipſi forte ſint potiores. Hoc iam ad mores Paulli maxime ac proprie pertinet, oſtendentis, inde a vſ. 5. ad 12. nil a ſe factum, quo illis deterior repudiaretur. Quod vt, in cauſſa poſitum, exſequitur a vſ. 22. ſequ. ad 12. init. ita praemittit alteram partem tertiae cauſſae, quae ſibi neceſſitatem gloriandi iniungat. Videō, inquit, iudico, λογίζομαι, vſ. 5. cum me illis confero, diligenter ac ſine ſtudio, ex re ipſa, me nulla ex parte illis inferiorem cedere, ne veris quidem apoſtolis, ὑπερλίαν, praecipuis, excellentibus, nedum falſis, & ſe iactantibus vltra verum

Ru

Rudis ſum equidem, fateor, oratione, ἰδιώτης τῷ λόγῳ· careo facundia oris ac diſputandi: nempe non ipſe ſolus, ſed cum aliis vere apoſtolis: non poſſum, nec cupio inſurgere arte philoſophica, rhetorica, Iudaica, aut elegantia rhetorum paganorum. Sed hoc ad rem, inquit, nil pertinet, dum inſtructus vtar, & vos impertiam atque inſtruam, vera cognitione rerum vere diuinarum: qua profecto neque ego caream, nec vos carere aut vacare, aut minus valere, ſim paſſus. Quod per omnia vobis probatum dedi. Quid enim meo facto neſcitis, quod quidem pertineat ad ſummam, ad fidem, argumenta, placita, praecepta, officia, ſolatia Chriſtianae doctrinae? Quid aliunde hauſiſtis, quod a me praeteritum iure exprobraretis? An in *moribus* meis aliquid requiritis? Hoc iam, vt inuidioſum, ironice magis tractat, vſ. 7—9. vere tamen & amanter, vſ. 10—12. Illud quaerendo exſequitur: Ecquid vos laeſi, quod vobis peperci, quod ſumtu vos non percuſſi? Socratica plane ironia! Quam variatam auget, 12, 13. *iniuriam* vocans, quam ſibi condonari expoſcat, quod ſumtus materia illis non exſtiterit; qua vna re Corinthii cedant aliis coetibus, a quibus in ſumtum acceperit: quod *ſpoliare* vocat, σύλᾶν, noua ironia, per hyperbolen: quaſi his & multum, & violenter, extorſerit atque eripuerit, ne a Corinthiis ſumeret: vſ. 9. 10. Ita ſemet ipſe quaſi irridet ac perſtringit, quo magis, ex ipſorum conſcientia, falſum & abſurdum

oſtendat, quod diffidentia ipſius Corinthios turbarit: quos audacter prouocat, vt ipſi culpam obiiciant: nil inuenturos, niſi animum liberalem, abſtinentem lucri, ipſorum vere amantem. Vnde & amoris ſignum interpretatur, vſ. 11. Non eo, inquit, nil a vobis petiui aut accepi, quod vos minus amarem, quaſi diffiſus vobis, aut adſpernatus liberalitatem diſplicentium mihi. Quid moratius aut inſtructius iſta diſputatione, qua & facta a ſe referat, vt animi ſui morisque ſigna. & factorum conſilia: quae ſola vere conſtituant mores; quorum vis & conditio in animo ſit, non in factis ipſis, vt quae non vni conſilio dari, pluribus variisque ex cauſſis oriri queant. Tanquam, id ipſum, nil repetere pro opera, aut non accipere datum, Paullus ipſe oſtendit, per ſe non eſſe amoris ſignum: ſubiicit enim per dubitationem, vſ. 11. An ideo nolui ſumtu vos ferire, quod vos minus amarem? Quod non ita eſſe, ſed eos a ſe intime amari, Deum teſtatur. Quid verius? Quid grauius? Quid amantius? Cur abſtinuit ergo? Ipſe aperit ſenſum conſiliumque ſuum: vt praeciderem materiam (exprobrandi, ſuſpicionis,) illic arripiendam, qui cuperent habere, vnde ſuſpectum me redderent vobis, aut a lucri ſtudio, aut ab alia prauitate conſilii: vt iam inueniantur, qualis ego, id eſt, (inuerſa ſtructura,) ego, quales illi: vel, non ego inferior illis, non illi me potiores, in iis rebus, quibus *praeterea* glorientur. *Praeterea* ſupplendum, quia non intelligit abſtinen-

nentiam, a qua alienos plane deinde arguit, vſ. 20. quod & Theodoretus vidit; ſed illa intelligit, quae referuntur inde a vſ. 22. Ita praemiſſas cauſſas, amoris, metus, conſcientiae, vtut iam ſatis munituras neceſſitatem gloriandi, tamen repetit, quaſi denuo perturbatus illa gloriatione, qua perfunctus, denuo excuſetur, & obuiam eat calumniae, forte rurſus ſuborituraे legentibus iſtam iactationem: vt acerbitas vel amaritudo ſaporis hauſta quoque & deuorata refertur & remordet. Repetit ergo, vt praemiſit, vtrimque fulturus bonitatem cauſſae, 12, 11—18. coactum ſeſe a Corinthiis, ſcribens, induere perſonam ſtultitiae gloriando. Veſtras, inquit, ego partes in me traduxi, inuitus occupaui. Veſtrum enim erat, me aliis commendare, non meum, me vobis; quippe re ipſa commendatum: vſ. 12. vt qui omnia inter vos edidiſſem, quibus cenſeri, par eſſet, verum apoſtolum: miracula, vim doctrinae, incommodorum patientiam. Quid requiritis? Nil video relinqui, quo aut aliis cedam, aut vobis defuerim, forte & diſplicuerim, niſi, quod ſumtum & moleſtiam vobis non attulerim. Hoc ſi vos offendit: hanc ſi iniuriam vobis a me factam interpretamini: ecce, me paratum, qui vos *veniam* rogem iniuriae tantae: quam *repetam* tamen, vbi ad vos venero, non magis, quam antea, ſumtu vos percuſſurus: vſ. 14. Quid ſuauius, aut ἀττικώτερον, Socrates, Plato, Demoſthenes dixerint? Delictum vocat, quae ſit libe-

ralitatis & officii virtus ſumma: iniuriam, qui ſit amor ſummus. Nempe ſecure, pie, decore, tales iniuriae inſtaurentur, ne ipſis quidem inuitis, quantum liberalitatis habet, qui patiantur. At cauſſa adiecta quantum amoris! Non veſtra, ſed vos, quaero. Quid liberalius? Parens ego vobis ſum: at non oportet parentes a filiis ditari, ſed hoſce ab illis. Quid amantius? Quid per omnia moratius? Et hunc quidem conſtitiſſe in eos animum ſuum moremque, vt e factis probat priſtinis, promiſſoque ſimul firmet *conſtantiam* quoque probaturo, non abſceſſuri a propoſito, ſemel dato cauſſis firmis & probatis; ita porro fortiter ac ſecure conſcientiam eius & ſuam profitetur, & ipſorum prouocat, vſ. 16. 18. Eſto: nil ego vos popoſci directo; at callidus fortaſſe per alios, quae velut per pſeudothyrum (vt Cicero loquitur, in Verr. 2, 20. &c.) ad me redirent. Quaero ergo a vobis: Titusne, an alii, meo nomine ad vos miſſi, id egerint? Immo eandem abſtinentiam probauerunt. Ita ipſe crimina ſuggerit, quae, ſi poſſint, in ſe iaciant: ſatis quippe certus, coniici non poſſe. Nimirum haec eſt fiducia bonae cauſſae. Qua ſic firmata erectus, iam altius inſurgit; quod iam poſſet, quin debeat, non ſua, ſed Corinthiorum cauſſa, quibus noceret, diffidere ipſi, quorum vtilitati conſultum iret, ad quos omnia referret, vſ. 19. ne doctrinae diffiderent ipſi, dum diffiderent doctori: nec minus ad dedecora auertenda, quibus & magis, & plurimis con-

contaminarentur & corrumperentur, vſ. 20. 21. diſſenſionum, ſimultatum, rel. plane dignis caſtigatione apoſtolica. Cui vt Deum ipſum, ſcit Paullus, adeſſe velle, roburque accommodare: ita non libenter ea vſurum ſeſe, amantiſſime ac molliter profitetur, cum inflexione oratoria plane. Dicturus quippe vſ. 21. ne cogar caſtigare, punire, dicit: ne Deus (dicendo, *ne*, oſtendit, ſe id nolle; moleſtum ſibi fore;) me affligat, dolorem & demiſſionem animi incutiat mihi, neceſſitate impoſita vos caſtigandi duriusque habendi: id quoque inflexe dixit: non ego, ſed Deus, puniet; ego non fecero: ſed Deo volente cogar inuitus: ita & excuſat, quod Deo cogente ſit faciendum, & tamen vindicat & auctoritate diuina munit, firmat, certum ſiſtit, pondus addit: ne lugeam (non dicit, ne *puniam*, ne vobis dolori ſim, ſed in ſe transfert dolorem, ad ſe peruenturum, demonſtrat:) plurimorum peruicaciam prauitatemque. Ne nominat quidem poenam, qua Corinthios: luctum vocat, pudoremque (ταπείνωσιν,) ipſi acerbiorem, quam illis, neceſſarium tamen. Poteratne apertius aut grauius oſtendere & amorem & ſapientiam liberalitatemque amoris, non mollis, non ambitioſi, non nocituri, ſed & poenam ſeueritatemque inhibituri, ſalubriter, vbi opus eſſet, non ſine dolore tamen? Plane vt in Bruto, primo Conſule poſt reges exactos, Liuius ait 2, 5. extr. eminuiſſe animum patrium in filios, reos & ſupplicio afficiendos, inter publicae poenae miniſteria. Sed enim, quando videbat,

vtendum vtique esse seueritate, quam & necessario inhiberi, ostendisset argumentis amoris in illos sui, & secure inhiberi, firmasset illis vindiciis muneris sui, & diuinitus iniuncti, & recte habiti, conscientiaeque nulla culpa deiectae aut obnoxiae, iam grauius denuntiat illam seueritatem, c. 13. cum aduentu suo: breuiter & praefracte sese acturum, testibus crediturum vs. 1. auctoritate vsurum, plus, quam velint fortasse; cuius auctoritatis specimina quaerant praeter necessitatem, vs. 3. atque ita acturum fiducia Christi, qui & ipse polleat virtute diuina, qua nunc & ipse vtatur solida ac perpetua, post mortem toleratam in illa ἀσθενείᾳ: (ἓν est pro ἐν; vel, ἐξαδ νείας, pro, ἀσθενὴς (ἔτι ὢν·) ita enim ἐν poni, v. Glass. Philol. P. p. 32. med. edit. Dath.) in illa conditione humili & infirma, & ipsum cum aliis apostolis instruxerit sua virtute, vs. 4. daturus olim vitam aeternam, beatam, eadem virtute, quam & iam ostenderit in Corinthiis ad se vertendis, & exhibituris sit in eorum prauitate & insolentia coërcenda per Paullum. Haec est enim vis verborum, *in vos*, vs. 4. Cuius virtutis ac spei fiducia quemquam a se timeri negat: sensurosque, dicat, Corinthios, vs. 8. etiam si ipsi forte sint ἀδόκιμοι, alieni a Christo, ipsum tamen non esse, sed & fidum Christo, & potentem virtute & auxilio eius, haud infractum, haud demissum, haud obnoxium, aut molliter timideue ambitiosum. Grauis sane denuntiatio, vt commoti & alacritate conscientiae, & indignitate pra-

prauitatis insolentiaeque Corinthiorum. Sed ecce cito se colligit; ad ingenium redit, non vltra minax, quam opus fuit, immo citra; suspicionem metuens arrogantiae acerbitatisque; reddit humanitatem illam suam, modestiam, amorem, non sibi placentem, sed amatis omnia tribuentem. Rogo, inquit, Deum vs. 7. ne quid grauius aut ipse in vos statuat, aut me statuere adigat; vtrumuis enim, immo *vtrumque* forte, signatur vocabulo & structura, ποιῆσαι, in quo suppleas aut θεὸν, aut ἐμέ. Neque enim, inquit, mea interest quicquam, vt vim istam meam vobis incutiam; sed, dum vos probemini Deo, paratus ego sum, cupio, vel infirmus videri vobis, apud vos, quasi iure omni ac vi destitutus, qua non vti malim, id est, opus non esse vobis, ante meum aduentum in melius versis. Cui exspectationi aduentus mei, inquit, hanc ipsam denuntiationem praemisi, vs. 10. non, quam effectu redderem, sed, qua vti nil attineret: vt pote a Deo data auctoritate, ad cuius voluntatem ideo moderarer illam, non qua euerterem, sed quo prodessem. Hunc & apud vos, in vos, cupiam, dari vsum meae potestati: laetaturus vere, & Dei & vestra caussa, si vos sitis aut reddamini ita firmi probique, vt nos nihilo magis opus habeamus ostendere atque inhibere vobis apostolicam auctoritatem, quam si plane (ἀθετῶμεν,) ea destituamur. Quid simile pectori huic Paulli, libenter cedentis atque abstinentis omni vsu auctoritatis, eiusque diuinae, dum re-

ɛte & ſalubriter agant hi, in quos illam exſerere poſſit: ſatis id habituri, nullo decore aut fructu ſuo?

Omnino, ſi qua alia, haec ad Corinthios morata Epiſtola inuenitur: quae quidem, praeter ea, quae ſatis prolixe adhuc, non vltra modum tamen, notauimus, etiam *ſecuritatem* exhibeat, vel ἀδιαπρεψίαν, recta modo ſequendi, fidendi Deo, muneris iuri, veritati & ſalubritati doctrinae, neceſſitati officii, conſcientiae amoris & conſilii liberalis, ſtudio vtilitatis eorum, ad quos ſcribat: Quo quidem erectus, nil vereatur, inter medias obiurgationes, & moleſtiam gloriandi denuntiatam, poſcere tamen Corinthios c. 8. liberalitatem in Palaeſtinos: quippe ſecurus aequitate rei, ſalubritate, honeſtate & amore Corinthiorum in ſeſe. Sed non minus

Ad Galatas Epiſtola exhibet orationem moratam, aut narrationem plane *pragmaticam* inſtructam cauſſis, aptatam conſilio epiſtolae, cum aliis ſententiis, morem Paulli interpretaturis. Quod quidem grauiter ſatis exorditur ab initio ſtatim Epiſtolae, cuius occaſioni conſilioque dedit appellationem apoſtoli, nunquam alias tam diligenter poſitam, nec ſimpliciter hic, vt alibi, ſed cum aſſeueratione, quam negatio intendat, vſ. 1. non ab hominibus, auctoribus (Principalem,) quorum cauſſam negotiumque ſuſciperet, nec per homines, proxime ac directo, ſed per Ieſum Chriſtum ac Deum Patrem. Recte hic monet Theodoretus, particulam διὰ hic non notare

tare velut ὑπουργὸν, miniſtrum, quaſi minus particula ἀπὸ· eandem enim hic dici de Patre, vt de Filio: quem *parem* illi, non inferiorem poni, appareat. Adde, quod auctoritas apoſtolici muneris, per *Chriſtum* data, manifeſto opponitur, per homines datae; plane, vt infra, vſ. 10. negat, ſe *Chriſti* miniſtrum fore, ſi *hominibus* ſeruiat: quos antea *Deo* oppoſuiſſet: vtrum ſtudeo hominibus, an Deo, probari? Differre tamen iſtas ſuas particulas, in priori vtique membro, ſatis apparet, quia per δὲ diſtinguantur. Vnde, quia deinde, in altero membro, vna tantum, διὰ pro altera ſimul ponitur, ita diſtinxerim, vt ἀπὸ notet eum, cuius rei agatur, cuius velut auſpiciis geratur, ad quem pertineat, dominum negotii & mandati, בעל-דבר, (Principal, vt ſupra poſui,) ad quem pertineat, quo auctore & arbitro cenſeatur, διὰ autem notet mandantem, qui rem agat, ſuam alteriusque, & ſuo & alterius nomine; tanquam ſi, vt ICti loquuntur, Titio & Caio, habentibus negotium commune & idem, cuius ſint domini, immo dominus, id Titius mandet Sempronio, non vt miniſter, ſed auctor & ipſe, recte Sempronius dicatur vocari *per* Caium, a Caio & Titio. Tametſi quid attinet tricari hoc loco? Quis enim Rom. 3, 22. recte aut certo diſtinguat εἰς πάντας καὶ ἐπὶ πάντας; Ita & hic Paullus, efficacius negaturus, particulas geminauit. Cur ergo negat, humanitus ſe vocatum? Nempe, vt iam nunc moneat Galatas, non poſſe, non debere,

non

non licere, mutari formulam euangelii, quia, quod diſerte ponit vſ. 12. non ſit καὶ ἀνθρώπου, non ingenii humani commentum, non humano iure aut cuiusquam arbitrio immutandum: quia non ab *hominibus* illam edoctus ſit, aut mandatam acceperit, ſed Chriſti monitu. Quem, hic tam manifeſto hominibus oppoſitum, profecto non video, qui pro mero homine habeam, aut haberi a quoquam poſſe, dicam. Sed, quod ſit proprium loci huius, & *morem* ſuum oſtendit Paullus: externum primo, perſonae, qua ſit diuinus apoſtolus Chriſti & patris: vt videant, quîcum ſit res ipſis: cum eo, a quo edocti vera & diuina, non poſſint tam ſubito, tam leui momento aut vllo plane modo deficere; qui pati non poſſit, a ſe propoſita ita mutari, quippe non humana, ſed diuina: verum & internum morem, conſcientiam firmiſſimam & muneris diuinitus mandati, & doctrinae diuinitus patefactae ac creditae: vnde eam neque ipſe leuiter habeat, nec patiatur, a quoquam tam facile ac leuiter inuerti, mutari, relinqui, neglectimue haberi: ſecurus, quid de ſe homines ſentiant aut loquantur, Iudaei falſique doctores, dum Deo & Chriſto probetur, & ſatisfaciat muneri diuinitus commiſſo, veram cauſſam tueatur, nec patiatur, noceri tam ſalubriter ad illam conuerſis, ipſe prius ad illam verſus, ac diuinitus deinde deſtinatus illi prodendae. Quod interpretatur & probat inde a vſ. 11. iam profeſſus antea vſ. 10. animum ab omni ambitione alienum,

num, ſoli Deo & Chriſto addictum. Quid enim? inquit: Deone an hominibus placere nunc ſtudeo, aut amicus illis carusque eſſe? Id enim hic notat πείθειν· *nunc*, ait, i. e. in hac cauſſa, quam nunc ad vos agam: vel nunc, in hac mea conditione, ex quo ſim verſus ad Chriſtum apoſtoli munere ornatus? An id laboro, vnice quidem, praecipue, directo, vt hominibus placeam, quod vel Deo diſpliceat, cum detrimento cauſſae diuinae, diuinitusque iniunctae? An vero mea quidquam refert, quam grata ſint hominibus, quam accommodata eorum opinionibus, ſtudiis, moribus, quae, cum & vera & diuinitus eſſe mandata, ſciam, vera & ſalubria promam, rationem Deo redditurus ſoli? Immo, ſi hominibus placere ſtudeam, ſolis, maxime, ambitioſe, ſecurus Dei & doctrinae eius, tum vero non ſim ego apoſtolus, non Chriſti interpres, filii Dei, vere Dei, a quo mandata oporteat peragere, tuerique ſola, ſimpliciter, non inuertere, aut, hominibus lenocinantem, ad eorum ſenſus componere atque effingere. Hunc animi ſenſum moremque illis profeſſus, conſcientiam veri, conſtantiamque tuendi, quod ſciat verum, metuentem ſolius Dei, non hominum, ſoli Deo inſeruientem, hominibus conſulentem non ambitioſe aut obnoxie, ſed prout Deus iuſſerit, iam oſtendit, vnde hauſtum hunc ſenſum moremque tam firmiter teneat; idque narratione inſtructa, & doctrinae Chriſti a ſe adoptatae & apoſtolici muneris ſibi impoſiti. Et illud quidem oſten-

dit

dit ita, vt fidem faciat rei ex diuersitate sensus, studii, moris, quo sit vsus, cum esset etiamnunc Iudaeus. Significo vobis, inquit, vs. 11. id est, in mentem reuoco gnaris, sed oblitis, (vt 1 Cor. 15, 1.) volo, id vos meminisse, tenere, sequi, neque ex eo metiri & rem ipsam qua vos existimare: euangelium *meum*, id est, mihi patefactum & traditum, vobis a me propositum, non esse κατ' ἄνθρωπον, non ab hominibus ortum aut excogitatum per se, non mihi humanitus patefactum aut commissum, non ad hominum ergo studia libidinemue accommodandum; quippe cuius formulam non ab hominibus, ne a reliquis quidem apostolis, vs. 17. 18. 2, 6.) sed a Christo, (Deo ergo, non homine; nam & angelos sacros esse iubet, si mutarint;) edoctus hauserim: vnde agnoscatis, & mihi constare de diuina illius fide atque auctoritate, & me, ne si velim quidem, quod nolim tamen, posse ex eo quidquam in culusquam gratiam remittere, subtrahere aut mutare. Cui rei fidem adstruit vs. 13—15. Ipsi auditum scitis morem meum pristinum, (ipsis ergo testibus & conscii vsus pugnat;) cum essem Iudaeus, quanto studio non modo defenderim Iudaicam professionem, cui innutritus essem plane, ita, vt etiam aequales meos superarem ac post me longe relinquerem scientia & amore eius. Sed & Christianos vexarim atque afflixerim. Quod cum omnes scirent ita fuisse: facille intelligerent, non sine summa & grauissima caussa, & plane conuersione omni-

omnium, potuiſſe Paullum auelli & mutari a ſenſu inde a teneris hauſto, tam ſtudioſe propugnato, traduciue ad formulam illi adeo inuiſam, tanta acerbitate impugnatam. Quo eodem conſilio Iudaeis notat eundem morem ſuum, Act. 22, 3—6. Agrippaeque & Feſto, 26, 4—12. Quaenam ergo cauſſa tantae ac tam ſubitae commutationi? Eam cauſſam aperit vſ. 15. Simul, inquit, Deo viſum eſt, qui me Chriſtianum reddere vellet, quem apoſtolum ſibi deſtinaſſet, filium ſuum mihi patefacere, (ἐν ἐμιν, & mihi, & per me aliis,) me ad eius cognitionem vocare, eaque imbuere directo, per ſe, non per homines, ne per apoſtolos quidem: nolui ego reſiſtere Deo, nec potui, immo ſtatim ſum amplexus doctrinam atque profeſſionem Chriſti, cuius veritatem adeo euidenter introſpexiſſem! O liberalitatem magni apoſtoli & vim animi, & ſapientis conſtantiae, ſingularem! Veris cedit victus, probatis vtitur; a teneris hauſta, probata, defenſa, ſtatim condonat verioribus & cedere iubet, ſimul ſatis certo agnouit, idque promte, & ita, vt eodem ſtudio nunc probata defendat, quo ſit antea inſectatus reiecta. Ita, ſine pertinacia firmus, & falſa omittit vt falſa & vera amplexus retinet tueturque, vt vera. Ceterum, certus, vera ſeſe diuinitus eſſe edoctum, iam, nil attinere, putabat, ſubmittere iudicio aliorum, ne apoſtolorum quidem, a Deo tradita. Quare negat, vſ. 16. ſe communicaſſe, (rem illam) conſilia contuliſſe, cum *carne* & *ſanguine*. Quod qua-

quale ſit, ipſe, optimus ſui interpres, aperit, vſ. 17. negans, ſe rem detuliſſe ad apoſtolos, qui ante ſe eſſent: quos C. 2. Petrum & Iacobum nominat. Neque enim hic οὐδὲ aliam rem notat, quam & ipſam non fecerit, ſed vnam eandemque, eo ipſo a ſe non factam, quod illud non fecerit: Quaſi dicat: non detuli rem ad homines, vt (vel, quod facerem, ſi) abirem ad apoſtolos me vetuſtiores, quibuscum eam communicarem, cogniturus, ſatin' recte omnia percepta doçerem illorum formulae congrua. Ita 1 Tim. 5, 22. Noli cuiquam feſtinanter aut temere munus ſacrum imponere, nec te ſocium offer culpis alienis: id eſt, ne hoc ipſo, vel, quo ipſo venias in ſocietatem alienae temeritatis. Non duo diſtincta vetat, ſed vnum, quo ipſo alterum ne fiat. Ergo caro & ſanguis hic ſunt apoſtoli, *homines* quippe: (vt Matth. 16, 17.) ad quos, neget ille, a ſe relatam rem illam, nempe formulam Chriſtianae doctrinae, ſummam euangelii, ſibi a Chriſto patefactam: quippe diuinitus traditam, neque indigentem auctoritate (Beſtätigung) hominum, aut reliquorum apoſtolorum, qui, vtut & ipſi diuinitus inſtituti, potiores tamen Paullo non eſſent, vt diuinitus edocto & ipſo, qui opus non haberet, nec deberet, a Chriſto accepta referre ad iudices apoſtolos, quos ipſo Chriſto potiores faceret iſta πρὸς ἀναθεμενος. Statim ergo, ſe, ait, inconſultis illis, ad alias gentes regionesque detuliſſe doctrinam, acceptam ab ipſo Chriſto, cui ſatis fideret vni:

vni: idque feciſſe per triennium: quo exacto demum, veniſſe Hieroſolyma, vbi Petrum & Iacobum viderit & conuenerit: vſ. 18. Quod iteratum ſibi, poſt quatuordecim annos, refert 2, 1. 6. per quod interuallum rurſus implerit doctrina euangelii loca multa & populos multos. Duas hic ſimul res ſecutum ſeſe Paullus, duplicemque animi morisque virtutem, oſtendit; alteram, conſcientiam bonae cauſſae, Deo auctore nixam, hominum ſecuram; alteram, liberalitatis, ingenuitatis, humanitatis, moderationisque ſimul: ſed & prudentiae; quod noluerit tamen declinare aut ſubterfugere conſpectum ſermonemque aliorum apoſtolorum. Quod vt ipſum oſtenderet conſcientiam bonae cauſſae, fidemque faceret; datum tamen eſt maxime illi conſilio, ne videretur ſuperbus, arrogansque ſibi fidere ac placere ſoli, contemnere alios, aut auerſari etiam atque odiſſe, aut timere fortaſſe atque horrere, quaſi male ſibi conſcius aut muneris temere ſumti, aut doctrinae parum ſincere propoſitae: tum vero, quo maior & apud reliquos fides conſtaret ſuae doctrinae, apud eos quoque, quos adhuc euangelio imbuiſſet, iam non dubitaturos, ſatin' recte illis omnia informaſſet, an a reliquis apoſtolis discreparet. Quod conſilium ſibi fuiſſe & ipſum, interpretatur, 2, 2. ne forte in vanum currerem porro, aut iam cucuriſſem, ne fruſtra euangelium proderem aut iam prodidiſſem dubitantibus aut dubitaturis de conſenſu meae formulae cum doctrina aliorum apoſtolorum, ſi audiſſent, me ſeorſim agere &

habere res meas, nil quidquam cum illis communicantem aut consociantem. Quare non ad ipsum pertinet timor hic, quasi incertum, vera an vana, promserit: quod manifesto aduersetur vs. 11. 12. 16. 17. verum ad auditores adhuc illius & futuros: ne in dubitationem coniicerentur, videntes nullam societatem Paulli cum reliquis apostolis: quod suspicionsum sane esse posset. Cui suspicioni occurere niteretur conferendo cum Petro, Iohanne, Iacobo: & prudenter & liberaliter, & cum fiducia bonae causae conscia: nec sine successu, vel, quod probarunt eius formulam vniuersam, vs. 6. nec quidquam addiderunt eius formulae vltra ea, quae iam sciret ac promsisset, vel, quod socium eum & communem causam professi receperunt: vs. 7. vel, quod rem cum eo composuerunt, partiti prouincias, vt ipse in paganos abiret, illi Iudaeis operarentur. Ita munitam vndique auctoritatem, veritatem, fidem & doctrinae suae & muneris apostolici, testimonio & auctoritate, qua Dei & Christi, qua hominum apostolorumque, prudenter sane ac firmiter, ad quamlibet dubitationem, liberaliter, vt & hominum de se opinioni, desiderio, vel satisfaceret, vel occurreret simpliciter itidem, ordine rei gestae narrato cum fide, ita ergo firmatam, vt a Deo datam, agnitam reliquis apostolis & probatam, quomodo adhibuerit atque exseruerit, id est, quam sit & certus eius & retinens, nec possit aut velit condonare inde quidquam vel Galatis, vel aduersariis vllis,

ostendo

oſtenditiam duplici ſpecimine: altero Titi, vſ. 3. non coacti, paganus cum eſſet, fungi circumſectione, vt, liberum eſſe, oſtenderet, quod in Timotheo tamen ſponte ſua dediſſet opinioni Iudaeorum, Act. 16, 3. Quo ipſo oſtenderet utrumque, & poſſe fieri, in Timotheo, & non oportere, in Tito: liberum plane, haud neceſſarium eſſe. Quod alterum, vbi opus eſſe, viderit, hoc eſt, id agi a falſis doctoribus, vt tanquam neceſſarium obtruderent, conſtanter a ſe & obnixe negatum, demonſtrat, poſtulationi illorum, quam intentarint, ſpeculaturi, i. e. accuſaturi & calumniaturi, circumſcripturi ac ſublaturi, euangelicam libertatem Chriſtianorum. Vnde negat, vſ. 7, ſe illis ceſſiſſe obſecutumue eſſe, ne temporis quidem cauſſa, πρὸς ὥραν, quaſi vt illos interim placaret ac permulceret; aut ne ad momentum temporis quidem: non pertinacia, quam alienam a ſe oſtenderit in Timotheo ſponte circumſecto: ſed quia verſurum eſſet in fraudem doctrinae euangelicae, ſi pro lege obtruderetur. (δὲ quod & abeſt libris quibusdam, & abeſſe rectius quibusdam videtur, mihi vix videtur abeſſe poſſe, tum e conſilio Paulli, quod & ſubiicit: vt libertas euangelii vobis rata eſſet: tum quod falſis illis *nunquam* ceſſit.) Altero ſpecimine vtitur Petri ipſius, coram & aperte a ſe moniti atque confutati palam; vſ. 11. Qua in re exhibuit Paullus 1) conſtantiam curamque ſeueram tuendi doctrinam & veram, & diuinam, & grauem, & ſalu-

tarem, vel contra apoſtolos alios: in eaque ſimul 2) fortitudinem nemini obnoxiam, haud ambitioſam, ſibi conſciam ſenſus veri muneriſque diuini: vnde & addit, vſ. 11. *coram* ei reſtiti, κατὰ πρόσωπον, praeſens praeſenti; nec ſoli ſolus, ſed coram omnibus: quod & addit vſ. 14. 3) liberalitatem ac ſimplicitatem, non detrahentis abſenti, non accuſantis ignarum & deſtitutum atque excluſum loco & copia ſui defendendi, ſed praeſentem ipſum, auditurum, reſponſurum, ſi poſſet: quod ſit animi & ingenui, & fortis, ac recte ſibi conſcii: 4) ſubtilitatem cognitionis, veritatemque doctrinae: quam probat argumentis, vſ. ſequ. & Petri exemplo parum conſtantis ſibi, qui coëgerit paganos Iudaice viuere, ipſi ſibi legis gratiam fecerit: & reliquorum Iudaeorum, iam ab illa lege ſolutorum: & ab inutilitate legis, per mortem Chriſti declarata, vſ. 16. & ex abſurdis, inde conſecuturis, ſi Chriſtus ſoluerit neceſſitatem ſeruandae legis, quam ſeruandam tamen profiteantur, qui eam ſibi aliisque impingant: ex ſuo denique ſenſu, qui proprie huc pertineat: vſ. 19. ſequ. Qui verſus, ſiue partem etiamnunc faciunt diſputationis cum Petro, cui orationi continuentur, ſiue, finita illa in vſ. 18. iam, velut relicto Petro, Galatis dicuntur, ſenſum oſtendunt Paulli, totum ſe Chriſto dedentis, eiusque amore atque fiducia contemnentis humana omnia, nominatim ac praecipue Iudaicos ritus, Chriſti morte ſolutos: quibus ipſe ſit mortuus, plane ab iis remotus & ſegre-

gregatus, vt iam nec velit, nec poſſit iis miſceri aut vti: idque effectum ipſa lege, Chriſtum monſtrante ac repraeſentante, (Gal. 3, 24. Ebr. 10, 1.) partim figuris, partim ſua tenuitate, monente amplecti potiora, id eſt, beneficia Chriſti, quae ipſa ſignaret: quicum ſemet, praedicet, cruci affixum, id eſt, frui & acquieſcere in beneficiis mortis eius, vt pro ſe, ſuam vicem, velut ab ipſo, toleratae: (2 Cor. 5, 14. 15.) vnde & alienus ſit ab omnibus rebus humanis, quas pro nihilo habeat, vt ad nihilum Chriſti morte deductas: quod interpretatur, 4, 14. (v. infr.) exhibetque hic porro ſenſum debentis Chriſto omnem vitam ſuam, vires, ſenſus, ſtudia, facta, conſilia, & mancipantis illi, qui pro ipſo ſe deuouerit morti: vnde efficiatur & ius Chriſti ſummum, in ipſum & omnes, ſanguine & vita eius emtos, & amor ſummus, quem firmarit tali pignore Chriſtus, debeat Paullus & alii Chriſtiani. Quod etſi ad Leuiticam legem maxime pertinet, de qua habitus ſermo proprie hic referatur: maiora tamen ſunt, quae de Chriſti amore, morte, eiusque efficientia in animo Paulli, & commutatione in illo effecta, tam grauiter hic peraguntur, quam quae patiantur, ſe coërceri vna illa tenuitate, immo ieiunitate Leuiticae legis, aut huius tantummodo liberationem ſpectent, non & *morum* legis: cum praeſertim & *paganos* illorum numero comprehendat, vſ. 15. 16. qui non lege obſeruanda, ſed fiducia Chriſti, commendentur Deo. Quid

enim ad paganos lex illa Leuitica? Quibus si per mortem Christi nil ostendebatur aut efficiebatur, nisi, vt Deum colerent pie & sancte, ex lege morum, delictorum veniam sperantes, *obsignatam* morte Christi: quae summa esse solet formulae repudiantium vicariam mortem Christi atque piacularem: relinquebatur tamen, vt studerent seruare morum legem, ea conditione, vt seruanda illa placerent Deo ad copiam salutis coelestis; *alias* enim conditiones legis seruandae non reliquit modo Christus, sed denuo etiam sanxit; quis neget? aut quis pie negare possit? illa vna tamen sublata, quae non caderet in nostram tenuitatem atque infirmitatem; quam sublatam illa morte, patet e vs. 16. vbi negatur ἄνθρωπος, πᾶσα σάρξ, omnes, Iudaei, non soli, sed & pagani, posse probari Deo seruanda lege: quod de paganis, qua rituum legem, in mentem venire nemini debuit: & 3, 13. 14. legitur Christus suscepisse morte sua poenam, violata lege, commissam, vnde & *pagani* copiam haberent beneficii Abrahamo promissi: quod quale erat? Non profecto liberatio Leuiticae legis, quae nulla tum esset, cum Abrahamo ista promitterentur: (Rom. 4, 10. 11. ne postea quidem, per illud interuallum, dum promulgaretur in monte Sina: Gal. 3, 17. quo ipso loco haudquaquam excluditur lex morum:) sed poenae, commissae etiam paganis, Rom. 1, med. morum lege negligenda. Nec vero assequor, quid magni aut eximii, aut quod paganis quoque magnum significaretur, ac-

cef-

cesserit nobis per Christum, maxime ex *morte* eius, cui fidere iubeamur, non doctrinae eius, cuius, ipsius arx & summa vbique ponatur mors & sanguis Christi, aut dignum satis tanto promissor hiatu; isto molimine vaticiniorum, typorum, apostolorum, miraculorum, ediderit, si nil aliud secutum est, nisi, vt iam liberum esset Iudaeis, exsolui vinculis Leuiticae legis, qua per tot annos pressi ingemuissent, tantum, vt illum repraesentarent atque exspectarent, qui nil aliud, quam significaturus veniret, istis ritibus Deum non coli? Quod & sana ratio docuisset, & prophetae iam diuinitus monuissent? Ad paganos autem quid inde noui, aut magni, aut commodi redundaret, quos nunquam ista lex tenuisset? Plane vt ludibria nobis, & ieiunae ambages, & maior suo consilio apparatus, haudquaquam satis *philosophice*, ingeri videantur ab his, qui nil aliud, quam philosophicae morum doctrinae Christum auctorem faciant. Alia mens Paullo, mos alius: quem hic ita interpretatur, vt, totum se esse Christi, omnia illi debere, ad eumque referre, & Petro & Galatis, vere, palam, libere, grauiter, constanter, ac modeste tamen, profiteatur. Quippe & modestiam probauit, nil aspere, nil contumeliose loquendo, nil inuidiose aut de Petro, aut ad Petrum, veris tantum pugnando, argumentis e re ductis, & suo sensu interpretando atque tuendo. κατεγνωσμένον quidem vocat Petrum, vs. 11. Sed quid hoc notat, nisi *improbandum*, reprehendendum, non pro-

bandum? Quod ſane eſſet, in tanta conſtantia & varietate, & per ſe indigna tali viro, & in hac cauſſa grauem ſecurim iniectura verae doctrinae: quin etiam vel ſimulationem habente, (ὑπόκρισιν vocat, vſ. 13. legis colendae, quam non coleret, vel diſſimulationem, doctrinae & profeſſionis, & voce & factis adhuc editae: contemtum itidem & faſtidium prae ſe ferente paganorum; haud ſecus, ac generoſi nonnunquam atque illuſtres, qui vel ſint, vel ſibi videantur, ſatis ciuiles, cum ſoli ſint cum plebeiis aut humilioribus, ſubtrahunt ſeſe ac defugiunt illorum tenuitatem, vbi pares interuenere. Quibus omnibus reſiſtendum vtique, Paullus videret. Neque enim ea cauſſa hic agebatur, vbi locus eſſet illi facilitati, quam profeſſus alibi Paullus, & tenuiſſet, 1 Cor. 9, 19. & aliis commendaſſet, 1 Cor. 8, 8. ſequ. 10, 32. 33. Nam in illis cauſſis non, vt hic, agebatur doctrinae profeſſio, auctoritas atque integritas; ſed vitae ciuilis facilitas comitasque, qua 2) facilitate & commoditate Paullus vtebatur aduerſus *ſolos*, vel Iudaeos vel paganos, ſolus cum ſolis: non, vt Petrus, relinquebat aut faſtidioſus vel timidus declinabat *mixtos* Iudaeis paganos: quod hi profecto traherent in contemtum ſui ignominiamque, qua offenſi, poſſent iniquiores reddi formulae Chriſtianae: 3) conſtabat ſibi Paullus: id eſt, omni loco ac tempore tenebat tuebaturque non *idem*, quod eſſet aut ſtulti, aut Stoice peruicacis, ſed, quod *opus* eſſet: omittebat iſta, vbi videret, melius

lius omitti; vbi rectius interim teneri, tenebat. At Petrus cur hic repente in alium morem mutabatur Iudaeorum interuentu? Cur vtebatur antea conuictu paganorum, nunc abstinebat? Nonne dabat ambitioni, gratiae, timori? Sati'n' constanter? Sati'n' ex formula? Sati'n' liberaliter, aut sincere adeo in paganos? Quibus quid animi fuisse, censemus, videntibus, illum Petrum, interpretem euangelicae libertatis, qui paganos simul cum Iudaeis ad Christum vocasset, illa comitate vsum aduersus ipsos, repente, aduentantibus Iudaeis, veluti fastu inflatum, aut peccati conscientia timidum, resilire, ipsos aspernantem, fastidientem, veluti Iudaeis deteriores, quibus pares illos effeciſſet & habuisset doctrina sua, tantum non damnantem ac retractantem, quin factis mutantem, quae voce tradidisset, factis praestitisset? At e diuerso Paullum amplecterentur vt coelitus plane demissum, vindicem atque assertorem iuris ipsorum, Iudaeum & ipsum, sed ciuilem paganis atque exaequatum, solantem ipsos atque erigentem sua comitate. Plane aut nunc, aut nunquam, causſa & necessitas aderat verae doctrinae tuendae; eum praesertim, quod apparet e vſ. 14. non ipse modo Petrus sese subtraheret a paganorum conuictu, sed & ipsos adigeret in formulam Iudaismi. Ita fit, vt inueniatur per omnia Paullus constare & sibi, & formulae a se proditae, & temporibus, locis, necessitatibus inseruire cum causſa. Haec ergo quorsum disputauit? Vt pateret Galatis & con-

ſtaret, doctrinam, quam ab iis relictam reuocaret, eſſe diuinitus veram atque immutabilem; neque alia nunc a ſe prodi, quam quae, non ipſis modo a ſe tradita, ſed & vbique omnibus, etiam conſtanter tenuerit, non modo contra Iudaeos, ſed & contra Petrum ipſum, aliosque apoſtolorum: quas, vt in re ipſa tamen conſentientes habuerit, ita reuocarit, factis a formula diſcedentes: vnde vt mutet quidquam detrahatue, nec Galatis exſpectandum relinqui. Verum & per partes epiſtolae ſpargit hunc ſenſum atque morem ſuum, in exordio hic, quaſi a fronte, vbi attineret maxime, ad parandos & occupandos animos, collectum atque effuſum. Timeo vos, id eſt, qua vos, veſtra cauſſa, vobis, vel ex vobis, (vt Hom. Iliad. 24, 152. & 180. μήτι μετ' ἐτῶ θανάτοιο, id eſt, περὶ τῷ θανάτῳ· & Virgil Aen. 3, 684. *iuſſa* MONENT SCYLLAM atque Charybdim, i. e. qua Scyllam & Char. de illis: aut redundat *vos*, accuſatiui more,) timeo, inquit, ne fruſtra in vos operam effuderim, nempe, vos ad Chriſtum vocandi, cuius formulae repugnet neceſſitas Leuiticae legis. a vobis iam repetita, & ad libertatem vocandi euangelicam, qua vos exutos ipſimet reddatis in vincula legis & rituum. *Timorem* ergo hic, moris ſui partem, fatetur, oriundum partim e conſcientia propoſitae illis a ſe verae doctrinae, quam ab iis deponi, doleat, & merito, & intime: partim ex ſua conditione; quis enim libenter aut aequo animo perdiderit operam, & fidam, & mag-

magnam, & ſalutarem? Sed multo maxime ex amore, & Chriſti, a quo alienatos abſtrahi Galatas, moleſte ferat, & ipſorum Galatarum, quibus minime ſit decorum, fruſtra toleraſſe tot ac tanta, (3, 4.) & ad repudiata reuolui, (4, 9.) & nociturum, 3, 4. Hortaturque eos, vſ. 12. vt velint ſimiles fieri ipſi, quia ipſe ſimilis illis & fuerit, olim, in Iudaiſmo, & nunc factus ſit, liberalitate, commoditate, facilitate vel ſeruandorum rituum, vel negligendorum. Vtrumlibet recte intelligatur, & qua rem, & qua verba. Nam in voc. ἐγὼ ſuppleas, γέγονα, quod & praeteritam inferat, & praeſentem conditionem. Ac prior quidem ratio placet Theodoreto referenti ad Iudaiſmum, a Paullo repudiatum: quod idem fieri a Galatis velit, quaſi dicens: Me intuemini! Fui & ipſe Iudaeus, (1, 13. 14.) & tamen mutaui, non ſine cauſſa, quam & vos habeatis, & recte ſequamini. Sed enim neſcio quid manci habere iſta ratio mihi videtur. Cur enim non dicit: quia & ego mutaui? Nec vero dignum ſatis grauitate & liberalitate apoſtoli, poſtulare, vt Galatae mutent ſenſum, *quia* ipſe mutarit. Vbi enim ita loquitur? Nec ſane mutarat in gratiam Galatarum, vt in ſuam gratiam repeteret ipſorum commutationem, quippe longe aliis cauſſis vtrimque nixam & debitam. Quare altera ratio praeplacet: facitote, vt mei ſimiles ſitis, non curando aut metuendo iſtos ritus, in quibus & tenendis me commodum & facilem habeatis, ſi tui veſtrum gratum facere paſſim: imi-

imitamini hanc facilitatem tenendi, reddendo gratiam negligendi & omittendi: vt libere ac liberaliter vtrimque agamus. Inſeruii ego vobis: veſtris ſum moribus obſecutus: facite, & mihi parem obſequii laetitiam afferatis. Quod & iis reſpondet, quae ſubiicit: quaeſo vos: nulla me iniuria affeciſtis. Cur ergo mihi inuritis tantum dolorem? An, iratum vobis me, putatis, qui vos tam ſeuere accipiam? Ecce, iam, miſſa ſeueritate, ad preces deſcendo: vos rogo, quod veſtra magis interſit, quod mihi tamen magis, vt gratum futurum, expetam. Nulla me in re offendiſtis; immo vos mei amantiſſimos praebuiſtis: vſ. 13. rel. Quae iam ad Galatarum mores referenda, inferius notabuntur. Ad Paulli autem mores huc redit, quod addit: acceſſi ad vos, egi apud vos, per firmitatem (cum infirmitate) carnis, id eſt, cum ſumma tenuitate, nullo apparatu doctrinae, eloquentiae, magnificentiae, nullo faſtu; modeſte, plane, (vt 1 Cor. 3. ὡς μετὰ φόβου καὶ τρόμου,) quin calamitatibus afflictatus: (quae proprie vocantur ἀσθένειαι, 2 Cor. 12. & hic πειρασμοὶ.) Quidnam ergo ſuperbi, aut ſeueri, aut aſperi in me notaſtis, quod nunc ex me timeatis aut horreatis? Et tum vos mihi reddidiſtis parem humanitatem atque amorem; quo impenſius amare vos debeam. Qui ergo vobis nunc locus ſuſpicandi, me, repente mutatum, vos non amare, ſed vltro laedere velle, qui nil aliud velim, quam vobis prodeſſe, dicendo vera, immo repetendo?

Hic

Hic videtur esse tenor moratae orationis: aptior ille verbis & consilio Paulli, quam, si Galatarum aliquod odium in Paullum notetur verbis, *inimicus vobis*: quae & actiue notare possint infestum, exosum, odio habentem, Paullum, qui Galatas odisset, & passiue, inuisum, Paullum, quem Galatae odissent. Illud, vt dixi, praeplacet: nulla, inquit, ex vobis in me iniuria orta est, ob quam ego vos odissem, aut acerbius insectarer. Immo me mirifice amabatis, & ego summa humanitate apud vos egi, in vos vsus sum. Quod ergo nunc odium suspicari potestis vera & salubria tantum ad vos promentis? Liberum tamen fuerit, & alterum adiungere: Ecquid nunc, repente mutati, odistis promentem vera, vtilia? Amorem ergo profitetur suum in Galatas studiumque fidele; vnde nimirum fides accedat salutari consilio disputationis institutae. Quod, amanter sane, sed & grauiter, repetit vs. 19. 20. *filios* appellans, *patrem* ergo habituros, non hostem, sed rursus illos procreantem, Christianos denuo reddere nitentem, qui plane defecerint a formula Christi, rituum lege, velut necessaria, amplectenda: donec Christus (denuo) in iis formetur, donec (rursus) imbuantur & componantur sensu ac more vere Christiano. Quam salubre consilium! Quam amanter significatum! Sed & grauiter; neque enim inepte aut ambitiose amabat. Velim, inquit, coram adesse, qui rem efficacius geram, & mutare vocem, orationem, in seuerius quidem, non iam

iam vti illa ἀδενείᾳ vſ. 13. memorata, ſed auctoritatem apoſtolicam inhibere, qua falſos doctores retundam. Incertus enim de vobis haereo; neſcio, quo animo ſitis in me & Chriſti doctrinam, ſati'n' fidere vobis poſſim, velut Chriſtianis, vel ut amantibus mei? (Germanice verteris: Ich weis nicht, wie ich mit euch daran bin.) Quid vltra afferret, quo oſtenderet, cordi rem ſibi eſſe? Denique 6, 14. & 17. interpretatur ſenſum ſuum, nulla re gloriantis aut gaudentis, aut gloriaturi vel gauiſuri, nulla in re ſibi placentis, aut placituri, niſi in cruce & morte Chriſti, vel vt myſterio & theſauro ſapientiae diuinae, vel vt immenſo ſpecimine diuini amoris, vel vt vero exemplo & forte omnis virtutis, vel vt fiducia vnica ſuae ſalutis atque felicitatis: qua erectum, omnia ſe humana pro nihilo ducere, non ritus modo Leuiticae formulae, ſed & omnem conatum ac fiduciam vitae operumque ad morum legem componendorum, ea conditione, qua ſperet, probari ſe Deo, ad copiam felicitatis aeternae: ſed & omnia humana, commoda, incommoda, contemtum, odia, inſectationes, aut rurſus dignationem, amicitias, ſi non poſſint teneri ſalua doctrina Chriſti: vitam a ſe contemni ipſam, Chriſto condonari: ita omnia haec ſperni, pro nihilo deputari, velut abolita plane per mortem Chriſti, quae ſpem afferat & firmet vitae coeleſtis, prae qua iſta omnia ſordeant, velut in crucem acta, id eſt, peremta, contemta, deteſtanda; quanquam & ipſe, velut in cru-

cem

cem actus, contemnatur, odio sit stultus, nullo numero habeatur, ab improbis, Iudaeis, paganis, legis rituumque patronis, rerum humanarum cupidis atque admiratoribus: quibus rebus ipse sit velut in crucem actus, id est, ab iis alienatus ac segregatus, vt iis immiscerí nec possit, nec velit. Grauem sane professionem constantiae & contemtus rerum humanarum! Quam vanam haud esse, ostendit partim ipso vocabulo, ἐσταυρώθη, fundamentum rei monstraturus, Christi mortem, quam & vere gestam, & salubriter efficacem esse, Galatae scirent: (3, 1.) & diuerso more tuentium legem, vt Iudaeis placeant, neque odio incommodisque premantur ob doctrinam de morte Christi: quae & ipse facile defuerit, v. 11. si voluerit lenocinari Iudaeis dissimulanda doctrina de consilio mortis Christi, & lege rituum tuenda atque seruanda; quod cum non faciat tamen, neque odia aut incommoda vereatur: oportere aliquid magni & graue subesse, prae quo ista leuia ac nihili ducat: nil aliud autem, nisi cognitionem & studium rei a) verae, b) salubris, omni humano respectu potioris. Quo sensu plane obfirmatus, rogat, 6, 17. ne posthac quisquam ipsi molestus esse velit, vel infirmando atque impugnando doctrinam a se proditam antea, nunc repetitam, vel postulando, vt quidquam inde mutet vel docendo, vel more factisque. Ita, quasi cum stomacho, & praefracte, ostendit, se esse illum iustum & tenacem propositi virum, quem non ciuium ardor

pra-

praua iubentium mente quatiat ſolida. Cauſſam addit: quia notas Chriſti in corpore ſuſtineat, ac praeferat, ea iam perpeſſus ob Chriſti profeſſionem, quorum veſtigia in corpore haereant, vulnerum, plagarum, iactationum: quae ſatis oſtendant, nulla vi ſe deduci poſſe ab iſta profeſſione; & fruſtra laboraturum, qui id contenderit.

Poſſis etiam addere moribus Paulli, quod 6, 11. conſiderari a Galatis iubet magnitudinem literarum, id eſt, prolixitatem, & ſua manu ſcriptarum, quod alias non ſoleat: quod oſtendat & rem ſibi eſſe cordi, de qua ita ſcripſerit & Gallatas, ad quos.

Epheſ. 3, 1—3. 7. 8. 13. 14. ſenſum ſuum oſtendit, ita plenum gaudio & admiratione doctrinae, quam Epheſiis proponat, de morte Chriſti, & populis omnibus ſub vno capite, Chriſto, conſociatis, inimicitia & inter Deum hominesque & inter homines ipſos, Iudaeos & paganos, ſublata, vſ. 1—3. muneris ſibi mandati, vt interpres eſſet tanti miraculi, vſ. 7. 8. quod illi magnum videtur, & ob rem ipſam & ob ſuam indignitatem, qui ſit longe longeque minimus omnium apoſtolorum. Quae & modeſtiae profeſſio eſt, magnitudinem tamen rei videns, compoſitis inter ſe cauſſae dignitate, & miniſtri tenuitate. Conſtantia idem plenum animum & erectum exhibet vſ. 13. ne vinculis quidem fractum aut territum, in quibus tunc ageret; quibus adeo non fractam ſibi, oſtendit, alacri-

critatem, aut pudorem incuſſum, vt etiam honorifica habeat non ſibimet tantum, ſed Epheſiis quoque, e ſignificatione conſtantiae & doctori & diſcipulis decora, qui poſſint & gaudere & gloriari & fidere conſtantia magiſtri, quae & veritatem monſtret doctrinae, & amorem doctoris in diſcipulos, ne ſupplicia quidem horrentis, dum vera & ſalubria auditoribus promat. Studio denique & deſiderio plenum pectus monſtrat, vt Epheſii intelligant veritatem, praeſtantiam, ſalubritatem, ſuauitatem, ſed & officia pietatis, quae inſint huic doctrinae. Quae officia deinde perſequitur c. 4. in cuius exordio ſeſe profitetur captiuum Chriſti; morate ſane: vt & fidem addat praeceptis, quae nec vinculis ſubactus repudiet, vera quippe & ſalubria eſſe gnarus: & moueat legentes quaſi miſericordia, ſed & verecundia, ne acerbitatem vinculis addant, negligendo praecepta, quorum cauſſa, & ipſis vere ac ſalubriter proditorum vincula ſuſtineat. Cui obteſtationi quid negarent? Quam ille Timotheo quoque & Philemoni adhibet, vt deinde videbimus.

Ad Philippenſes vero Epiſtolam morate ſane orditur & ipſam 1, 3—26. a profeſſione & fiduciae, laetitiae, inde redundantis, & amoris, in Deum & Chriſtianos: vnde & aequitas animi oriatur, vel vitae parata, vel morti. Et fiduciam quidem conſtantiamque declarat vſ. 6. confidere ſe, profeſſus, fore, vt, (Deus,) qui coeperit bonum opus in Philippenſibus, (*cauſſae* vim

habet praedicatum, vel adiunctum, vnde certa res ſit.) perficiat idem, ad exitumque perducat felicem. Et vſ. 19. ſcio, hoc mihi ceſſurum eſſe in ſalutem: *Hoc*, nempe conditionem, in qua nunc agam vinctus Romae Neque enim retulerim ad doctrinam Chriſti ab aliis propoſitam, etſi in proximo memoratam. Qui enim hoc *Paullo* cederet in ſalutem? Immo, ſuam conditionem, ſperat, ſibi fore ſalubrem: vel, vt viuus euadat, incolumisque reſtituatur publicae vitae: vel, ſi malueris, ad aeternam felicitatem: vt, probata Deo fide muneris atque profeſſionis, quin & calamitatum perferendarum, videat exitum, capiat fructum, praemium coeleſte. Quae quidem aptior ſit explicatio vocabulo σωτηρίας, quod haud temere de alia ſalute, quam de aeterna, poſitum inueneris, & cauſſae, quam ſubſtruat huic ſpei: per Spiritum S. mihi ſuppeditatum: cuius copia virtusque nil ſane fecerit aut pertinuerit ad vinculorum liberationem, aut corporis vitam ſeruandam Hac ergo virtute diuina ſpem firmat, precibus ſimul Philippenſium. Quanquam ne humanae quidem ac terreſtris vitae ſpem abiicit, vſ. 20, vt tamen ad Chriſti cauſſam vnice referat: non confundar: ſpes irrita mihi non erit: tenebo propoſitum: partim, vt ipſe maneam in fide praebeamque me fidum Chriſto miniſtrum: partim vt & vos in fide contineam & firmem atque ita Chriſtum illuſtrem, veritatem & ſalubritatem doctrinae eius oſtendam, in *corpore* meo, id eſt, vt ipſe explicat, ſeu viuus, opera fideli praeſtanda euangelio, ore, ſcrip-

ſcriptis, exemplo, ſeu morte corporis; offerendo illud obſignandae doctrinae, quam propoſuerim, & ſpei coeleſtis vitae; quam ſpem mihimet ipſi vigere, oſtendam alacritate mortis, quo firmior & laetior vobis vigeat. Et propius ad hancce vitam, vſ. 6. confido plane, dubium mihi non eſt, me manſurum, i. e. ſuperſtitem fore, diutius victurum, (id enim hic eſt μένειν, vt Ioh. 21, 22. 1 Cor. 15, 6. & ſupra ἐπιμένειν, vſ. 24.) & apud vos manſurum. Quo ergo fundamento nixam ſpem ſuſtinet? Quia cedit, inquit, in profectum & alacritatem fidei veſtrae. Quam quia vult Deus & teneri, videt, mea vita & conſeruatione: volet & auxilium, qui rem velit; tanto quidem magis, vſ. 26. vt gloriatio veſtra in me, i. e. laetitia, quam capiatis ex mea vita, conſtantia, fide, abunde cedat in maieſtatem Chriſti illuſtrandam: vel, vt fiducia veſtra (neque enim aliud hic ſign. καύχημα,) in Chriſto per me augeatur, eius miniſtrum & apoſtolum, vobis reddirum. Ita firmat probabilitatem ſpei conſiliis Deo dignis, quo magis monſtret, fidemque faciat, ſe illa vere erigi, neque iſta a ſe tantum iactari. Vnde & *laetitiam* animi praefert, ingentem ſane ac ſe ſuperfundentem, gratiis Deo agendis; vſ. 3. ipſam declarando verbis ingeminatis, vſ. 18. ea vero re gaudeo, & (porro) gaudebo. Quanam re ergo? 1) conſtantia Philippenſium atque incremento in Chriſtiana religione: vſ. 3 ſequ. 2) curſu progreſſuque ipſius euangelii, ne vinculis quidem ſuis

impedito, ſed vltro incitato atque adiuto: vſ. 12 —18. vbi profitetur, gaudere ſe, quod ipſe natus ſit campum propagandi euangelii Romae quoque, in caſtris praetorianis, vbi tum in cuſtodia ageret: vſ. 12. quod ita effert: vincula mea innotuere in Chriſto: i. e conſtitit omnibus, me non ob maleficium, ſed ob Chriſti profeſſionem, cuſtodia attineri: innotuerunt in Chriſto, id eſt ad incrementum euangelii pertinuerunt, locum mihi dederunt euangelii docendi in praetorio; (quam aulam Imperatoris explicat Theodoretus, non ſatis ex vſu & hiſtoria temporum illorum;) b) quod & alii inde occaſionem arripuerint idem faciendi, confiſi vinculis Paulli, vel, quod, erecti eius conſtantia, idem auderent, vel, quod impedimenta cuſtodiae eius ſuam occaſionem ducerent. Quod ad *aliorum* mores pertinet, infra notandos. Ad Paulli mores, in quibus hic verſamur, pertinet laetitia e progreſſu doctrinae euangelicae. Cuius ille laetitiae oſtendit & liberalitatem ſummam, nil interpretatus, aut ad ſe vel rem ipſam, attinere ratus, quam probo improboue conſilio quisque pareat: ſatis habens, quod propagando euangelio Chriſtus illuſtretur. Sed quae verba ſatis notent redundantem ex hac laetitia animi aequitatem, vel morti, vel vitae promtam? Quo ſenſu quid laetius primo? Mortem ita non vereri, vt vitam ne oderis? Ita amare vitam, vt mortem ne horreas! Cui triſtitiae locus ſit in iſta animi aequitate? Qua quid liberalius itidem? Vi-

tam

tam optat non ſua, ſed Chriſti & Chriſtianorum cauſſa. Vita, inquit, mihi eſt Chriſtus; vſ. 21. i. e. tota deſtinatur, campum aperit, occaſionem relinquit illuſtrando Chriſto, euangelio prodendo: quem vocat καρπὸν ἔργου, fructum vitae, vitam fructuoſam ad *opus*, nempe euangelii docendi: Vtilior eſt vita, inquit, non mihi, cui ſane mori praeſtet, vſ. 24. 25. ſed vobis, quo diutius & vberius adſim, inſeruiam, conſulam veſtrae ſaluti, Chriſtique maieſtati in vobis illuſtrandae. Mortem idem expetit, non vitae odio, aut calamitarum, periculorum, moleſtiarum metu, taedio, impatientia victus; a quo ſenſu alienum loquantur omnia non dicta modo eius, ſed & facta; vtut, liberari illis, haudquaquam repudiaret; ſed Chriſti amore, quicum eſſe, melius hacce vita putet, & cupiat: & deſiderio aeternae felicitatis: vſ. 21. Ita inter vtrumque deprehenſus, vel ab vtroque in vtrumque diſtrictus, vitae mortisque amorem, dubium ſeſe profitetur, vſ. 21. 23. vtrum malit: vtrilibet denique ſeſe paratum, laeto animo vtrumuis laturum; quia ſit vtrumque ornaturum ſalubriter Dei cauſſam: vſ. 20. Hic eſt nimirum ſenſus hominis vere pii & Chriſtiani: non, optare ſane mortem, cum Elia vel Iona; quod ſit hominis mollis, deſidis, laborum impatientis, metuentis, ſibimet conſulentis, ſui tantum memoris, Deo diffidentis ac reluctantis, qui & *huic* vitae nos deſtinarit, vtut non ſoli nec praecipue, aut in perpetuum: ſed & *ipſi* tamen, proxime ac directo, qui eſſet

καρπὸς ἔργον, vſ. 22. ſed nec vereri mortem, vitae amore, quod ſit rurſus animi mollis, meticuloſi, ſibi male conſcii, humanis rebus addicti, diuinarum contemnentis; medium ergo gerere ſe, vtrique aequum, vtrilibet paratum: non modo *cum* Paullo, ſed &, quod ſit caput rei, eadem ex cauſſa, qua Paullus: quae non alia ſit, niſi Chriſti amor, & deſiderium viuendi cum illo, vſ. 23. quod longe longeque praeferas vitae & rebus terreſtribus: quam ipſam tamen vitam rurſus praeferat morti Paullus, relatam ad Chriſti amorem: vt viuere idem malit, ſi poſſit operam ei gratam, hominibus ſalutarem, viuus in terris praeſtare: quod & Chriſtianorum ergo amori vtilitatique tribuat, vſ. 21. 22. 24. non, vt toleraturus tantummodo vitam, verum & libenter retenturus, modo vtiliter. Adeo nihil ad ſe refert, omnia ad Chriſti maieſtatem, hominumque vtilitatem. Quo ſenſu quid generoſius? Nimirum diſertos tale pectus reddit; vt Paullum reddidit: cuius hic verba a vſ. 18. ad 25. ſunt plena vigoris, cum ſimplicitate tamen ſumma: quod in *Elocutione* notabitur. Sed & vſ. 30. breuiter notat morem ſuum: Suſtinetis (ἔχοντες pro ἔχουσι, quia pendet ab ἐχαρίσθη ὑμῖν; niſi verba vſ. 27. 28. ab ἥτις ad πάσχειν ſunt in parentheſi;) idem certamen (calamitatum tolerandarum,) quod in me, quod a me ſuſtineri, videritis in Macedonia, audiatis, cum Romae nunc agam. Imitaturis ergo proponit morem ſuum, exemploque firmandis ſuo: quae

ſum-

ſumma ſit auctoritas cohortantis, qui ita & aequum poſcat, & quod fieri poſſe, appareat, & quod ipſe faciendi auctor monſtret eſſe verum, ſalubre, neceſſarium. Et 2, 2. perficite *laetitiam meam*, ſtudio concordiae & amoris. *Sibi laetum* oſtendit, ſi Philippenſes recte agant: quod & amori in ipſos dedit, & praeſtantiae rei ipſius. Gaudium profitetur, in iſta calamitate vinculorum, quae nil moueat ipſum, dum Dei cauſſa conſtet, Philippenſiumque ſalus, decus, laetitia ſolida. Perfici vult illam laetitiam, nil deeſſe illi, quo minus ſolide ac ſincere gaudeat, in iſtis incommodis ac periculis, modo recte fiat. Plane alienatus a malorum ſenſu animus, praeter rectum, nil videt. Etiam 2, 17. rel. morate loquitur: Vos materia mihi eſtis gloriandi, i. e. laetandi, alacritatis, quod (in vobis) non in vanum curro aut cucurri, operam non perdidi, vos Chriſtianos & reddidi & ſeruaui: vſ. 16. Quae tanta mihi laetitia eſt, vt paratus ſim vel vitam profundere in hoc miniſterio adiuuandae fidei veſtrae in honorem Dei, velut ſacrificii peragendi. Cuius vitae profundendae iam initium fieri & quaſi praeludia agi mouerique, oſtendit vocabulo σπένδομαι, vt 2 Tim. 4, 6. quaſi *libationem* appellans, quod initium eſſet ac veluti praeludium victimis immolandis, e quarum capite, cum iam eſſent caedendae, libarentur etiam ac decerpti ſacrificarentur pili vel ſetae: vt ex Homero & Virgilio conſtat: Quo alluſiſſe Paullum, non abhorreat, ſcribentem

gnaris eius moris, vt qui pagani partim aut plerique fuissent. Quod secus est Ebr. 4, 13. in voc. τραχηλίζειν, de quo suo loco, in Metaphoris. Sic ergo & Paullus iam veluti carptim libatus morti destinabatur. Qua Philippenses autem, vocat θυσίαν πίστεως, & λειτουργίαν, publicum ministerium cultus diuini, muneris apostolici, quod gerat ea conditione, eo consilio, vt Philippenses ad fidem perducat, in eaque seruet. Potest ergo dupliciter intelligi: vel, vt a Philippensibus offeratur Deo fides, qua se, vt victimas, Deo addicant: (Rom. 12, 1.) cuius rei iuuandae caussa (ἐπὶ enim consilium notat, vt 1 Thess. 4, 7.) Paullus mortem quoque subire velit; ita θυσία & λειτουργία, cultus, sint Philippensium: vel, vt Paullus sese offerat Deo, quem veneretur, vt victima, Philippensium fide adiuuanda; quod sit aptius vocabulo σπένδεμαι· nam, qui σπένδεται, intelligatur ipse deinde sacrificari. Ita profitetur, mortem libenter se subiturum, qua constantiam & alacritatem Philippensium aliorumque Christianorum firmet, consilioque prosit, Christi caussa digno. Mitto reliqua: vt notem tamen, quod profitetur vs. 19. se laetiorem futurum, cognito Philippensium statu; & vs. 27. significat, restitutum Timotheum, Deo parcente, ne maior ipsi luctus accederet. Quae professiones summum amorem & in Philippenses, & in Timotheum, vt simpliciter, quasi narrando tantum, ita vere grauiterque, loquantur. Rursus 3, 4—14. alia conditione notat mores

suos,

ſuos, eadem fere, qua ad Galatas: vt Philippenſibus ſtudium firmet euangelicae ſinceritatis, nulla rituum cura vitiatum. Vbi & vſ. 1. profitetur ſenſum ſuum, non cunctantis ingerere *eadem ſaepius*, quo certius ac diligentius teneantur: plane ex more veri ac fidi doctoris. Inde rem ipſam vrgens, ſuo firmat exemplo, qui & ipſe antea vel principe loco claruerit inter Iudaeos ac floruerit, ortu & natalibus, Phariſaica profeſſione, ſtudio legis: vt poſſit illius rebus ſi quis alius, gloriari: quas tamen ita repudiarit, vt iacturam & quisquilias ducat. Quisquilias explicat Theodoretus, argutius forte, quam verius, ad hanc certe tenorem, paleas craſſiores ac duriores, quae contineant quidem fruges, ſed, hiſce ſelectis, ſegregatae remoueantur. Quae ſane per ſe pulchra ſit imago Leuiticae legis, continentis ſane Chriſtum figura ac typo, & quaſi inuoluentis, ſeponenda tamen ac ſegreganda ipſo potitis. Prae hoc ergo & huius doctrina ſordere iam iſta ſibi omnia Paullus profitetur: Cui ſe totum addixerit agnita praeſtantia eius & efficientia ſalutari. Quae omnia oratorie ſane perſequitur, vniuerſe proponendo, vſ. 14. deinceps ſingula enumerando, vſ. 5. 6. cum concinnitate, ex vſu particulae *κατὰ*, *qua*, vel *ad*, Ciceronis more; per antitheſin & diuerſitatem, lucri & damni, vſ. 8. legis & fidei, vſ. 9. & ſubſtantiuorum, vſ. 10. per *incrementum*, vocando iacturam primo, dein quisquilias: per comparationem praeſtantiae euangelii, vſ. 10—12. Cu-

ius ſenſus ſui & fidem facit, e priſtina conditione ſua, a) ſatis ſplendida Iudaeis, & b) tamen repudiata, & exemplo incitat Philippenſes, vt idem faciant. Sed, cum vſ. 12. 13. negat, ſe potitum eſſe tantae rei, eamque ſe perſequi, ait, *ſi forte* apprehendat, non ſignificat dubitationem animi, metumue, velut incertae rei. Nam & vſ. 11. dicit εἴπως, ſi forte, deueniam ad reditum in vitam, quem ſatis certum tamen haberet. Et Theodoretus hic explicat, ἵνα. Emphaſin tamen habet vocab. ἐξ ἀναστάσεως, *beati* reditus in vitam. Sed illud εἴπως notat 1) magnitudinem rei; *magna* enim plerumque ex ipſa magnitudine, *incredibilia* accidere ſolent; 2) difficultatem eius tenendae, & periculum amittendae; vnde & 2, 12. iubet ſalutem curari μετὰ φόβου καὶ τρόμου, caute, diligenter, ſedulo; σπουδὴν ibi recte expl. Theodoretus; 3) modeſtiam animi, nil fidentis ſibi, nil arrogantis; quod ipſum hic eſt in moribus Paulli. Quem intuentes Philippenſes, quid facerent talem Virum, tali profectu, ipſi tam longe remoti? Qui, ſe, profiteatur, obliuiſci, negligere, quae ſint retro, omnia iſta commoda & decora vitae priſtinae, nil profutura; contra ea intendi, ſicut curſores in ſtadio, proiecta ceruice & corpore, (apud Virgil. Aen. 5, 3. 17. 305. Ouid. Met. 10, 653. 654. vbi eſt, pronum emicare) imminere iis, quae ſint ante oculos, futura, propoſita, exſpectanda, & hic & multo maxime in coelis: vt apud Virg. l. all. curſores dicantur *vltima* ſignа-

gnare, i. e. deſtinare, aſſequi, capere oculis & corporis proiectione: ita ſe κατὰ σκοπὸν, vt ad metam, meta oculis animoque propoſita, διώκειν id eſt currere, vt Hagg. 1, 9. διωκειν ἐπὶ τὸν οἶκον, currere, feſtinare; vbi in Ebr. eſt רוּץ, currere, ergo ad brabeum, vt aſſecutus auferat brabeum vitae coeleſtis in Chriſto, i. e. quod offerat doctrina Chriſti, oſtendat, promittat, a Chriſto partum, promiſſum, exſpectandum.

Ad eiusdem Paulli ſenſum pertinet *vita* (πολίτευμα) *in coelo*, memorata vſ. 20. vbi γάρ eſt pro δὲ, propter antitheſin & diuerſitatem ſequentium terrena: in coelo ergo vita, coeli memor, coeleſtem felicitatem exſpectans, eoque negligens rerum terreſtrium, ſpe melioris olim ſortis erecta, & exſpectans Chriſti redituri, fragile hoc corpus, in vitam reuocaturi, ſuo ſimile reddituri. Qui ſenſus & liberalitatem habet virtutis, & fortitudinem ſpernendi ſordes & nugas huius vitae, & laetitiam ſpei, cum magnae, ex reditu in vitam, corporis ipſius meliori conditione, & vita beata atque aeterna, tum certae, ex promiſſo Chriſti, (quo nitatur τὸ ὑπερδέχεσαι, & omnipotentia eius. Quem tamen ſenſum non ſibi ſoli reddit, ſed & omnibus piis, quibus cum vigere, velit certe & credat. Sed

4, 10—18. diligenter exponit ſenſum ſuum moremque, duplicem quidem: alterum laetitiae gratiaeque ob liberalitatem in ſe Philippenſium, vſ. 10. Vehementer ſum, inquit, laetatus in Domino, (Chriſto) i. e. vt dignum eſt

ſe

ſectatore & apoſtolo Chriſti, non ob rem ipſam aut commodum, ſed, quod vos exhibueritis ſenſum moremque vere pium, Chriſtianis dignum, amore veſtri doctoris: qui amor oſtenderet amorem doctrinae ipſius, ab eo vobis adhibitae, ſtudium propagandi euangelii, ſuſtentandis eius miniſtris. Sed & in ſe amorem Philippenſium gratum habet: quem eleganter exprimit vſ. 10. quod tandem vobis reflоruerit cura mei: ἀνεθάλετε, pro, ἀναθάλλειν ἐποιήσατε vt 2 Cor. 2, 14. θριαμ. ἐνοσαντι, pro θριαμβεύειν ποιησαντι vel, per hypallagen, (cuius alia exempla collecta notat Glaſſ. Phil. L. p. 652. ſequ. edit. Dath. & nos in Phil. Th. Paul. p. 263. ſequ.) pro ἀνέθαλεν ὑμῖν τὸ φρονεῖν ὑπερ ἐμοῦ vt ἀπιστευθην, πεπίστευμαι, 1 Cor. 9, 17. 1 Tim. 1, 11. pro, ἐπιστεύθη ἐμοὶ· illud ſimplicius. Quod vero addit, ἤδη ποτε, *iam tandem* aliquando, id, quia moleſtum iis accidere poterat, velut negligentia exprobranda, mollit illico, ipſe eos excuſat: quod pridem agitatum, deſtituti copia & occaſione, intermiſiſtis, immo diſtuliſtis. Id enim hic ſing. καιρεῖσθαι, vt ſupra diximus. Nam temporis quae hic ratio? ne opportuni quidem, vel occaſionis, quae Philippenſibus deeſſe non poſſet, miſſuris vel Romam vel antea propius in Graeciam. Niſi forte retuleris ad Epaphroditi aduentum, cui ſoli recte daturi vel eſſent, vel ſibi viderentur. Sed & Liuius, 2, 23 med. cum Voleronem inducit dicentem, tributum iniquo ſuo *tempore* imperatum, imperatum

tum intelligit inopi, numis carenti, aut aliis vrgentibus impensis districto. Ita ostendit, animum & studium maxime sibi respici. Sed & rem ipsam gratus interpretatur, vs. 14. Tamen recte feciſtis, inquit, *tamen* addit, vt nec desiderans, neque egens vtique muneris, neu spernere videatur: recte feciſtis, decorum vobis, gratum mihi, cum aliquid impertiuiſtis meae calamitati, qua vos moueri, vt vestra, ostenderetis. Quippe in vinculis agenti Romae, accedebat & solatium ingens, ex amore Philippensium & beneficii adiumentum. Rursus laudat vs. 15. quod *soli* Philippenses hoc fecerint in se; quod ad magnitudinem rei pertineat. Magnitudinem denique liberalitatis fatetur vs 18 verbis, πεπλήρωμαι, satis superque habeo, acceptis, quae mihi misiſtis. Ita laetus & gratus interpretatur, quod 1) studioſe & amanter, 2) soli 3) saepius, vs. 16. & abunde consulerint vsibus ipsius. Quae cum exponit cum gaudio, cum defensione & excusatione Philippensium, ne putent, quidquam a se requiri, cum significatione beneficii & magni, & non postulati, & animi non contenti tantum illo, sed laeti, largiterque & vltra voluntatem leuati: nullam grati animi partem relinquit: quod sit *morum* illius. Sed & αὐτάρκειαν notat, animique modestiam, vs. 11.13. non quaero donum, non cupio, non expeto, neque pro debito, neque vt necessarium. *Donum* idem vocando, necessitatem liberaliter remouet: Ait, se *didiciſſe*, partim praeceptis formulae

Chri-

Christianae, vetantis pendere a rebus terrestribus, aut eas vtique necessarias ducere, vt iis abundemus, partim vsu & exercitatione casuum, quibus sit iactatus, didicisse ergo, laetum agere qualibet conditione. Quod eleganter exprimit verbo, μεμύημαι, quasi initiatus sum: didici hoc *arcanum*, quod lateat non Christianos: Christo nomen dedi in hanc conditionem, vt non vtique, non perpetuo abundarem, aut abundare vellem, copia rerum terrestrium, sed &, non nunquam egere, paratus essem: vt miles, duci fidus, belloque promtus, inediam quoque, si opus sit, tolerare paratus. Nec vero hanc ille scenam instruit voluntariae paupertatis, aut in ea sibi placet: quod aeui sequentis arrogantia introduxit. Non sperhit oblata: *Scire* se, dicit, id est, posse, non nolle vtique, non recusare aut refugere, etiam abundare; satiari se, si adsit, copia, beneficiis Dei & hominum: scire se eundem carere & supersedere non oblatis. Ita in moribus Paulli nihil est arrogans aut contumax, nil parum simplex, nil plane quaesiti: oblata accipit gratus, laetus; negata non repetit anxius aut importunus. Nec vero sibi tribuit illam animi aequitatem, sed Christo soli, roboranti ipsum hac virtute; per quem omnia possit, firmatus ab eo viribus, cum animi, cuilibet sorti aequi, tum auxilii in rebus angustis. Neque ad suam vtilitatem refert ista beneficia, sed ad dantium commodum & existimationem: vs. 17. non quo (magnopere, vtique) cupiam munus, aut ei immi-

mineam, vel egens, vel lucri cupidus; immo veſtrae vtilitati conſulo, redundaturae εἰς λογον ὑμῶν, (für eure Rechnung,) ad vosmetipſos, Ebr. על דכרכם, vobis ducendae, vt in rationibus: nempe, 1) vt appareat, vos eſſe Chriſtianos: 2) vt Deum colatis, ei placeatis, tali animo & facto, commoda ab illo recepturi: vnde vocat, vſ. 18. odorem Deo gratum, nempe, vt ſacrificii, Deo accepti: more loquendi e Vet. Teſt. & Ebr. ריח נחוח, Gen. 9. & aperte vocat ſacrificium Deo acceptum, qui eiusmodi beneficentia coli maxime velit, his vtique ſacrificiis delectatur: Ebr. 13, 16. eaque ſibi data imputans atque interpretatus; 3) vt alii incitentur eorum exemplo: quod & laetum ſit ipſis futurum, & Deo illos commendaturum, cuius cultum iſto officio iuuerint.

Col. 1, 24. notat laetitiam ſuam in tolerandis malis, quia toleret Coloſſenſium cauſſa & eccleſiae vniuerſae; vt corporis Chriſti, ergo & ipſius Chriſti, vt capitis, cauſſa: &, iam plurima paſſus, libenter etiam ſuſcipiat, quae nondum paſſo, etiamnunc patienda ſeruentur, deſtinentur, immineant, ὑστερημα α, reliquias, calamitatum, vexationumque Chriſti, id eſt, ob Chriſtum perpetiendarum: ex his quoque eluctaturus: 2 Tim. 4, 15.

1 Theſſ. 2. totum fere habet notationem moris Paullini. Quam generoſe ſane orditur, a conſcientia & fiducia veri, ipſius cogniti: ad quod prouocat vſ. 1. ipſi ſcitis: apud conſcios lo-

loquor. non vana. Quid ergo illos ſcire, ait? Ingreſſum ſuum apud illos, nempe, cum illos verterit ad Chriſtum, non fuiſſe vanum: id eſt, ea a ſe propoſita illis eſſe, quae vera & ſalubria eſſe, ipſe ſciret, atque ita ſibi perſuaſiſſet, vt non modo paratus fuerit ſubire incommoda & calamitates, ſed iam ſubierit, priusquam ad illos accederet: nempe Philippis, Act. 16, 17. ſequ. (Vnde ait, vſ. 2. προπαθόντες, vbi πρὸ non redundat, vt alibi; repetendum & in ὑβρεσθέντες, quaſi προϋβρ.) quod adeo ſe non abſterruerit, vt animum vltro adderet perrecturo. Hinc, inquit, egimus apud vos alacriter ſane, libere, vere, conſtanter, (ἐπαῤῥησιασάμεθα,) non ſine multo certamine: id eſt, 1) ſtudioſe enixe ac diligenter: 2) cum concertatione aduerſus diſſentientes, improbos ac peruerſos, Iudaeos: de quibus in hac vtraque epiſtola queritur: conf. Act. 17, 5. 9. Quae omnia, inquit, oſtenderent, vera a nobis promi, nempe euangelium Dei: a cuius fide ac profeſſione nihil nos auerteret. Negat ergo vſ. 3. παράκλησιν ſuam i. e. doctrinam fuiſſe ex errore, i. e. falſam ipſam, aut ἐνδόλω, fallendi ſtudio datam atque compoſitam, aut ἐξ ἀκαθαρσίας, illiberali conſilio datam, ſordido, lucri ſtudioſo: (v. de hoc vſu ἐν & ἐκ, Glaſſ. Phil. 1. p. 29, edit. Tath. Can. 9.) immo, vt Deus ipſum probarit, vſ. 4. fidum iudicarit, cui crederet munus apoſtolicum, ita ſe eſſe locutum: id eſt, 1) *ideo* locutum, *quia* ſciret, vera & ſalubria diuinitus ſibi eſſe iniun-

cta:

ſta: 2) eo *modo*, quo, par eſſet, talia proponi, vere, conſtanter, nil aliud ſpectantem, niſi, vt Deo probaretur, a quo iſta accepiſſet, ſoli eidem rationem redditurus: vnde non potuerit non aliena a ſe eſſe omnis ambitio ad homines, quia debuerit probari Deo, pectorum gnaro, videnti, quo animo quisque agat; quem latere nequeat improbitas conſilii, vt homines lateat. Hac ratione fidem adſtruit probitati ſuae, cuius tam grauem cauſſam habeat. Neque vero adulatione ſe vſum, qua commoda a quopiam expugnaret. Vnde addit: neque ἐν προφάσει πλεονεξίας, vt lucro inſeruirem, cui accommodarem aut praetexerem vſum doctrinae. (Neque enim πλεονεξία, ipſa poſſit eſſe πρόφασις· immo occultanda illa ſit, & alia προφάσει velanda; niſi πρόφασις eſt vera atque intima cauſſa: vt apud Thucyd. 1, 23, extr. ἀληθεςάτην προφασιν, ἀφανεςάτη δε τῷ λόγῳ.) Nec minus a *gloriolae* ſtudio alienum ſeſe exhibet, vſ. 6. capientem vni placere Deo. Quorum omnium teſtes facit & Deum, & ipſos, vſ. 6—10. reuocans in memoriam, quam diligenter abſtinuerit omnis commodi poſtulatione, qua vti poſſet, moleſtusque illis eſſe; vt apoſtolus, euangelii doctor, ſuſtentandus a coetu: 1 Cor. 9. non feciſſe tamen, ſed fuiſſe & egiſſe ἤπιον apud illos, vſ. 7. modeſtum, comem, facilem, nil poſcentem, non acerbum, non importunum; ſed matris animo ac more, vel nutricis, (vtrumque enim notat τροφὸς: & nutriculae quoque *ſuos* vocant alum-

nos: Horat. Epist. 1, 4. 8. vbi & matrem notare nutricula possit: vt Carm. 1, 22, 15. 16. *leonum nutrix*, Africa, Numidia;) quae adeo nil poscant alumnos suos, quid enim? vt vltro iis praebeant, quod possint: quod & sese cupiuisse, ait, vs. 8. non doctrinam modo coelestem offerre, sed vitam, si opus fuerit: caussa addita, peramanter ac simpliciter: quia dilecti nobis estis. Sed enim, haud contentus verborum testificatione, etsi Deum testem fecit, rerum documentis vtitur. In memoriam, inquit, redite, vt apud vos opus fecerim docendi interdiu, opificium exercendi noctu, quo sustentarer: vt & vacarem vobis, nec molestus tamen essem, aut sumtus materia. Quid faceret liberalius, aut quo certius ostenderet animum a lucri studio alienum? Quae singula colligit vs. 10. sub vocabula, ὁσίως, pie, δικαίως, abstinenter, ἀμέμπτως, sine probro. Cur igitur & refert morem suum, & firmat? Nempe, vt pondus adiiciat cohortationi: quam, ab initio adhibitam illis, instaurat & reuocat vs. 11. 12. vt vitam agant dignam doctrina Christi; qualem in *ipso* nimirum viderint ac probarint. Quid simplicius? Quid grauius? Valentiora tamen admouet, quasi tormenta amoris, vs. 17. sequ. Nos quidem, inquit, orbati vobis ad tempus, (orbum se vocat, vt liberis patrem, quem se dixisset vs. 11. vt bene hic monet. Theodoretus:) adspectu priuati vestro, a vobis seiuncti, corporis praesentia, non animo, qui semper vobiscum ageret, tan-

tanto enixius & expetiuimus & conati ſumus vos inuiſere; ſed non potuimus, varie impediti, & ab aduerſariis diſtricti. Iam hoc ſatis amanter! Sed cur optauit? Cur operam dedit? Nempe, quid eſt, inquit, quod nos ſpe erigat, fiducia firmet, decore exornet, quo olim Chriſto iudici commendemur, fidem probaturi muneris geſti, niſi & vos? Et addit. aut pleonaſtice, vt Graeci ſolent, in antitheſi tamen magis, vel diſtributione, vt 1 Cor. 15, 6. aut comparatione, vt 2 Cor. 11, 12. quorum hic nil eſt: aut quia *& alios* eodem loco habebat. Vnde appareat veritas atque ſimplicitas Paulli, non adulantis, neque hoſce cum aliorum ignominia efferentis, & tamen probantis, vere a ſe & Theſſalonicenſes laudari, quorum ſit eadem cauſſa, quae aliorum. Eximie tamen eos ornat, vſ. vlt. vos nimirum eſtis decus noſtrum & gaudium! Quid negarent tam amanter compellanti, praeſertim nil poſcenti, niſi, quod eſſet verum, aequum, ſalutare, decorum! Iam illud cuius pectoris eſt, quod 3, 1, 2. addit: Vnde, impatientes deſiderii, nec iam ferentes moleſtiam vos non videndi, ignorandique, quo loco eſſent res veſtrae, eo deſcendimus, vt ſoli relinqueremur, i. e. pateremur, nos relinqui ſolos, vt ſoli ſubſiſteremus Athenis: hoc eſt, vt ſuſtineremus, nos priuare & conſuetudine Timothei, tam iucunda, & auxilio tam neceſſario, tantum qui vos inuiſeret pro nobis, erigeret, hortaretur, veſtra denique nobis renuntiaret, explorata re-

ferret. Simpliciter rursus agit, relegata ambitione. Non deserit, eorum caussa, stationem Athenienssem, vt nunc magis vrgentem: non condonat aliorum vsus amori Thessalonicensium; sed carere tamen sustinet tam caro sodali, tanti vsus. Caussa quoque & consilium, mittendi, vel, si possit, per se illos visundi, caret omni ambitione. Veretur enim, vs. 5. ne quid apud illos turbatum sit, vel errore doctrinae, vel prauitate vitae: vnde fides eorum vana & irrita cadat: cuius & ὑστερήματα memorat, vs. 10. defectus, vitia, infirmitates, sollicitus, ne qua laboret. Quod etsi secus habere se, compertum sibi a Timotheo, scribit ita laetus, vt dicat, vs. 7. illum sibi hoc εὐαγγελίσασθαι, nuntiasse laetitiam, vere Christianam, & euangelio dignam, & apostolo euangelii: monet tamen, 4, 3 12. & 5, 4 8. vt abstineant a variis flagitiis sordibusque: Quibus nisi dediti, quidam certe inter illos, forent: quod & ita esse, diserte ponit 2 Thess. 3, 11, 14. non tam grauiter, tam saepe, illos cohortaretur, immo dehortaretur. Vnde simplicitas apostoli veritasque appareat, suum cuique reddentis, recta vnice sequentis, conscientia recti fidentis, & salubritate consilii: quod & facit 2 Thess. 3. 7--10. vbi fortiter sane iubet, semet intueri: Ipsi scitis, inquit, quomodo oporteat nos imitari: id est: ita egi inter nos, vt exemplum capere possetis, quid vobis ipsis esset faciundum Opus enim feci diu noctuque, ne cui vestrum oneri essem. Quod non

vt

vt illicitum caui, ſed exemplum praeiturus. Et iuris ſui memor agit, ne videatur neceſſitati datum. Nam, vetitis abſtinere & non conceſſis, quid liberalitatis habeat? Et tamen abſtinuiſſe ſe iure ſuo, demonſtrat, quo fidentius abſterreret aliter facientes: quos notat vſ. 11. non recuſaturos, cum illicita appetant, quo minus imitentur licitis abſtinentem ipſorum cauſſa.

1 Tim. 1, 12--16. plura notat in moribus ſuis: 1) priſtinam prauitatem inſectandi doctrinam Chriſti. Quam prauitatem ingenue faſſus, ita vt ſe *primum*, principem impiorum ponat, oſtendit & 2) veri ſtudium, & 3) pudorem erroris intimamque poenitentiam: 4) modeſtiam ſimul, indignitatis conſciam ſuae; ſed & 5) laetitiam, ex miſericordia Chriſti diuina, cum in omnes impios; quo fundamento firmat illam, quam ſit ipſe expertus: tum in ſe vel maxime, principem impiorum: vnde rurſus firmat illam communem, ſuo exemplo, vt maximo & luculentiſſimo, quaſi minus in ceteris admirandam, vt minus ſe impiis, nec ſecum vlla ex parte conferendis: cui miſericordiae omnia vni tribuit: 6) probat fiduciam atque alacritatem muneris mandati tam indigno, & tamen adeo benigne & aptato, & vocato. Quorſum haec? Vt videat Timotheus tueaturque doctrinae euangelicae, cuius ei curam commendat, 1) veritatem fidemque, vſ 15. 2) praeſtantiam, 3) ſalubritatem, 4) iucunditatem, & ex his omnibus oriundam 5) neceſſitatem eius retinendae ac defendendae;

cui curae excitandae, augendae, confirmandae & hanc, & alteram epistolam dedisset: quod & aperit consilium vs. 18. Nec minus

2 Tim. 1, 4. 5. e moribus suis affert desiderium videndi Timothei, preces pro illo ad Deum, gaudium ex virtute eius, spemque bonam constantiae. Sed & vs. 8. captiuitatem suam ob Christum, quam non magis pudori esse Timotheo velit, quam sit ipsi sibi. Quippe *videntem* quid puderet eius rei, cuius non puderet *patientem?* Sed in primis 4, 6–8. egregie notat spei suae alacritatem, ortam a) e conscientia cursus bene peracti; quam profitetur vs. 7. b ex spe vitae coelestis, quam praefert vs. 8. nixam Christi 1) aduentu, 2) iustitia, 3) amore in omnes pios, sed & 4) ipsa necessitudine operae certaminisque & praemii ac coronae; quae omnia satis doceant, spem non esse vanam. Etenim hoc maximum est in moribus Paulli, & vnde oratorium pondus illis accedat, quod *fidem* iis adstruit, *vere* illos in se esse, ostendens, & ex *caussis*, cur adesse debeant & e *factis* suis: Quae vel summa vis est oratoris in persuadendo ac mouendo. Mouere autem vult Timotheum ad eandem constantiam, quam in se probarit: hoc quidem impensius, quod iam, ipse ex hac vita abiturus, finito cursu gestiat relinquere pro se, quasi vicarium, Timotheum: quod supra iam notabamus. Sed vs. 14. notari queat, id est, requiri in moribus Paulli, quod *acerbiorem* sese monstret in Alexandro fabro, vt ei ma-

mala quoque & poenam imprecetur diuinam. Quod, vt alienum & a moribus Paulli, & a praeceptis eiusdem, Rom. 12, 14. vel ita est explicandum, cum Theodoreto, non vt imprecatio sit, sed vt denuntiatio, praedictio, προόρησις, vti vocat Theod. & δίνη sit pro δώσει, optatiuus pro futuro: plane vt idem verbum 2 Tim. 2, 7. (v. Philol. Thuc. Paull. p. 157. & refer ad p. 88. lit. d.) vel eo dictum, quod improbus ille aduersaretur non Paullo, sed Deo & Christi causae, vt Demetrius Ephesi, vel Etymas in Cypro; quorum huic non imprecatus tantum est malum, sed inflixit: Act. 13, 8--11. Talem & istum fuisse, vel inde appareat, quod eum *caueri* Timotheo iubet, eo nomine, quod restiterit *doctrinae*, praeceptis ipsius. Odio certe haud datum, vel vs. 16. doceat, vbi Deum precatur, ne culpam sustineant, qui se in priori defensione, si non perfidi prodiderint, at timidi destituerint. Quam ipsam hic lenitatem in ipsius causa, vt merito adhibemus abolendae suspicioni acerbitatis in Paullo, ita notamus in moribus eius. Quorum itidem pars ponatur alacritas spei, in auxilio diuino repositae, vs. 17. 18. Quam spem ita promit, vt doceat, se non egere humano auxilio, quo destitutus, vs. 16. tamen steterit: vt Act. 26, 22. Quod & euentu rei firmat, vs. 17. ereptus sum, inquit, ex ore leonis, e praesentissimo periculo mortis apud ipsum Imperatorem: quem haud dubie innuens, alludit ad vocem Salomonis, comparantis iram re-

regis cum rugitu leonis: & res docet, cum ſubſcriptione Epiſtolae. Sed & conſiliis Dei repraeſentat exitum rei: ereptus ſum, inquit, vt doctrina euangelii per me, quod eſſet mei muneris, pro virili parte, abſolueretur, eamque omnes ex me gentes audirent. Vnde ſe erectum, oſtendit, 2) porro recte ſperare auxilium Dei adhuc praeſtitum. Ita exhibet per omnia laetum animum, occupat & repraeſentat e praeteritis futura, laetus, ne mortis quidem metuens, quam coeleſtis vita excipiat. Sed de

Epiſt. ad Philem. quid iam dicamus? quae, tota morata, habeat amorem Paulli in Philemonem, cuius fide atque officio gaudeat, & in Oneſimum, quem illi commendet, vt recens Chriſtianum; tanto quidem ſtudio, vt filium vocet, cor ſuum, vel animam ſuam, alterum ſe; ſpem deinde laetam & fiduciam de officio Philemonis, nixam cognita eius virtute & amore erga ipſum Paullum; qua fiducia mouere eum vel praecipue nititur, ne fallat: tum profeſſionem edit ſuae conditionis, vt Paulli: quod nomen hic Emphaſin habet, ipſi ſpectatam & quaeſitam, apoſtoli, Philemoni noti, cari, rel. vt ſenis, vt captiui ob Chriſtum: Quibus nominibus & cauſſis quid negaret Philemon? Conſcientiam idem adhibet iuris ſui in Philemonem, vſ. 8. 18. Quo iure tamen ita modeſte vtitur, immo non vtitur, vt non modo precibus pugnet, vſ. 8. ſed & reſtitutionem ſpondeat ac recipiat ablatorum forte ab Oneſimo, aut interuerſorum: vſ. 18. Quod

&

& liberalitatem Paulli habeat, aequitatemque: Omnia motura Philemonem, quin iam ſingula. Sed enim iſta, in *affectibus* iam notata, nunc transmittimus, venturi ad

Mores aliorum; quos & ipſos, vario & modo & conſilio, Paullus notat: Paganorum, Rom. 1, 21. ſequ. errores, non agniti veri Dei, quem tamen poſſent: operum pro auctore cultorum: quod ſtultum eſſe, ipſis patere poſſet ex fragilitate illorum: tum mores turpiſſimos, idololatriae, ſed & libidinum adeo nefandarum, vt poenae loco ipſa flagitia, permittente Deo, admiſſa, Paullus commemoret: caute circumſcribens, tamen vt turpitudo rei ſignetur: aliorum deinde ſcelerum, quae vſ. 29 — 32. recenſet variis vocabulis generum per συναθροισμὸν, vel partitionem oratoriam. Quibus explicandis immorari, hic nihil attineat. Iudaeorum dein mores, a vſ. 32. qui verſus iam pertinet ad Iudaeos, ſimul certe, immo proprie atque vnice: v. Log. Paull. p. 2. & 367. ad quos a paganis iam apertius tranſit 2, 1. ſequ. facientes ipſos, quae in aliis damnando, ſemet ipſi damnent: Deum contumaciter laceſſentes, poenam ſibi e culpa cumulantes, velut theſaurum: & vſ. 17-24. vbi eos grauiter increpat: Ecce, tu Iudaeus vocaris, nomine Iudaeus, non re. Arrogantiam notat, placentium ſibi in nomine, gloriantium lege Dei, cum contemtu aliorum, velut caecorum, puerorum, ſtultorum, in tenebris agentium, quorum etiam doctores ſe ferant: prohibentium

alios facere, quae ipsi faciant, acerbi aliis, dulces sibi. Quod exsequitur per partitionem, & concinnitatem antithetorum: addens, ab ipsorum impietate locum fieri calumniis apud paganos in doctrinam Dei. Quod ipsum est notandis moribus. Habent enim hoc homines, vt, formulam doctrinae e sectatoribus metientes, si quid hi deliquerint, culpam conferant in ipsam doctrinam, quasi monentem ista & commendantem, certe concedentem. Vtrumque facit eo consilio, qua Iudaeos & paganos, vt ostendat, a) dignos esse vtrosque poena Dei, & carere excusatione vtrosque, 1, 20. 2, 1. b) neutros posse probari Deo per vitam suam & facta: hinc, quod caput est rei, & propositum huic Epistolae, indigere liberatione & beneficio Dei, per Christum parto & effecto, nec saluos praestari, nisi per illum expiatos Deoque probatos. Etiam 2, 14. est breuis notatio morum: Pagani, legem seruantes, natura duce, mentibus inscriptam, lex sunt sibimet ipsi: teste conscientia, & cogitationibus, sese mutuo incusantibus atque excusantibus. Abrahami mores egregie notat 4, 17-21. confisi Deo, vt valentis vel mortuos in viram reuocare, efficere, quae non essent, ergo & effoetis filium dare: sperantis, vbi locus esse spei non videretur ex rei natura, quam non spectarit tamen, neque in se ipso, neque in Sara, sed vnice incubuerit promisso Dei, cuius & fidei, & omnipotentiae confideret: Quae omnia diligenter exsequitur, per adiuncta rei, corpus aetate effoc-

tum,

tum, & Abrahami, & Sarae, & per cauſſas, ex voluntate & potentia Dei, & per antitheſin oxymori: praeter ſpem ſpe firmus, credidit. Romanorum mores notat 9, 19-22. & priſtinos; 1) a magno ſtudio prauitatis, 2) a pudore, quo ipſi nunc ſe inde affici, ſentiant: & nouos, ſalubres ac decoros: nempe, vt, quo ſtudio antea coluerint praua, turpia, nocitura, quorum iam pigeat, eodem nunc, facile notando ex illa ſimilitudine, colant bona, recta, honeſta, ſalubria, ſtudiumque illud priſcum ac notum ipſis ad noua transferant. Et 7, 5. cum ſub lege eratis, illa ſtudia prauitatis, quibus occaſionem lex daret, vel, quibus parebatis, habentes legem (διὰ pro ἐν, vt 2, 27.) per membra veſtra, id eſt, vires, ſtudia & conatus animi corporisque, (vt Col. 3, 3.) peragebantur, vel matureſcebant, fructum mortiferum vobis, in vobis, latura, vel, liberos procreatura, (quia de *coniugibus* ſermo fuit, morti, auctura numerum damnatorum morti, morientium ac pereuntium. Et contra vſ. 7. lege abolita, liberati ſumus ea, qua, velut vxor ſub officio mariti, contineremur, iam Deo nos ad officium praebituri, non ex priſtina lege, abolita, quaſi effoeta, obſoleta, ſed ex nouo ſtudio virtutis, diuinitus per euangelium excitato. 8, 7. terribili imagine notat prauos ſenſus, inimicitiam vocans in Deum, cuius voluntati parere nec velint, nec poſſint, ne in bonis quidem rebus, quas *Dei* tamen *cauſſa* non faciant. Vſ. 18. ſequ. notat conditionem Chriſtianorum, κτίσεως,

&

& ipſorum apoſtolorum, obnoxiam ματαιότητι prauis ſtudiis, & incommodis vitae huius, cum ſpe tamen ac conditione liberationis, qua vindicentur ad veram ſolidamque & ſanctitatem & felicitatem alterius vitae. Iudaeorum, ſub lege agentium, animum moremque notat, vt laudatos miſeretur & reprehendat. Quod ad Paulli quoque mores retuleris, ſimpliciter & vere agentis, nihil odio, nihil ſtudio dantis: ſed & ad *laudandi* veritatem, ingenuitatem, ſimplicitatem, vituperandique lenem humanitatem. Neque enim aut verius quisquam laudarit eo, qui & reprehendere audeat: vt Plutarchus monet: aut tolerabilius, & quaſi acceptius, quisquam reprehenderit eo, qui & laudet. Vtrumque praeſtat apoſtolus. Laudo, inquit, eos, (id enim eſt, μαρτυρῶ αὐτοῖς,) quod ferantur ſtudio Dei, i. e. memores agant maieſtatis diuinae, quam vindicatum eant tuenda lege, vt ab illo propoſita: vnde & Chriſtianos oderunt atque inſectantur, quaſi illam temere atque impie abolitum eant. Sed enim, pergit, hoc ſtudium non eſt κατ' ἐπίγνωσιν, non eſt ſapiens, caret intelligentia; neſciunt enim veram conditionem legis, Chriſti repraeſentandi: fallit eos tempus & finis Leuiticae in primis formulae, non vltra aduentum Chriſti duraturae aut porrigendae: credunt, ſe poſſe commendari Deo factis ſuis: quod vanum eſt, in Leuitica lege, per ipſam rerum rituumque naturam, nec per morum legem teneri poteſt, ob inſitam hominis prauitatem. Quod dum te-

ne-

nere tamen pugnant, inuito Deo, reluctante ipsorum infirmitate, adspernati beneficium Dei, fide sola tenendum, obtrudunt atque imputant Deo, quae nolit, ea quidem conditione, qua Deo probentur ad salutem. Quam non valentes ita tenere, & negligentes tenere per Christum, vt vult Deus, mirum non est, si dant poenas erroris voluntarii, vtut pie suscepti. (Nil ergo valet aut prodest pietas errantibus in doctrina aut rei summa, consulto praesertim.) 14, 6. breuiter ponit morem & infirmiorum & securiorum in vsu cibi promiscuo: gratias agere Deo vtrosque, illos pro cibo, quo tamen vtantur in abstinentia reliquorum ciborum, qua coli a se Deum, putent, eique pareri; hos pro libero, & tam vario, ciborum vsu, & liberatione Leuiticae legis ac molestiae; nempe, vt ostendat, recte vtrosque facere, neutros a neutris damnandos, insectandos, spernendos, culpandos. Plurium idem mores, quos commendaret, vt breuiter notaret, C. 16. ipsi iam cum eo notauimus sub Gen. Demonstr. Adde 16, 18. vbi notat auctores discordiarum atque errorum, seruientes non Deo, sed ventri, & fallentes specie probitatis, quam oratione asseuerent, pectora simpliciorum ac proborum.

Corinthiorum mores notat passim & varie, in Prima ad Corinth. Tanquam 1, 4—13. laudat eosdem & reprehendit: & laude verissima, qui & obiurgare sustineat, & vituperatione amantissima, eadem & saluberrima, quae laudatos

tos non laedat, ſed corrigat. Ita vtraque ibi fungitur: laudans abundantes & cognitione doctrinae diuinae, λόγῳ, & prudentia vitae Chriſtianae, γνώσει, fidem habentes doctrinae Chriſti, quam cognorint firmam: vnde nulla pars diuini auxilii aut beneficii illis deſit: cuius fiducia laeti exſpectent aduentum olim Chriſti illuſtrem, ipſis ſalutarem. Praeclara ſane praedicatio. Sed enim, ſati'n' illa Corinthiis conſtiterit, aut ipſe laudator ſibi, dubitare moneat ipſe paene Paullus, in tam varie, tam grauiter reprehenſis, ab ignorantia ipſa, 3. init. a diſſidiis, 1, 11. 3. 3. 11, 18. a prauis ſtudiis, 3, 3. imprudentia, 8, 9. ſequ. flagitiis adeo, Capp. 5. & 6. abuſu Coenae S. 11, 20. ſequ. & munerum mirificorum, cap. 12. & 14. Sed plura reſponderi poſſunt. Primo, aliud eſt, valere ſcientia, gaudere, abundare, aliud, recte vti: illud aderat, hoc deerat. Deinde illa, quae eſſent, ſunt beneficia Dei largiter ab eo in Corinthios collata; haec, quae requirit, ad vſum eorum pertinent. Extollit ea, quae Corinthii poſſint efficere ac tenere, ſi rite vtantur iſtis beneficiis: reprehendit idem, quod iſta non teneant. Quo grauius etiam pondus accedit caſtigationi Paulli, vetantis abuti beneficiis Dei tam illuſtribus: quorum nomine non *ipſos* laudet, ſed *Deo* gratias agat, beatos tamen & ipſos praedicet: (vnde recte retulimus ad ſtatum eorum moresque,) quo ſtudioſius, ſed & cautius, teneant conditionem tantae felicitatis, nec corrumpant va-

ria

ria illa prauitate, quam in eorum moribus notat: diſſidiorum primo 1, 11. 12. 3, 3. per quae alius ſeſe ferat Paulli, alius Petri, vt ab hoc, vel illo edoctum, & Chriſti ſacris initiatum, eoque nomine reliquis meliorem: quod vanum eſſe, ſtultum, impium, docet vſ. 11. 12. 3, 3. eoque vocat σαρκικὲς, terreſtres, ſeruientes rebus externis atque alienis, prauisque ſtudiis ſuperbiae indulgentes, quin νηπίους in Chriſto, quaſi recens Chriſtianos, qui non capiant doctrinam ſolidiorem, etſi poſſint ſane ac debeant, ſed ipſi ſibi officiant per iſta ludibria: paene vt Ebraei, eodem nomine increpit; Ebr. 5, 11—13. quod infra notabimus, 4, 8. ironice notat, quales ſibi videantur Corinthii, non ſint: ſaturi, abundantes omnibus bonis: quae hic corporis quoque, etſi non ſola, intelligit: vt diuites, reges, terreſtrem quoque opulentiam, ſplendorem, felicitatem hic innuunt: tum, quod diuerſa conditio apoſtolorum, vſ. 9—13. expoſita, habet etiam terreſtrium bonorum abſentiam, & incommodorum praeſentiam, haud excluſis tamen bonis internis animi, diuinis, de quibus locutus eſt vſ. 6—8. Quare notat Corinthiorum faſtum, arrogantiam, vanam de ſe opinionem, ex qua ſibi videantur pleni omni ſapientia, felicitate, rerum copiis, dignitate; quod falſum & per ſe ſit, & ex diuerſa conditione apoſtolorum appareat, ſimili futura, ſi Chriſtianis copia talium rerum contingat, aut conditio proponatur. Breuiter idem, vſ. 19. tangit eorum vanitatem, qui ſibi pla-

placeant multumque tribuant, quasi non venturo Corinthum Paullo: misere ac stolide vani, qui sciant, nullos sese futuros aduentante Paullo, cuius absentiae imminеant, vt eius interim veluti beneficio magni futuri. Sed CC. 5. 6. acerrimus insurgit notator morum: libidinis primo, non modo neglectim habitae, sed & reliquam superbiam non frangentis. Auditur, inquit, inter vos versari libido, paganis inaudita, inusitata, *non nominata*, i. e. iis ignota, eorum nullo exemplo memorata, vt aliquis vestrum vxorem habeat patris vxorem, (i. e. tantum nouercam, eamque viduam; alioquin grauius etiam insurgat Paullus.) Quid Corinthii? Inflati estis, non isto flagitio vtique, sed aliis de causis, supra memoratis, 4, 6. sequ. 3, 21. 1, 12. vobis placetis, alter alterius contemtores, nugarum consectatores, quarum plane obliuisci vos deceat prae tali dedecore. Non indoluistis, non publico luctu fasti dolorem estis, neque operam dedistis, vt auctor tanti dedecoris ex numero ac coetu vestro exterminaretur: quo vel praecipuo signo dolorem ostenderetis. Ita enim cohaerent ista: non luxistis, quo ille eiiceretur: i. e. non eousque indoluistis, vt cuperetis atque id ageretis, vt ille eiiceretur. His notat eorum 1) negligentiam & animum lentum, qui probet 2) nullum odium tantae turpitudinis, quam probare vltro videantur: 3) peruersitatem plane stolidam vacantium nugis & concertationibus, quasi secure, per otium, cum tantae rei cura auertere de-

debeat animos eorum. Qualem Romanorum peruersitatem, quasi mentis alienationem, Quintius notat, apud Liu. 3, 17. *Haec forma sanae ciuitatis videtur? Tantum hostium — — inter muros; — supra caput est; — interim; — velut, cum otium est, senator sententiam dicit*, rel. 4) notat fastum intolerandum; placentium sibi in rebus vanissimis, adeo; vt ne dedecore quidem tanto fracti aut imminuti, spiritus demiserint. Quam peruersitatem euidentius notat diuersitate sui sensus; immo diuini; ait enim, se, quae decrerit & facturus sit, decreuisse facturumque esse nomine Iesu Christi. Ego *enim*, inquit. Graue est hoc *enim*; quippe hoc innuit: Etenim, vt videatis, quam nulla vobis sit materia gloriandi, quanto in flagitio versemini, quo loco ego illud habeam, quam longe a vestro sensu discrepet ratio mea; immo Christi, decreti, illum, quem vos tam lenti feratis, cuius turpitudo fastum vestrum non fregerit, eiicere vobiscum ex coetu vestro, & poenis tradere, Satanae ministro diuinitus permissis. Ita nunc, & vobis placete! Videtis, qui luctus vos maneat. Addit: Non bella est gloriatio vestra! Nimirum non de incesto, sed de aliis caussis, cum per se, vt variis, tum inquinatorum vtique dedecore tanto. Etiam vs. 12. videri possit Paullus, ex C. 6. obiter perstringere pratiitatem eorum, & praeludere illi diligentius accusandae, qua male agant iudices vel disceptatores litium inter ipsos natarum: vt hoc dicat: Nonne iudices agitis inter

vos litigantes, ſapienter ſcilicet ac perite, ita, vt coramini rem ad paganos deferre. Quin illam maximam cauſſam vobis iudicandam ſumſiſtis vel ſumitis? Iametſi & ſerio intelligi poſſit, vt velit, Chriſtianos ab illis iudicari, & illam ergo cauſſam vel maxime: vt, κρίνετε, ſit, poteſtis, debetis, veſtrum eſt, de his iudicare. Sed de hac peruerſitate iudicandi, immo non iudicandi, agit ex inſtituto, C 6. grauiter exorſus: Audetne aliquis veſtrum, id eſt, plures, plerique, quod ne vnus quidem debeat? *Audet*, ait, vt rem plenam periculi, dedecoris, incommodi, lites cum aliis Chriſtianis natas ad paganos deferre, non inter vos diſceptare? Audaciam culpat, non horrentium diſcrimen, in quod coniiciantur, 1) rei amittendae apud iudices Chriſtianis iniquos: 2 male audiendi apud paganos, ex acerbitate litigandi: 3 ipſam doctrinam Chriſti in contemtum, odium, ludibrium reuocandi, cuius ſectatores pagani viderint tam acerbe ſordideque litigioſos. Ecquid vos adeo abiicitis, vſ. 2, 3. qui ſitis aliquando futuri cum Chriſto iudices impiorum, ſi vere ſitis & manſeritis Chriſtiani, quin angelorum? (Nempe malorum angelorum. Nam, Dei *miniſtros* verti, vel abſurdum ſit, ſi bonos angelos intelligas, vel falſum, ſi doctores. Qui vbi tandem ſimpliciter angeli appellantur? Aut vbi *doctorum* iudices futuri leguntur? Plane contra 1 Cor. 4, 3 vt, ita vertere, ſit, aut nil agere, aut diſſimulare non defugienda.) Ita notat conditionem eorum, quae

quae & ipsa ad mores pertineat, quos afficere possit ac debeat; quae, ita illustris, pudorem iniiciat abiiciendi sese ita, vt velut indigni, aut imperiti, ad alios iudices veniant. Sed vs. 4. dubium sane est, notet mores Corinthiorum, an fingat & regat? Quod dubium reddit duplex conditio verbi καθίζετε, accipiendi vel iudicandi modo, vel imperandi. Hoc, cum aliis, praetulit Theodoretus, Christiano haud dubie fastu, quo tum tumerent: addens, Christianum vel tenuissimum ac vilissimum esse potiorem iudicem vel peritissimis paganorum. Quod vt superbe dictum est, & indignum modestia Christiana, & vero per se falsum, ista quidem conditione, quia pietas non affert iurisprudentiam, aut iudicis auctoritatem externam: ita repugnat vs. 5. cum *pudore vestro* dixero: adeone inter vos *ne vnus quidem* est *peritus* iuris aut facti indagandi & iudicandi, qui vestras causas disceptet? Aut ergo inter illos non erat Iurisperitus, aut iis non vtebantur. *Peritos* ergo legere arbitros debebant, & auctoritate praeditos, non ἐξουθενημένους. Qui siue intelligantur iuris imperiti, siue conditione & loco tenues, abiecti & contemti: profecto nec sint idonei iudices, neque a Paullo constitui iubeantur, aut peritia destituti, cui fidant litigantes, aut auctoritate, cui pareant. Quare *iudicandi* conditione acceperim vocab. καθίζετε, & ad mores referre Corinthiorum, eo nomine reprehensorum a Paullo, quod arbitros rerum suarum statuant homines leues, sordidos, inopes, imperitos,

nullo numero, quorum abſurdis arbitriis & contemtis cogantur litigantes deferre rem ad paganos, non facturi, ſi aut habeant in coetu ſuo peritos & graues, aut iis vti queant. Nempe moleſtum habebant potiores, immiſceri cauſſis diſceptandis, vnde res deuolueretur ad tenuiores, quibus nemo fideret, nemo pareret. Ita fit, vt ad *mores* hic verſus pertineat: quos porro notat; cum pudore Corinthiorum, vſ. 5. quod neminem habeant peritum iuris & aequi, qui fungi poſſit munere diſceptandi. Habebant forte nimirum; at iis non vtebantur. Omnino vitioſum dicit, quod litigent; eſt enim ſignum auaritiae, iniuriarum, rapacitatis auidae quae & deinde obiicit Corinthiis, vſ. 10. diſcordiarum haud ſane decentium Chriſtianos, qui pati potius debeant iniuriam, adeo non propulſare; at illos vltro inferre, easque Chriſtianis Chriſtianos: atque ita litigare non inter ſeſe, quod, vtut parum decorum, tamen intra ipſorum conſcientiam contineatur, ſed apud paganos iudices, qui rideant, contemnant, oderint adeo litigioſos: non ſine contemtu odioque doctrinae, quam profeſſi, tam acerbe litigent. Alia idem eorum dedecora notat, plurima illa & maxima, vſ. 11. vt tamen dicat 1) *fuiſſe* tales, quondam, 2) *quosdam*, non omnes: 3) iam ab illis purgatos per Chriſtum & Spiritum S. quibus abſtinendum iam ſit, vt Chriſtiano indignis. In mentem reuocat, qui fuerint & quales: quo magis horreant, vitent. C. 7, 32. 34. notat mores ac ſtudia eae-

li-

libum & coniugum, eo diuersa, quod illi *magis* curent diuina, id est, liberius, tranquillius, minus districti atque interpellati colere *possint*; hi contra terrestria, i. e. magis cogantur soleantque illis vacare; vt, hoc quoque nomine caelibatum, ostendat, coniugio praeferendum. Israëlitarum in deserto mores breuiter quidem, sed per singula, notat, 10, 1--11. poenae euentu singulis addito: vt similitudine poenae absterreat ab imitatione flagitiorum: ea quoque similitudine vsus, quae Christianis intercedat cum illis, e signis diuini fauoris, quibus si abusi fuerint, vt illi, perituri etiam sint eorum exemplo, nec plus inde commodi capiant, aut iis fidere possint, quam Iudaei. Ibid. vs. 15. vt *prudentibus*, inquit, loquor: ipsi iudicatote! Prudentiae moribus vtitur, qua vel polleant, vel pollere sibi videantur: quo magis eos pudeat erroris, leuitatis, temeritatis, alienae prorsus ab ista prudentia, quam sibi, qua in re, qua iniuria, arrogent. Sed longiorem rursus inhibet morum notationem, 11, 17--23. laudatis antea tamen vs. 2. vt videant, non acerbitati reprehensionem dari, sed necessitati: nec rursus ambitioni laudem, sed veritati. Laudat autem, quod memores agant ipsius, de omnibus ipsum consulentes: (iam enim ad quaedam responderat, consultus ab iis, C. 7. & 8. porro responsurus & hoc Cap. & 12.) quod notet in iis amorem, fiduciam, reuerentiam Paulli, cuius praecepta auctoritatemque & expetant, & sequantur. Quorsum lau-

dat ergo? Partim laetus, quia iam ad quaedam reſponderat interrogatus; partim, quo promtius obſequantur: partim, quo ſecurius, & quaſi excuſatius, reprehendat laudatos; quos iam reprehendit vſ. 17--23. ob dedecora publicorum ſacrorum, inter quae moueant alantque diſſidia, vel ex varietate doctorum, quibus fidant, 1, 12, 3, 4. vel ob diſcrimina munerum diuinorum, C. 12. vel ob diſſenſionem de vſu ciborum, C. 8. vel alias ob cauſſas, quas ignorare liceat; forte & ob prophetarum legisque interpretationes. Sed grauius increpat vſum Coenae S. neglectim atque indecore habitum, non communicanda cum pauperibus coena vel agapa, quam afferant ditiores, ſed ab ipſis ſolis capiunda; id enim eſt, προλαμβάνειν, occupare, non *priorem*, ante, ſed *prae* ceteris, nil inde percepturis; cum contemtu nil habentium aut offerentium, quorum os feriant epulando coram eſurientibus: ebrietate quoque, cum per ſe turpi, tum tali vtique tempore, coetu atque conuentu, loco, cauſſa; quae omnia & ſingula habeant, oſtendant, efficiant ſummam peruerſitatem, intemperantiae, arrogantiae, contemtus aliorum, aeque Chriſtianorum, odii & inuidiae in contemtis atque egentibus, abuſum denique & negligentiam Coenae S. turpiſſimam atque audaciſſimam, quae omnem eius dignitatem violet, omnia conſilia eius impediat atque euertat. Vnde moderate idem & grauiter, ſed comiter tamen, veluti percunctabundus, addit: Quid vobis di-

dicam? Laudemne vos? Nempe vt ſupra laudaui, & cupiam, quin faciam, ſi poſſim; Hac quidem in re non laudo. (laudare nequeo.) Quid mollius, ac tamen ſimplicius? ipſos iudices facit, laudandine ſibimet videantur; vt ne ipſos quidem auſuros; & tamen lenius addit, *non laudo*, dicturus, obiurgo, grauiſſime reprehendo. Sortem quoque illorum ſubiicit, vſ. 30. di nam tali ſecuritate atque inſolentia, morbos ac mortes. Quae ſane ſint morum ſigna, quippe ſccuta tales mores, nec ſecutura, ni fuerint tales. Et, quod proprie rurſus ſit morum, vſ. 31. Si nosmet ipſi iudicemus, διεκρινομεν, id eſt, ἐκρινομεν, vt ſubiicit ſimplex, ἐκρινόμεθα· & Zach. 3, 7. Ebr. תדין, *iudicabis*, redditur, διακρινεῖς, i. e. κρινεῖς·) ſi *vos* Corinthii (*ſe* admiſcet, per primam perſonam, humaniter & leniter; diligentius ſpectetis, ſenſum moremque veſtrum, vosmet improbetis, accuſetis, peruerſitatem veſtram ſponte agnitam caueatis, rel. Hoc ergo non fecerant; alioquin a Deo puniendi non forent. Quare hoc in moribus eorum requiritur & notatur. Quos reprehendere pergit C. 12. & 14. Sed hoc ad Genus Demonſtr. pertinet. Hic tantum notemus 14. 12. Quandoquidem ſtudioſi eſtis beneficiorum extraordinariorum. Hoc eſt moris eorum; quem retinere ſane iubet, ita, vt non ad oſtentationem ſui conferant, ſed ad reliquorum vtilitatem. Nec minus vſ. 25. ſi omnes loquamini linguis exteris, nullo ſenſu aut vſu: nonne, furere vos, di-

cent non Christiani aut imperiti, forte ingressi? Quin & vs. 20. 21. Magnum vobis videtur, loqui linguis; sed parum reputatis, impiis dandum esse hoc signum & fidei argumentum. Ergo vosmet habetis & profitemini velut impios, necdum ad Christum perductos, quorum vel ignorantia vel peruicacia miraculis egeat, quibus vincatur. Ita fit, vt, dum placeatis vobis vt sapientes, pueriliter desipiscatis. 15, 34. Quidam vestrum ignorant Deum & vim diuinam, reditum mortuorum in vitam tollentes: hoc dico pudori vestro! Mores ergo eorum notat, qui partim ipsi ignorent vim diuinam, partim versentur cum illis pestibus, partim aures illis praebeant.

2 Cor. 7. 7. cum laude ac laetitia notat mores Corinthiorum, ex dolore & poenitentia, quam & perceperint & ostenderint ob flagitium poenam incesti. Quam ille poenitentiam notat laudatque 1) certam, id est, a) extrinsecus exploratam, vs. 6. 7. 13. 14. nuntiatam sibi a Tito, noscendi caussa missso, qui ipsi omnia ac singula diligenter retulerit, vs 7. dolorem, desiderium & amorem in Paullum, studium curamque ei se purgandi ac probandi; ita, vt, vera omnia esse, ipse viderit Titus: vs. 14. b) intime ex animo ortam: quod ostendat idem ille dolor, timor, indignatio, amor, excusatio, alia vs 11. memorata, veri & commoti animi signa: 2) diuinitus effectam, ad Deum relatam, Deo gratam; id enim sign. κατὰ θεὸν non humana

manis datam cauſſis, pudoris, odii, timoris poenae, famae, dedecoris, ſed Deo offenſo, & prauitatis ipſius odio; hinc & 3) vtilem atque ſalutarem; vſ. 9. 10. Diuinitus, inquit, indoluiſtis ad poenitentiam veram & puram, ne quo damno a nobis afficeremini: i. e. eo & *conſilio* & *euentu* in vobis, vtrumuis enim, immo vtrumque ſimul, hic notatur vocabulo ἵνα, vt nil vobis noceret aſperitas epiſtolae caſtigationisque, verum vltro prodeſſet, dedecore abolendo, & ſenſu veſtro in melius reuocando ac commutando. Vſ. 10. Poenitentia diuinitus excitata, ad Deum relata, *vitam* affert, a) tranquillam, placato Deo, cui non placeat nec placere poſſit aliunde commotus dolor: b) ſanctam, ex metu non offendendi Dei, quod eſt vnice verum ſanctitatis fundamentum: c) coeleſtem; quia dolentes Deo offenſo, idque rurſus committere metuentes, vitant illa, quae reddant exſortes coeli. Quare illam poenitentiam praedicat & 4) fructuoſam atque efficacem. Quae effecta enumerat vſ 11. ſtudium, corrigendi delictum: ſatisfactionem vel diligentiam ſui excuſandi ac defendendi: deſiderium Paulli videndi, eiusque amorem redditum intelligendi: indignationem, in inceſtum illum, in factum ipſum: timorem poenae diuinae: vindictam, animum puniendo delicto promtum. Quae ſane oratoria eſt partitio frequentatioque. Ita ſtudii veſtri, inquit, veritas pietasque apparuit, vſ. 12. oſtendiſtis, vos culpa vacare huius rei; vſ. 11. extr.

apparuit, constitit, vs. 13. me non frustra nec temere gloriatum esse de vobis ad Titum: cui dixisset Paullus, quales esset Corinthios inuenturus: Quae ostenderent effecta, illam poenitentiam esse & veram, & vtilem, & decoram: sed eandem 5) laetam Paullo; vs. 6 9. 13. 14. 16. tum, quod sit leuatus dolore, quem percepisset ex illo flagitio, qua auctorem, qua Corinthios, ea ignominia respersos: 2, 2. tum, quod tam vtiliter salubriterque indoluerint, vs. 9. tum, quod sese innocentes ostenderint eius rei: vs. 11. extr. tum, quod fides constiterit gloriationi Paulli de illis; vs. 14. quod non sine summo pudore secus casurum fuerit: & quod possit iam per omnia illis confidere: vs. 16. Quod ipsum iam praemittit, velut eminus, postulationi, quam edit, C. 8 vbi notat mores Achaeorum, cum laude, vs. 2—5. quod, in summa paupertate, (exhaustis prouinciis, per tributa, & praefectorum praedationes,) tamen liberaliter egerint, collectamque fecerint Palaestinis, 1) largiter, 2) tantum non vltra vires, certe cum incommodo magno suo, 3) sponte sua, 4) vltro rogato Paullo, vt reciperet ac perferret, 5) pie & obseruanter in Deum, cui sese *totos* dedissent primo, vt & ad *hoc* opus essent promti. Haec cur ita notat? Primo quidem, vt laudem iis suam reddat: deinde, vt Corinthios acuat eorum exemplo, studiumque iis iniiciat imitandi: Quos & ipsos iam eo nomine & consilio laudat, vs. 7. qui adhuc probarint omnes virtutes, fidem, doctrinae intel-

telligentiam (λόγον,) ſtudium recte agendi, amorem in Paullum. (ἐνήμῖν, pro, εἰς ἡμᾶς,) Quas virtutes & nunc probari in hac cauſſa velit, probaturosque, confidat, quod dignum ſit illis, vt per omnia ſibi conſtent. Et vſ. 10. 11. laudat eorum voluntatem, vt iam probatam. Quam voluntatem praefert ipſi facto. Non facere modo, inquit, ſed & *velle*, coepiſtis. Maius ergo eſt, Paullo auctore, & ex rei natura, *velle*, id eſt, vero animo & conſilio facere liberali & pio. Quippe, vt facias, ſimpliciter, & aliis cauſſis dare poſſis, haud ſinceris, vt neceſſitati, imperio, lucri aut gloriolae ſtudio. Vnde etiam reliquos incitatos, ſcribit, exemplo ſtudii Corinthiorum, 9, 2. Quae omnia oratorie ſane contulit ad idem illud conſilium inuitandi eos ad promendam liberalitatem: id quoque morate; 9, 4. ne pudore officiar ego, *ne dicam*, *vos*; ſi vana inueniatur laus a me vobis circumdata. Quis enim non amet laudari? Aut quem non pudeat, inueniri falſo laudatum? Immo vel laudantis gratiae, vel ſuae ipſorum exiſtimationi, darent, vt fides laudi conſtaret. Sed & Titi mores laudat, 8, 16. 17. 23. e ſtudio, quo & *receperit mandatum* negotium, & iam antea ſua *ſponte ſuſceperit*; (Ita enim Cicero ipſe diſtinguit haec verba, Diuinat. in Caecil. 8. init. L. 2. in Verr. 1. init.) & alterius miniſtri. Barnabam intelligit Theodoretus; nec plane abhorret, quia vocat συνέκδημον, itineris ſocium, ex Act. 13. init. vbi tamen miſſus narratur euangelii doctor, non, vt hic, in-

interpres collectae accipiundae & perferendae: quae & ſerius facta intelligatur ex Rom. 15, 26. 26. vnde, e ſubſcriptione epiſtolae, liceat vel Lucam intelligere, vel quemlibet alium: cuius hic laudem, ait, conſtare ex omni coetu, in euangelio, id eſt, vt boni, fidi, periti, ſtrenui miniſtri doctrinae. Quod cum parum tamen ſit ad fidem liberalitatis perferundae: addit, deſignatum ſecum ob omnibus coetibus ſocium huic profectioni: vnde fides illi merito habeatur. Eo enim conſilio ita notat, vt oſtendat, recte iis committi collectam. Quod & colligit vſ. 23. Siue Titum, inquit, ſpectatis: conſors mihi eſt operis apud vos: notus ergo vobis, & cui fidem merito habeatis; ſiue vt Chriſtianos ſpectatis & Titum, & collegam: habetis legatos a coetibus, exploratae ergo fidei, publiceque probatae: gloriam plane Chriſti, id eſt, fidos ei miniſtros, domino decoros, paratos omnia facere eius cauſſa: & hoc nomine recte iis pecuniam crediturі. Sed ex diuerſo

Falſorum apoſtolorum mores paſſim ac varie notat CC. 10. 11. 12. Quos quidem, 10, 12. vocat ſuimet ipſorum commendatores ipſos; quod ſtolidum eſt & vanum; qui non videant, quam fruſtra laudem quaerant ex ſuamet dignitate & facultate ſola, magni ſibi videantur, dum nemo adſit, cui collati, concidant minoresque appareant. Eosdem dicit, 11, 12—15. cupere & captare occaſionem Paulli culpandi, & in ſuſpicionem contemtumque adducendi: cupide

ar-

arrepturos, si dederit, lucri amore. Falsos apostolos vocat, aut non rite vocatos, aut male fungentes munere, falsa docentes & improbo consilio: malos operarios & dolosos, perfide facientes opus inutile, datum studio mercedis sordidae & gloriolae: induentes sibi speciem & personam ministrorum Christi, quo facilius securiusque imponant: Satanae ministros, cui & similes sint. Qui Satanas quis sit hoc loco, a ministris distinctus, quos habeat tamen, haud profecto expedierint, qui non intellexerint aut admiserint daemonem, quem dicimus, immo archi-daemonem, qui solus hic eximieque ponatur. Huic ergo similes ait, improbitate animi & consilii, fraude, simulatione, calliditate. Cum ita notat? Nempe, ne Corinthii fidant illis, neue propter eos ipsi Paullo diffidant. Vs. 20. notat eorum auaritiam, insolentiam, fastum, dominari cupientium, laute agentium sumtu Corinthiorum, quos tamen insolenter habeant, obtrudendo iis praecepta falsa, non necessaria, seruilia. Quod obiter perstringit, addens, per ironiam, Corinthiorum patientiam stultam, *mores* ergo, absurdos sane, prudentiae opinione, ipsis & turpes & noxios. Conditionem quoque externam falsorum doctorum notat per singula, vs. 22. 23. eo, vt ostendat, se nihil cedere illis, paria vtrimque inueniri, etiamsi talibus vtique censeantur.

12, 18. defendit mores Titi, & alterius, quem miserit cum eo, non ea caussa, quae memoratur c. 8. futura tum, cum haec scribebat, sed

ſed magis ea, quam memorat 7, 5. 13. ſequ. Tuetur autem ipſis conſciis Corinthiis, quos hi duo non magis popoſcerint quidquam ſibi aut ipſi, quam ipſe coram ſibi. Quod eo confert, vt conſtet ipſius fides, nil ad ſeſe vertentis, nec directo, nec per alios, quaſi per pſeudothyrum. Rurſus Corinthiorum mores notat vſ. 20. 21. malos ſane, plerorumque certe, quales ſit inuenturus eius aduentus, metuentis ſane ac dolituri, ſed tamen animaduerſuri. Et 13, 3. Specimen quaeritis Chriſti in me efficacis: veluti ignari, aut dubitantes, quod tamen experti noritis; (ibid. & 12, 12.) aut optantes forte, cupientes videre; quando id agitis, vt mihi neceſſitatem imponatis exhibendi apoſtolum: ſatis proterue vos quidem, qui iam cognoueritis Chriſti virtutem. Quando tamen quaeritis: (ex ipſorum mente ac more pugnat:) dabo ergo, grauius forte, quam putetis, aut velitis. Vſ. 5. Spectate vos, an fidem ſeruaritis, an ſentiatis virtutem Chriſti in animis veſtris. Quam ſi ſentitis: quid experiri tenditis, vt ignari? Sin minus: relinquitur, vt ſitis ἀδόκιμοι, non Chriſtiani, carentes fauore & auxilio Dei & Chriſti. Morata vero oratio, & qua in anguſtias plane compulſi, aut abſtinerent poſtulatione & dubitatione haud neceſſaria, aut, ſi non abſtinerent, defeciſſe ſe a Chriſto, agnoſcerent.

Neque Epiſt. ad Galatas caret notationibus morum alienorum: vt falſorum doctorum e Iudaiſmo, 2, 4. quos vocat παρεισάκτους, qui ire-

repſerint, coetus turbatores, ſpeculatores, proditores euangelicae libertatis, reuocaturos ſeruitutem legis: cuius ipſius & a) ignari ſint, 4, 21. cum tamen vim veram illius ſcire debeant ex iisdem ſcholis prophetarum, e quibus hauſtam interpretationem ipſe proponat, vt ὁμολογουμένην, notam & conceſſam: & b) negligentes, cum aliis impingant, 6, 12. 13. quo quid iniquius? declinantes inuidiam doctrinae de morte Chriſti, in gratiam Iudaeorum, 6, 12. gloriam captantes ex obſeruantia rituum aliis inculcata & commendata, velut in cultum Dei, ibid. & arroganter iniungendo exemplo ſuo: 4, 17. Petri deinde aliorumque apoſtolorum mores notat, 2, 6—9. qui 1 nihil addiderint, nil correxerint formulae ab ipſo propoſitae prius, quam rem cum illis communicaret: vnde pateat, κατ' ἄνθρωπον, veritas eius Galatis, magni illos facientibus: vnde illos vocat δοκοῦντας, principes, qui & ſint & *habeantur*, & στύλους, fulcra ciuitatis & formulae Chriſtianae, quo loco & ſint vere, & a Galatis habeantur, fidem vel inde habituris Paullo, nec defecturis a doctrina, reliquorum quoque apoſtolorum ſuffragio comprobata: qui ſocietatem cum ipſo inierint, parem illum ipſis agnouerint, dextra data receperint, pactum inierint prouinciarum partiendarum Quae omnia pertineant ad fidem adſtruendam doctrinae, male a Galatis relictae atque interpolatae. Petri vero proprie morem notat vſ. 12. 13. declinantis conuictum paganorum, in gratiam vel timore

In-

Iudaeorum ſuperuenientium, haud ſatis liberaliter aut conſtanter, antea non vitatum cum ſolis: qua varietate & reliquos traxerit. Ex qua inconſtantia, ambitione, trepidatione, diſſimulatione, factisque contrariis doctrinae, recte eum vocat κατεγνωσμένον, improbandum a moribus. Cur autem iſta notat? Non, quo detractum eat illius auctoritati; vt, qua ipſe antea ad eosdem Galatas vſus foret, vſ. 7. verum, vt oſtendat Galatis, 1) ſe non inſeruire humanae auctoritati, ſed diuinae: 2) ſibi certo conſtare de diuinitate ac fide doctrinae, quam, ne Petri quidem moribus condonatam, conſtanter defenderit: vnde 3) nil a ſe cuiquam ex ea, nec Galatis ergo, remitti poſſe, quippe de re diuina, contra Petrum ipſum, male nutantem ac fluctuantem, tam conſtanter defenſa. Galatarum notat ipſorum mores 2, 1. 2 dementes vocans ac faſcinatos; quod vix aliter fieri potuerit, vt in talem errorem prolaberentur, in tanta euidentia Chriſti agniti, velut ante ipſorum oculos in crucem ſublati: inconſtantes atque incogitantes ita, vt, quod coeperint *ſpiritu*, fauore & auxilio Dei, in euangelio, ac per illud, ſine lege, id perſequi velint *carne*, per inania rituum: C. 4, 8 — 11 cum pagani fuerint, inanibus dediti, quae & agnouerint eſſe inania, iam velle reuolui ad alia ludibria, legis ritus: nugis nugas mutaturos, carduis urticas. Vbi notat 1) priſtinos mores, colentium Deos falſos, ludibria, figmenta, nil valitura: 2) errorem ac peruerſitatem moris illius:

igna-

ignaros veri Dei, cultores falsorum, qui nulli essent; vere & natura non essent Dii: (φύσει hic est ἀληθῶς.) 3) praesentem conditionem, tanto potiorem: in qua a) Deum vnum ac verum agnouerint, b) Deo vero placeant atque diligantur; id enim hic est γνωσθέντες, per antanaclasin, cum correctione; & ex his oriundam 4) peruersitatem erroris, per quem ad alia ludibria rituum, ex lege Leuitica, relabantur: quae vocat elementa rerum terrestrium, corporearum, infirma, nil valitura, cum per se, quod his rebus Dei cultus minime censeatur, tum cessante iam consilio, post Messiae aduentum: tanto quidem inexcusabilius reuoluti, quod non fuerint Iudaei, excusandi assuetudine & opinione voluntatis diuinae: sed pagani, qui iam a sanioribus paganorum discere potuerint, ista nihil valere, nec quidquam per ista, ad veram pietatem profici, longe aliis rebus censendam. Addit, obseruari ab illis dies, menses, vel nouilunia, annos, Sabbaticos, & alia temporum festa: qui sunt externi mores, Paullo notati: e quibus timor illi suboriatur, ne operam in Galatis effuderit, qua illos ad Christum verterit: cuius formulae, per istam asseuerationem rituum, fronte aduersa repugnent. Vnde & 3, 4. eos increpat vt frustra perpessos tanta pro Christo incommoda; non frustra tantum passos; sed & nocituros sibimet illa defectione: quae inconstantia, & periculi conditio, incommodis vltro emta, haud sane sit moris sapientis: cui si iam voluptas do-

lore emta repugnat, quanto magis pericula moleſtiis emta! Sed alium ſubiicit morem Galatarum, 4, 13—15. ſenſum, quo in ipſum fuerint, quem probatum ipſi dederint. Nulla, inquit, iniuria me laeſiſtis: in me nil deliquiſtis, quo offenſus, acerbius in vos iam cooriar. Non faſtidiſtis venientem ad vos ſine pompa facundiae aut doctrinae: non abieciſtis calamitates perpetientem: immo excepiſtis peramanter, reuerenter, cupidi, laeti, vt miniſtrum Dei, & angelum coeleſtem, vt Chriſtum ipſum: oculos eruere vobis parati, quos mihi daretis, ſi vſus facto foret: nil non amori in me daturi: beati denique videbamini vobis, & ſane eratis. Quae nunc mentem ſententia vertit? Tanto ſtudio expetitum, tam puerili leuitate ſubito ſpernitis? Et hic ergo notat eorum inconſtantiam, ipſorumque ſenſu & confeſſione eos impugnat. 5, 17 ſequ. notat prauum & ſenſum & morem, ſed & bonum, & omnino, & per ſingula, & internum, & externum: a pugna inter ipſos in animo, quae ſaepe impediat facere probata, cogat facere improbata; vſ. 17. a fructibus operum malorum, vſ. 21. & bonorum, vſ. 22. Quae hic interpretari nil attineat, etiam in *Hypotypoſi* notanda. 6, 1. vno vocabulo notat mores Chriſtianorum, vocando πνευματικὸς, i. e. ſapientes, diuinitus eruditos, imbutos amore Dei aliorumque, ad quaelibet officia promtos, viribus, voluntate. Quorſum? Vt moneat, eos poſſe, debere, dignum illis eſſe, leniter ferre & corrigere lapſos. Qua bre-

breuitate & in ſimili cauſſa vtitur Rom. 15, 1. δύνατοι vocando, quorum ſit, ferre infirmiores; male enim firmus ſit, qui nihil ferre poſſit. Iam

Ad Epheſ. 2. paene tot. notat mores Epheſiorum, quoad pagani fuerint, nunc ſint Chriſtiani, Iudaeis per Chriſtum, ſub Chriſto, ſociati. Monet enim: fuiſſe mortuos in delictis & prauitate, id eſt, inertes atque inhabiles ad omnia bona ſtudia & facta, ob eamque cauſſam & obnoxios morti, poenae delictorum: vſ. 3. eosdem vixiſſe ex illis prauitate ſtudiorum, a diabolo concitatorum atque ſuſtentatorum. Quem diabolum vocat principem poteſtatis aëris, id eſt, caput ac ducem hominum agentium in tenebris, ignorantiae, erroris, impietatis: vel principem *aëriae* poteſtatis, id eſt, tenebricoſae, reliquorum daemonum, ſed & paganorum. Genitiu. πνεύματος eſt aut pro accuſ. πνεῦμα, referendo ad ἄρχοντα, vt Genitiuus datus ſit proximo, ἐξουσίας τῦ ἀέρος· vt 1 Tim. 4, 2. ψευδολόγων, κεκαυτηριασμένων, κωλυόντων, ſunt Genitiui poſiti ob vocab. δαιμονίων, quod praecedit, ſed referendi ad τινὲς, προσέχοντες· niſi ibi pendent ab ὑποκρίσει· illud ſimplicius. Aut πνεῦμα hic ſign. ſenſum, ſtudium in impiis operoſum: cuius auctorem, inſtigatorem, praemonſtratorem, eoque imbutorum caput, vocet diabolum, ab impiis ſignanter ſane euidenterque diſtinctum, vt appareat, eſſe naturam per ſe abſolutam, qui ſit & vocetur ἄρχων τῦς ἐξσίας· cui paruiſſe, ſimi-

lesque fuisse, demonstret. Cuius quidem mentionem addit, non modo ex vero, quia sic erat, sed & fidei faciundae, e caussa effectum intellecturis. Cuius caussae euidentiam auget vs. 2. eundem spiritum dicens, qui nunc etiam faciat in impiis opus suum, & vim suam exserat: simul, quo magis exterreat, memores, cui domino, & quali, paruerint. At nunc, demonstrat, vs. 5. 6. reuocatos in vitam, veram, sanctam, felicem, exemplo & virtute Christi rediuiui, cum eodem ac per eundem in coelis collocatos, id est, impletos intelligentia, fide, studio, sensu ac spe vitae coelestis, nunc sanctae, olim beatae, vtrimque laetae, receptos in regnum coeleste Christi, ecclesiam, coeli praerogatiuam. Parivtitur diuersitate notandi vs. 11—13. antea procul fuisse a Christo, a Iudaeorum consortio, a coetu sancto; contemtos a Iudaeis, superbientibus circumsectione, vt praeputiatos, ex re vtrimque vana, neque in summam quicquam profutura aut obfutura; sed, quod esset maius, exsortes egisse beneficiorum per Christum partorum, oblatorum vero Israëli, i. e. piis & fidentibus Deo per Christum, exsortes promissi diuini in Christo, sine spe veniae delictorum, vitae post mortem melioris, plane sine Deo, i. e. veri Dei ignaros, immemores, negligentes, nil ab eo sperantes aut metuentes. At nunc quid esse? Vno verbo omnia colligit: *propinqui* estis: accessistis ad Christum, coetum pium & felicem, Iudaeis consociati, eodem illis loco habendi, consor-

ſortes eiusdem fauoris diuini, eorundem beneficiorum ac ſpei eiusdem: ſapientes, ſancti, felices. Quorſum iſta notat? Vt intelligant 1) magnitudinem beneficii & amoris diuini, vindicantis ex tanta miſeria in tantam felicitatem, idque 2) nullo merito ipſorum, nulla commendatione ex ſenſu ipſorum aut more; quod beneficium 3) grate habere diſcant, ſed & 4) memores agant officiorum inde redundantium: quae perſequitur inde a C. 4. rel. Etiam 4, 17. —19. notat paganorum mores; a ματαιότητι mentis, nil veri, nil ſolidi, nil ſani videntis, deditae rebus inanibus, falſis, fictis, idolis, philoſophorum commentis friuolis: ab ignoratione veri, eaque voluntaria, peruicaci, inſuperabili: quam πώρωσίν vocat: vnde & ἀπηλγηκότας dicit ipſos: quod ſimpliciter accipiendum, commate ſubiecto recte monet Theodoretus, vt ἑαυτοὺς pendeat a παρέδωκαν. Nam etſi & accuſatiuo iungitur ἀπαλγεῖν, vt apud Thucyd. 2, 16. extr. ἀπαλγήσαντας ἃ ἴδια· ibi tamen notat, deponere luctum rerum ſuarum, ſuam vicem iam non dolere; quod ab h. l alienum eſt; vbi Paullus innuit, eos dedoluiſſe, occalluiſſe ad ſenſum virtutis, recti, honeſti, pudorem depoſuiſſe, atque ita ſe tradidiſſe cunctis flagitiis, laſciuiae, auaritiae: quam (πλεονεξίαν) Theodoretus hic interpretatur ἀμετρίαν, intemperantiam omnis rei: ſatis ad contextum, parum ad vſum loquendi; & tamen auaritiae & ipſius mentionem Paullus facit apertam ſatis, 5, 3--5. & furari vetando,

4, 28. mentiri quoque, vſ. 25. quod eſt impoſtorum, lucri fere ſtudio fallentium. Ita notatam paganorum prauitatem, ignorantiae, peruicatiae, impudentiae libidinis, ſordium, breuiter complectitur, vſ. 22. *veterem hominem* vocans, priſtinam & naturalem prauitatem indolis, corruptam & corrupte agentem, ſecundum libidines fraudis, id eſt, a) nixas errore & fraude animi, b) fallentes animum & caecantes opinione boni; bona enim putamus, quorum cupidine ingenti feramur: c) quae & alios fallere ſtudeant; id quod ſatis aperte innuit vſ. 25. & 5. 6. Ita ex diuerſo *nouum* hominem notat, i. e. ſenſum moremque dignum Chriſtianis, inſtitutum & conditum κατὰ θεὸν, a Deo, ad ſimilitudinem voluntatemque Dei, qui probetur Deo, per iuſtitiam, vel pietatem & ſanctitatem atque integritatem veritatis, id eſt, oriundam e cognitione veri & ſapientiae, eaque nixam: vel ſimpliciter, veram: niſi ἀληθείας eſt, ex Ebr. אמת, ſanctitas ipſa, probitas, iuncta per Genitiuum illis ſynonymis, Ebraeorum more. Cur autem ita notet, vtrumque, promtum eſt ex cauſſa deliberatiua & cohortatoria, in qua verſetur. At quam grauiter, & cum emphaſi plane, certe per enthymema, notat turpitudinem paganorum, 5, 12. quae occulte ab illis fiunt, *dictu* quoque turpia ſunt. Quid ergo facta! Vſ. 18. ita notat temulentiam, vt dicat, in ea eſſe, id eſt, ei iunctam, ea ſignificari & effici ἀσωτίαν, morem perditum, nullius

lius frugis, cuius corrigendi, aut seruandi hominis, qui ei se permiserit, nulla spes sit. Quid enim non perdit ebriosus? Valetudinem, vires, rem, famam, curam, industriam! Aut quis, tali vitio infectus, temere pestem illam euasit?

Phil. 1, 15—17. notat varios mores docentium euangelium per occasionem vinculorum ipsius: quod dari ab aliis, dicat, inuidiae & contentioni, vel obtrectationi, ab aliis amori, vel in ipsum, vel in Deum. Quae duo membra, breuiter posita, deinde explicat singula, inuerse quidem, per Chiasmum in *Elocutione* notandum: vt prius faciat, quod altero loco posuerit, & contra: amori dari a gnaris & reputantibus, ipsum incumbere ad defensionem euangelii, cui & in vinculis operam nauet: quam operam leuare Paullo, vel pro ipso subire, cupiant, & ipsius amore, & Dei, &, ne interim doctrina euangelii cesset; alios rursus id dare inuidiae obtrectationique, credentes, se Paullo aegre facere, cuius vices, in vinculis agentis, subeant, velut insidiantes absentiae ipsius, alio districti. Quorsum haec? Vt intelligant Philippenses, cursum euangelii non modo non inhiberi, verum vltro iuuari vinculis Paulli: vt 1) ne illis turbentur, aut animum ob ea despondeant: 2) tanto impensius studeant augere ac tueri laetitiam apostoli, colendis officiis Christianorum, non corrumpere negligendis: quod consilium ipse prodit 1, 7—11. 2, 1. 2. atque

caueant ſequi atque imitari eos, quorum peruerſitate augeatur ipſi pondus vinculorum ſuorum. Quam peruerſitatem notat breuiter primo, 3, 2. vocans canes, impudenter auidos, malos opifices, mali operis, malo conſilio: curtos, mutilos, ob circumſectionem, qua ſtolidi glorientur, quae ſit in ſe mutilatio tamen, ſtulta plane, vbi careat conſilio & iuſſo diuino, quod vtrumque iam ceſſet. Quibus opponit hominibus vere circumſectos, quales ſint Philippenſes, omnesque Chriſtiani, vere parentes legi diuinae animo & vita, non σαρκὶ, ritibus corporeis atque externis. Sed & pluribus deinde notat, vſ. 17. 18. vocans hoſtes crucis & mortis Chriſti; cuius imago cum ſit lex Leuitica, immo fuerit, abſurde iam inculcetur, morte Chriſti peracta: quod tamen ab illis fiat in gratiam Iudaeorum, quibus doctrina de morte Chriſti ſit inuiſa; Gal. 5, 12. quod & inuiſos Chriſtianis reddat homines tales, qui peruertant ſummam Chriſtianae doctrinae, & ſuſpectos, ob ambitionem & ſtudium lucri & commodi; addit enim: qui ventri vt Deo ſeruiunt, omnia referentes ad quaeſtum, victum, commoda, voluptates; contemtos denique, qui gloriam quaerant ex turpitudine circumſectionis, quae vere dedecus afferat corpori; vnde appareat ſenſus nil praeclari ſapientium, ſed terrena, corporea, externa, huic tantum vitae opportuna, ſpectantium. Cui mori opponit morem ſuum & Chriſtianorum, coeleſtia ſpectantium, aduentum

Chri-

Chriſti ſperantium, omnia dedecora iſta prorſus abolituri. 4, 10—15. notat liberalitatem in ſe Philippenſium, 1) ſerum; ait enim: *ium tandem:* ſed 2) temporum iniquitate, vel inopia facultatis, dilatam: 3) a *ſolis* praeſtitam, eoque gratiorem; 4) largam, & per ſe, & ad Pauli vſus ac deſideria.

Col. 2, 5. morem notat & ſuum & Coloſſenſium. Etſi corpore, inquit, abſum: animo tamen adſum, gaudens & videns, i. e. cum gaudio videns, vel, gaudens, quod videam, veſtrum *ordinem*, locum & ſtatum, habitum, firmitatem fidei. Et laudat, quales iam ſint, & monet laudando, vt pergant: &, ſe fauere, demonſtrat, illorum virtuti, eamque ſibi curae eſſe; ne credant, ſe ab illo negligi. 2, 18. 19. notat ſenſum moremque falſorum doctorum, volentium ac nitentium eos καταβραβεύειν, fraudare brabeo, (Phil. 3, 14.) ſalutis, vnice per Chriſtum tenendae: quos, dicat θέλειν, delectari cultu Dei ab ipſis inducto aut retento, ritibus, aut plane non iniunctis a Deo, aut abolitis: modeſtia angelorum, quaſi angelorum imitatores, perfecta virtute, quam ponant in abſtinentia ciborum, veluti corpore carentes, vt angeli, & vexatione corporis, vſ. 23. & modeſtiae ſpecie, quaſi ſe indignos deputent victu, quem Deus tamen largiatur: inculcare non viſa, (ἐμβατεύειν, occupare, בחל, vt Ioh. 19, 49. quod noto e Biel. Theſ. Philol. v. vel ex eodem κατασκοπῆσαι, rimari, explorare; vel, per ea incedere, iis in-

niti, vt certis & exploratis: qualia ſint), angelorum exempla, modum, quo illi Deum colant: quae ſemper Iudaeorum περιεργία & intemperantia fuit, velle multa de angelis ſcire: inflatos tumere ſenſu ſtudioque & pompa rerum inanium, terreſtrium, corporearum: nec tenere caput rei ac ſummam, Chriſtum, eccleſiae dominum: Quae omnia placere, dicat, ſpecie ſapientiae, continentiae, modeſtiae, pietatis, cum commendari debeant cultu etiam corporis liberali. (Rom. 13. extr.) 3, 3—7. notat & priſtinam Coloſſenſium conditionem: Et vos, inquit, verſabamini in iſtis prauis flagitioſisque ſtudiis paganorum, (quae recenſuit vſ. 5.) cum viuebatis in illis: Hic diſtinguit περιπατεῖν & ζῆν, alioqui ſynonyma: vt antecedens & conſequens, vt illud opera ipſa & facta notet, hoc ſtudia ſenſumque; v. Log. Paull. p. 14. Sed & praeſentem ſtatum notat, vſ. 1. in vitam reuocati eſtis cum Chriſto, compotes vitae ſanctae, alacres ſpe olim coeleſtis, beneficio Chriſti. Vſ. 3. mortui eſtis: nempe qua prauitatem: liberati illa, velut mortua & per mortem Chriſti abolita: exuiſtis praua ſtudia, nil iam pertinentia ad vitam, quam nunc agatis, a qua ſint plane aliena; ſegregati agitis ab omnibus nugis rerum inanium, terreſtrium, corporearum, quaſi plane mortui: & ſic habemini a non Chriſtianis, vt plane amandat, ex coetu & memoria hominum. Habetis tamen vitam, veram quippe, rediuiui cum Chriſto, ſed occultam illam, non Chriſtianis ignotam,

tam, inuiſam quoque; nec placentem externa ſpecie, aut in oculos incurrentem; neque in praeſens fruendam, ſed futuro tempori, coelo *reſeruatam*, (quippe & hoc ſign. κέιται, ex Ebr. צפן, Pſ. 31, 20. & Zephunim ſunt theſauri reconditi.) olim inuenturi, quaſi theſaurum, eius aduentu illuſtrandam.

Ad Theſſalonicenſes Epiſt. 1. quomodo & Theſſalonicenſium mores laudaret, 1, 3—10. 4, 9 & Iudaeorum vituperaret, 2, 15. 16. 2 Theſſ. 3, 2. notauimus iam in Gen. Demonſtr. vnde hic non repetimus: Vnum hic diligentius notaturi, Antichriſti deſcriptionem, quem vocant, vel inueniri hic vulgo putant; quem

2 Theſſ. 2, 3. 4. 9. 10. hominem notat impium, maleficum, a fide alienum; ea enim proprie eſt ἁμαρτία, Ioh. 16, 9. Ebr. 3, 13. coll. 4, 11. 10, 26. pernicioſum eundem, ſibi aliisque, repugnantem Chriſto & formulae eius, obtrectatorem maieſtatis diuinae, quam ſibi arroget, non modo contra *falſa* numina, aut quidquid eſt ſanctum & venerabile inter homines, vt principes, reges, Imperatores, ſed & contra ipſum *verum* Deum, cuius templum inuadat, ſuimet adorandi demonſtrator: miraculis quoque obcaecantem, diabolo efficiente, & fraude in rem ſuam compoſita, obcaecantem ergo impios, perire & paratos & dignos. *Quis* ſit, interpretari, quia non datur, nil ſane attineat: *qui* ſit, ſatis deſignat Paullus: cuius plura huc reſeruauimus ex

Epiſt.

Epiſt. 1. & 2. ad Timoth. & ad Titum: quae luculentas ſane morum imagines continent. 1 Tim 1, 6. 7. Quidam, iis rebus neglectis, nempe ſumma legis diuinae, elapſi ruerunt ad inanes nugas rerum falſarum, inutilium, alienarum a veritate & ſalubritate doctrinae. Volentes ſe eſſe, ferentesque ſeſe doctores legis, neſciunt, quid ſibi velint, tantoque conatu agant. Neque enim aſſequuntur vim legis veram conditionemque, ſeu de ritibus, quam in primis urgent, ſeu de moribus, quam & ipſam fere cenſeant rebus externis, aut a Deo non ſancitis, 4, 3. aut falſo conſilio habeant, Rom. 10, 2. Rom. 3, 21. Quos eo notat, vt ab iis caueat Timotheus, iisque reſiſtat. C. 3. tot. habet notationem morum, epiſcopo diaconoque dignorum: de quibus iam diximus in Genere Deliberat. Rurſus notat falſos doctores, 4, 1—3 eorum aſſeclas: defectores verae formulae, quam ſint adhuc profeſſi: aurem praebentes falſis magiſtris & impoſtoribus, conſcientiae vel ſaucíae, vel torpentis; vtrumuis enim notat κεκαυτηριασμένων· illud hic praetulerim; lenti enim animi & ſine pudore nulla hic ratio eſt; at violatae conſcientiae, quam ſolari nitantur putida obſeruatione legis & rituum, nihil ad rem facientium, quaſi placando Deo, quod & hodie ſolent, ſuperuacuis operibus, quia omiſerint neceſſaria: vtentes praeceptionibus daemoniorum, vel *de* daemoniis, vel *a* daemoniis: illud praetulerim; partim, quia vere talia ingerebant, Col. 3, 18. partim, quia,

al-

altero illo ſenſu, dixiſſet, τῷ διαβόλῳ, ſingulari numero: vni enim daemonum principi tribui ſolet errorum origo, vbi praeter homines ab illo arceſſitur: vt 2 Cor. 4, 4. Ioh. 8, 44. Eph. 2, 2. Porro notat vanos ſimulatione pietatis, vetantes non vetita a Deo, quaſi ipſo ſanctiores & ſeueriores. Quae omnia loquantur mentem ſuperbam, cupidam rerum nouarum atque inanium. 5, 5. 6. viduarum mores notat, quoad ſint idoneae vel non idoneae muneri eccleſiaſtico, diaconatus. Vere viduam notat, vere ſolam, in ſolitudine agentem, ſine marito, ſine liberis, quos aut nunquam habuerit, aut amiſerit, aut curandos non habeat: καὶ, ante μεμονωμένη, videtur habere h. l. vim explicandi, & deſignare illam vere viduam, ſibi viuentem, non in celebritate coetuum, aut illecebrarum, ſine interpellationibus & auocamentis vitae ciuilis & lautioris. Talis, inquit, vidua ſpem repoſitam habet in Deo, nempe ſolo, deſtituta omni conditione ſpei ex hominibus, ex nouo coniugio, aut aliorum liberorum ſolatio: quo magis, id eſt, enixius, ſolius Dei memor, & liberius, nullis diſtricta curis, vacet precibus ad Deum. Tales, ait, aptas & admouendas muneri ſacro, vt pias, & vacaturas curis ſacris, non modo libere, verum & ſemper, non repetitis curis vitae humanae; quod ne faciant, metus ſit in iunioribus, vſ. 11. quae plerumque viuant luxurioſae, vſ. 6. quas inde ait, viuas iam eſſe mortuas, id eſt, agere vitam inertem, inutilem, mollem, indecoram, omn

curae, ſacrae vtique, prorſus ineptam: quae ſicuti, admotae muneri, pauerint ſeſe atque indulſerint ſibi e commodis eius, iam admonitas atque ſollicitatas deſiderio noui matrimonii, relinquere ac mutare fidem eccleſiae obligatam, quae ab iis exſpectauerit, vt iam abſtinerent coniugio, cuius conditione ceſſiſſent tali prouincia capeſſenda. Quam vocat *fidem* priorem, non Chriſtianam vtique; nec ſalutarem illam: quid enim? Sed abſtinentiam coniugii, *promiſſam*, exſpectatam, & operam eccleſiae mancipatam, quae exſpectari nequeat in maritis, alio diſtrictis. Sed & interim, ait, vſ. 13. vagari (ἔρχεσθαι hic ſign. *ire*;) paſſim per domos, idque μανθάνειν, exercere; participium, περιερχόμεναι, eſt pro infinit. περιέρχεσθαι· niſi legerimus, λανθάνουσι. Inertes ergo, nil ſerii, nil vtile agentes, vacant concurſationibus ac ſalutationibus. Neque id modo, iam per ſe inutile; verum & nugis terunt tempus, de aliis detrahunt, ſuſurrant, vt ſolet in iſtis circulis mulierculorum: vnde rumores ac famigerationes, (Klätſcherey,) mendacia, ſecretorum vel enuntiationes, vel calumniae, vel commenta nata, turbas gignant. Iam, 6, 3—5. notat prauitatem docentium falſa, a ſuperbia, ignorantia: quae fere iungi ſolent: a ſtudio inanium concertationum; *morbum* vocat, animi corrupti, inſanientis amore rei, ſpecie ſola placentes: e quibus nil ſani oriatur, ſed ſuſurri, ſermones a vero alieni, tempori perdundo; omnia oriunda e ſtu-

ſtudio lucri ſordido, cui ſeruare cogant pietatem, immo ſpeciem pietatis. Ecquid hoc eſt, morate dicere? Sed &

2 Tim. 1, 5. e moribus matris auiaeque Timothei, fide in Chriſtum, coniecturam facit de ſenſu ipſius Timothei; cui ſimul commendat imitationem moris parentum. Et Oneſiphori in ſe officia memorat, vſ. 16—18. qui non ſpreuerit captiuitatem ipſius, immo ambierit Paullum cunctis ſtudiis, amicumque ſibi reddiderit: quaeque illi tribuerit, Timotheo nota ipſi. Ita & Paullo auctore, & Timotheo conſcio, firmentur mores eius. Quos vt breuiter notat: ita longius, & morate plane impoſtorum mores notat, 3, 1—9. perfecta plane hypotypoſi, immo diatypoſi. Quae vt explicatione nil ſane eget: ita notanda eſt a commemoratione ſingulorum per adiectiua, inde a vocab. φίλαυτοι, ad τετυφωμένοι, vſ. 5. quae nullum ſane improbitatis genus intactum relinquant: antitheſi deinde concinna, primo ſingulorum verborum, φιλήδονοι μᾶλλον, ἢ φιλόθεοι· quae & parecheſin oratoriam habent, & morum ſigna euidentia: ſententiarum deinde: pietatis a) ſpeciem b) habentes, a) vim ipſam b) abhorrentes: tum longiori comprehenſione, velut digito demonſtratorum: ex *his* ſunt *illi*, qui in domos irrepunt, ſeſe inſinuant, furtim, ſpecie pii conſilii, operae ad pietatem priuatam nauandae, fiduciae per familiaritatem conciliata, inſinuentur in omnia conſilia, omnibusque cauſſis immiſceantur. At quam cal-

callidi rem instituunt! *Mulierculas* aggrediuntur: quarum infirmitas, timor, credulitas, vt per se iam fraudibus opportuna patet, ad pietatis vtique speciem, ita facilius admittit, quin appetit, eiusmodi hominum blandimenta, offerentium sese per speciem consulendi aut consolandi obrutas & cumulatas delictis, quorum morsus lenire cupiant, vel expiare quasi satisfactione rituum, operumque aliorum: vnde aures cupidae praebeant, & totae pendeant ab ore eiusmodi monitorum, commendantium ritus quosdam, & externa choragia precum, ieiuniorum, quasi remedia & piacula culpae contractae: quibus illecebris delinitae atquae irretitae, quasi captiuae ab iis ducantur, eorum arbitrio regantur, cupidae discendi, omnemque occasionem captantes ac rapientes, vt tamen nihil proficiant, quia aut obliuiscantur, aut leuiter, nullo ordine aut tenore, vndecunque, nunc ab hoc, nunc ab alio, saepe a diuersis & pugnantibus inter se, aut falsis ipsis, omnia occupent. Haec nimirum est morata oratio, & sententiis luculenta, & plane ex hominum moribus expressa, quales nunc quoque sunt, & verbis efficax, in simplicitate grauibus, & ἐνδύνοντες, αἰχμαλωτίζοντες, γυναικάρια, σεσωρευμένα. Et vs. 8. comparat illos homines Magis Aegyptiis, resistentibus Mosi, fraude artium, & improbitate consilii: quam notat studio veri oppugnandi: vnde & vocat mente corruptos, per errores & cupiditates, non probandos in fide, docentes falsa & aliena.

Sed

Sed & ſortem eorum notat, negans, *profecturos*, qua tempus, qua multitudinem ſectatorum: *inſaniam* eorum (& haec notat mores,) cunctis apparituram. Vſ. 13. vocat improbos, praeſtigiatores, γόητας, capientes ſimplicitatem & facilitatem hominum ſpecie doctrinae, pietatis, obſeruandae legis, comitate, blandimentis, artibus aliis: egregia antitheſi & concinnitate, fallentes & falſos: tanta breuitate omnem morem illorum complexus, quod duplici notatione ſimul cauſſam affert, cur proficere nequeat illorum peruerſitas. Quod, & aliorum errorum auctoribus praedictum, experientia firmat. 4, 3—5. notat mores audientium, breui & ſubinde futuros: vt ſint impatientes ſanae doctrinae, veluti faſtidio ſimplicitatis: cumulent ſibi doctores, & plures, & varios, & diuerſos, alium ex alio: (vt medicos ſubinde ac medicamenta mutat leuitas aut impatientia aegrotorum: non ex rei natura aut vſu, ſed, prout vel opinio, vel oratio, vel iactatio, vel iucunditas, vel externa ſpecies, vel pretii mercedisque nunc amplitudo, nunc tenuitas, arriſerit:) aurium voluptati vnice ſeruientes, nouitatis aut ſuauitatis gratiae mancipati, vt, a vero auerſis auribus animisque, ad mendacia nugasque vertantur.

Tit. 1, 6—9. notat epiſcopi mores, quales eſſe conueniat: de quo ſupra iam egimus. vſ. 10—13. Iudaeorum mores, Cretenſium maxime. *Multos* eſſe, ait: iam hoc & periculoſum, & moleſtum, vel magnitudine mali, vel

difficultate reſiſtendi: immorigeros atque contumaces, impatientes ordinis boni & officii, turbulentos, rerum nouarum cupidos: falſiloquos, vana promentes, & falſa, & nulli vſu; impoſtores, ſui primo, dein aliorum. Signanter addit, quo euidentius notati, facilius caueantur: maxime Iudaei *natu.* Totus, inquit, domos euertunt, non ſingulis tantum nocent, inſinuando ſeſe in familias, muliebris gratiae captatores, quae reliquos trahat. Firmat fidem huic notationi, alia notatione, poëtae Cretenſis, Epimenidis haud dubie, non Callimachi, vt vult Theodoret. quippe qui Cretenſis non fuerit, ſed Cyrenenſis, nec totum illum verſum dederit, ſed initium tantum: (Hymn. in Iou.) Epimenidis ergo Cretenſis, non leuiter aut ſine fide obiurgantis ſuosmet populares, arguentis mendaces, inertes, improbos: vt iam regionis ac populi vitio infectis auctus e Iudaismi ſenſu ac ſtudio morbus intelligatur. Notat ergo & prauos, & nocituros, eoque & cauendos cum cura, & ſumma ope coërcendos. Ipſius quoque Titi mores ſignat, quales vel iam probet, vel porro probare debeat: 2, 7. 8. Exhibeto te gregi exemplum vitae decorae, doctrinae incorruptam ſinceritatem, grauitatem & ſanctitatem, vacantem a nugis rerum falſarum, leuium, inutilium, alienarum orationis ac diſputandi ſalubritatem, in qua nil quisquam reprehendat aut arguat, vnde non calumniandi locus aperiatur parti diuerſae, ſed pudor offundatur, vel exempli morum, nec notandi

vl-

vlla ex parte, neque ab ipsis ita exhibiti, vel doctrinae, neque arguendae, neque aequandae vlla ipsorum sapientia aut doctrina Christianorum idem mores, vs. 12. 13. a) deponendis prauis studiis rerum impiarum atque terrestrium, b) omnibus officiis praestandis, Deo, per pietatem, sibimet ipsis, per temperantiam, aliis, per aequitatem. c) laetitia spei ex aduentu Christi: & 3, 1. 2. vt principibus ac magistratibus pareant, dicto sint audientes, promti ad praeclara quaeque, nemini maledicant, modestiam lenitatemque colant, omnibus mansueti & comes. Quorsum? Vt sint decori formulae Christi, quam profiteantur, 2, 10. teneantque consilia Dei, 2, 11. 12. Quoque sint promtiores, pudorem addit horroremque, e diuersitate morum, quibus indulserint, vs. 3. cum essent pagani, vel Iudaei, vt ipse Paullus, qui sese admiscet: peruicaces, dementes, serui cupiditatum variarum atque inconstantium, improbi, inuidi, aliis infensi, inuisi: concinne hoc extremum, vt supra, fallentes & falsi.

Philemonis mores, notatos vs. 5. 21. supra notatos, hic non repetimus, festinantes ad finem huius partis, quem offert

Epist. ad Ebr. vbi 5, 11—14. notat Ebraeorum mores, a tarditate, ignorantia, quae obscuram illis reddat disputationem, quam ordiri paret: Cuius ignorantiae turpitudo augeatur spatio temporis, ex quo sint Christiani, magistri iam rectius futuri, non ipsorum elementorum

rum rudes, ſed ſolidioris quoque doctrinae gnari. Quam qui capiant, notat vſ. 14. vocando τελείους, firmos, maturos & validos, ſcientia, iudicio, ſenſu; quales effici, dicat, habitu atque exercitatione, vt ſentiant & diiudicare valeant discrimen veri & falſi, proba a prauis ſecernere.

At quam grauis eſt notatio morum 6, 4—6. eorum, qui, iam imbuti cognitione Chriſti, ad fidem ei habendam adducti per miracula, efficientiam Spiritus S. & praeſtantiam doctrinae ipſius, tamen, ad peruicaciam reuoluti, ſpernant Chriſtum Dei filium, Deum ipſum ac verum, quaſi hominem merum, ſimpliciter in crucem actum, forte vt miſerum aliquem, nullius loci aut numeri, ludibrio habeant atque obiiciant: inſanabiles prorſus, nec facile, quin nullo fere pacto, ad poenitentiam reuocandi, quippe iam omnibus fruſtra tentatis, & vi ſua vſis: vt, cum aegrotus, praeſentiſſimis remediis curatus; tamen in morbum reuoluatur, illis ipſis remediis iam curatum. Cur ita notat? Vt Ebraei caueant tale periculum, territi & foeditate peruicaciae, tam ingratae, tam inexpugnabilis, tam proteruae in Deum, Chriſtum & Spiritum S. & poena eius, exituque funeſto, quo liberari nequeant adeo peruicaces. Quod repetit 10, 29. vbi ex grauitate delicti, quam ſupra ex illo & cum illo notauimus in Gen. Demonſtr. & Deliberat. oſtendit grauitatem poenae, & magnam, & certam. Vbi & vſ. 32. notat mo-

res

res Ebraeorum, plurima perpeſſorum pro doctrina Chriſti, & in ſe, & in aliis; ipſo nominatim Paullo, quos partim miſerati ſint, partim iuuerint: cuius ſenſus illos iubeat eſſe memores atque retinentes. Quid dicam de Cap. II. pleno morum notationibus, veterum patriarcharum, per fidem Deo probatorum, amplexorum pro certis non viſa, ſed Deo auctore cognita & firmata, res difficillimas & diſcriminis plenas auſorum, fiducia Dei iubentis, quas & hinc feliciter perfecerint: Abelis, cuius ſacrificium, per fidem, ita placuerit Deo, vt poſt mortem etiam laudaretur: Enochi, cuius fidem, qua nixus, Deo placeret, (id eſt, ſancte & pie ageret, vt eſt in Ebr.) coelo bearit Deus, remiſſa mortis conditione: Noachi, credentis Deo de diluuio, quod omni probabilitate careret, nauem conſtruentis, haud ſine irriſu ſpectantium, ſed certo ſibi perſuadentis, euenturum, quod Deus praedixiſſet: atque ita arguentis peruicaciam impiorum, exemplo fidei, obedientiae, pietatis, ſanctitatis, qua ſolus praeluceret, computatus inter eos, qui Deo per fidem commendati placerent, qua nixi, parerent Deo, nihil aliud reſpicientes: Quam fidem Noachi, vtut proprie hic & proxime pertinentem ad promiſſa Dei minasque de diluuio, e quo ipſe eſſet euaſurus, tamen & ad Meſſiam pertinuiſſe, non obſcure aut inepte collegeris partim ex eo, quod vocat δικαιοσύνην πίστεως, vt Abrahami, qui, Deo iubente, relicta terra, quam certam habitaret, ſecutus

ſit incertam, Deo pariturus, quocunque vocaret; quod & filii eius ſecuti, patremque imitati, ita egerint in terris, vt negarent, fixam ſibi eſſe illam ſedem, peregrinosque & hoſpites ſeſe ferrent: non e terreſtri ſede, quam repetere poſſent; ſed verae & coeleſti patriae imminentes, non viſae, at diuinitus promiſſae; vnde & tantum honorem tulerint, vt *ipſorum Deum* ſeſe vocare non dedignaretur Deus, (plane vt Chriſtus non *dedignaretur* fratres nos appellare Ebr. 2, 11.) ſed fidem eorum ornaret tali ſigno amoris, ſimul oſtenderet, conſtare illis apud ſe exitum fiduciae, in *vrbe* vel ſede coeleſti. Abrahami rurſus exemplum mouet, ne filio quidem parcentis, Deo poſcente, quem vnicum filium non haberet tantum, ſed habere iam poſſet, ex quo ſuſpenſa diuinitus ſpes eſſet poſteritatis, Meſſiae quoque, ex illius progenie prodituri: promte tamen offerentis Deo & condonantis vnicum ſubſidium tantae ſpei: non temere, ſed quod certus eſſet, 1) a Deo imperatum exigi, 2) in vitam illico rediturum, ſi tamen placuiſſet Deo, aſſeuerare in poſcenda illa morte, ſpectaturo fidem & obedientiam Abrahami: vt tamen fides conſtaret promiſſis Dei, non ex alio filio, quem dare ſane non minus poſſet, quam Iſacum dediſſet praeter naturam, ſed ex Iſaco vtique ſuſpendentis & ſpem propaginis numeroſae, & Meſſiae Abrahamidae. Iam Moſen excitatum notat, qui conditionem praeſentem, certam, opimam, Aegyptiacae felicitatis, adoptionis regiae,

giae, forte & ſucceſſionis, poſthabuerit incommodis cum populo Iſraëlitico tolerandis, Chriſti cauſſa, quem, ſciret, ex illo populo proditurum, & grauiora paſſurum. Tot piorum denique exempla ciet, colluctantium incommodis & plurimis & maximis, periculis, cruciatibus, quorum ſpecimina per partes vel genera recenſet vſ. 36—38. omnibus vitae commodis ſpretis, quibus frui non liceret per aduerſarios, & mandati muneris rationem, (ne quis ſomniet, temere aut conſulto, id eſt, ſtulte, iis abſtinuiſſe;) fortiter atque alacriter, aut coelo bearentur. Horum omnium notat 1) ſapientiam, non *temere* talia credentium, aut auſorum, aut perpeſſorum: quod ſtulte ſane, quin impie plane facerent; ſed, quia a) Deus dixiſſet, cui fidem habere, profecto ſit ſapientis: b) res oſtenderetur ac proponeretur magna, maior ac potior hominibus rebusque relictis ac ſpretis, eaque certa, Deo auctore: quod rurſus ſapientium eſſet, praeferre magna leuioribus, ſolida inanibus, certa incertis, futura & manſura praeſentibus & abituris, aeterna temporariis: 2) magnitudinem animi, ſpectantis magna & praeclara, cum contemtu nugarum, fortitudinem, nil deſperantium, nil timentium Deo auctore & duce 3) pietatem fidei & obedientiae, ſoli Deo redditae, nullo metu tardante periculorum aut incommodorum. Quorum omnium exempla Chriſtianis proponit, ſapienter, fortiter, fideliter, alacriter, pie imitanda. Sed

Ex *Actis Apoſtolorum* exempla negligere, tanto minus hic liceat, quod ibi plane oratorem exhibet, publice loquentem. Ergo Act. 17, 22. 23. quam oratorie vtitur moribus Athenienſium! Quos cum promtos cognouiſſet ad numina colenda, idque ita eſſe, ipſos commonuiſſet, aram teſtatus, etiam *ignoto* Deo ſacratam atque inſcriptam, ne quod numen neglectum offenderent, vtitur hoc ſtudio animorum ad opportunitatem veri atque vnici Dei illis aperiundi atque commonſtrandi, non aſpernaturis, qui omnes Deos, etiam falſos atque ignoratos, tam cupidi, tam ſolliciti, amplecterentur. Oratorium vero opus, vt ſi quod aliud! Ita porro ſeſe inſinuat in animos, vt nihil noui prolaturus, ſed illum ipſum Deum illis demonſtraturus, quem iam adhuc coluerint, vtut ignari; quis eſſet? Poëtae autem voce vſus, Arati, vſ. 28. quid aliud, niſi moribus pugnat auditorum, multum poëtis tribuentium? Iam 23, 6. ſeſe tuetur moribus & ſuis, & Phariſaeorum, quos aſſidentes videret, fauentes in hoc habiturus, cum ſe profiteretur Phariſaeum, & defenſorem reditus mortuorum in vitam. Poteratne Cicero prudentius agere, vt aut in partes ſuas traheret potiores eorum, qui audirent, aut diſſenſione audientium vteretur, *vero* tamen & fide ſalua? *Vere* enim & Phariſaeus erat Paullus, & doctrina veluti finita & propria de Chriſto in vitam reuocato nitebatur vniuerſa doctrina de reditu mortuorum in vitam; 1 Cor. 15, 12. 13. 20. & rurſus ille vniuerſus

ſus omnium reditus, Chriſti reditu: ibid. vſ. 20. 22. Ergo nihil confingit; vt tamen profutura tantum promat, reliqua non infitietur, aut mutet, ſed, vt fruſtra prolaturus, omittat. Eodem ſenſu Iudaeorum, cum ſimili omiſſione, vtitur ad Agrippam, Act. 26, 8. Quid? An Iudaei, inquit, incredibile iudicamus, mortuos a Deo in vitam reuocari? Nec tibi ergo, Agrippa rex, credenti hoc mecum, incredibile accidere poteſt, aliquem, & Ieſum ergo, diuinitus reuixiſſe. Eodem ſenſu regis Agrippae vſus pugnat vſ. 27. Fidemne habes, rex, prophetis? Scio, te habere; nefas mihi eſt, dubitare. Ergo nec doctrinae meae fidem negaris, nixae teſtimonio eorum, quibus iam fidem habeas. Quod morum telum quam potenter incuſſerit regi, profeſſio docet ipſius regis, parum abeſſe, dicentis, quin Chriſtianum ſeſe exhibeat. Vbi & ſuum ſenſum Paullus interpretatur, optare ſeſe, profeſſus, vt ad ſui ſimilitudinem perducantur, qui ipſum audiant: nempe, vt Chriſtiani fiant. Quo voto oſtendit, quam ſibi ſit cordi doctrina Chriſti, quam eſſet tam acerbe antea inſectatus. Comiter tamen excipit vincula ſua, ne ſuſpectus fiat moleſta precando.

Haec morum cura probat magnam in Paullo virtutem, plane oratoriam illam *popularitatis*, non verborum, de qua ſuo loco, ſed rerum ac ſenſuum, accommodatae ad legentium vel audientium & intelligentiam & aſſenſum & ſtudia, accommodanda vel ipſi, vel cauſſae. Cuius po-

pularitatis partem merito posuerimus *Similia & Exempla* Quibus quam populariter vtatur, notabimus, vbi ad ipsa ventum fuerit: vt & huc tamen referri velimus, vt e more hominum, sensu & vsu vitae communis, rebusque & iudiciis notis & probatis ducta & valitura.

At enim nefas fuerit, ita defunctis Paullina morum notatione, qua ipsum & alios, id est, qua oratorem & audientes, obliuisci morum ipsius *Dei & Christi*: quos & ipsos, vt decet interpretem Dei legatumque Christi, passim, grauiter, sapienter, consilio salubri, & apte ad caussam, notat. Quae caussa reuocari potest ad duo admodum consilia: vel rationem reddituri, cur fuerit aliquid, vel sit, vel futurum sit: Quod est loci iudicialis: vel hortaturi atque excitaturi ad faciendum aliquid sperandumue: quod sit partim demonstratiui generis, partim deliberatiui. Exempla apponemus ex ordine locorum, vbi legantur, facile referenda ad locum generis sui: inprimis vere ad argumentationem ex attributis Dei: hinc & ad Log. Paull. p. 151—181. vnde & hic forte omissa supplere dehor.

Rom. 1, 22. 26. 28. ostendit, permisisse Deum, vt pagani desiperent, libidinibus horrendis inquinarentur, turpissima quaeque patrarent; quia semel neglexerint materiam Dei agnoscendi & recte vniceque colendi, ab ipso suppeditatam. Quod ipsum est e moribus Dei, instruentis homines ad sui cognitionem, carituros excusatione, si neglexerint. 2, 4. notat indulgentiam Dei, clementiam & patientiam, cum per se, tum a consilio

filio vertendi homines ad meliorem mentem moremque; sed & iustitiam eiusdem seueram ac vindicem, vs. 5. eo grauiorem, quo maiora & beneficia frustra tribuerit, & delicta patiens tolerarit: integram eandem, vs. 7. 11. respicientem non personarum, sed morum: aequam & sapientem, non plus repetentem aut repetituram datis, sed nec minus: quorum illud sit futurum iniquum, hoc supini, negligenterque lenti, & impune ac secure laedendum sese praebentis, illudique & insultari sibi patientis vel passuri: (Gal. 6, 7.) hinc Iudaeos ex lege non naturali tantum, sed & scripta, paganos ex naturali sola, non e scripta, qua caruerint, iudicaturum, puniturum ac remuneraturum: diligentem porro atque seueram, non contentam defunctamue datis, aut ex iis solis homines probaturam datis, sed ex *vsu* datorum. Fidem Dei tuetur 3, 3. non mutandam perfidia defectorum partim, quia aliqui tantum, non omnes, defecerint, vt in illis vtique fides promissorum constare tenerique possit: partim, quia vel sic constare & in perfidis potuerit aut possit, si aut non defeciſſent, aut ad fidem redierint. Iustitiam idem eiusdem benignitatemque notat, vs. 5. sequ. non decernentis mala, aut probantis, aut volentis, e quibus vel puniendis, vel tolerandis, vel in bonum vertendis, illustretur, quae illi imputent homines, quasi decorandae maiestati eius a se facta: sed iuste ac merito punituri; nam haec est summa disputationis, inde ab 1, 18. ad 3, 20. ad quam referri omnia deceat, e qua necessitas redundet

sa

ſatisfactionis Chriſti vicariae ac piacularis, vſ. 21. ſequ. punituri ergo, ac merito punituri, vetita a ſe, quae fieri nullo pacto, nullo conſilio ſuo, voluerit; vtut praeuiſis ac praemiſſis vtatur ad alia conſilia obtinenda. Tota plane diſputatio huius Epiſtolae, maxime trium Capitum priorum, vertitur in hoc cardine velut moris diuini: 1) Deus eſt iuſtus: 1, 18. 2. 6. 2) poſcit homines ea, quae & debeant reddere, vt auctori, vt domino, vt legislatori, vt benigno ac benefico, vt iudici, vindici, remuneratori, 1, 25. 2. 4. 5. 6. ſequ. 27. & poſſint, pagani natura duce, 1, 19. 20. 2, 14. 15. Iudaei ex lege ſcripta, 1, 32. 2, 1. 12. 17. ſequ. 3, 19. vnde recte, iuſte, ſuo iure, hominum merito, puniat omnes; quorum 3) nemo, 3. extr. nec paganus, C. 1. med. nec ludaeus, C. 2. tot. fecerit aut cauerit, quae & poſſent, & deberent: vnde 4) aperuit aliam viam, ſatisfactionem Chriſti, morte eius, 3, 21. & obedientia, 5, 12. 18. ſequ. congruam & ipſam iuſtitiae ſuae, vſ. 25. 26. vt ſatisfactionem alterius vicariam ſubſtitueret ei, quam praeſtare deberent homines, aut ſeruanda lege, aut poena luenda non ſeruatae, ſed non poſſent illam quidem, ob impotentiam, 3, 23. 8, 3. hanc non deberent, ex benigna voluntate Dei, amore, miſericordia: 3, 24. 5, 6. 8. 9. 11, 32. quae tamen exſerere ſolam ſeſe ſola non poſſet, cum iuſtus eſſet idem Deus: 1, 18. 32. 2, 2. 3, 5. 26. Vtriusque ergo ratio ſimul conſtitit in vicaria ſatisfactione Chriſti; 3, 24. 26. quam amplexi, liberentur poena de-

delictorum, velut ipsi defuncti, 4,5. 24. 5, 19. rel. non amplexi, relinquantur merito suae culpae & seueritati diuinae, cuius expiationem, necessariam vtique, Ebr. 9, 22. 23. 26. spreuerint: Ebr. 10, 26 — 31. per ἁμαρτίαν, id est, ἀπιστίαν· Ioh. 16, 9. Ebr. 3, 12. 10, 26. Sed & benignitatem Dei indidem notat Paullus, iam ipso vocabulo δικαιοσύνης, quod certe (Rom.) 3, 25. notare potest benignitatem, simul certe cum iustitia, quam solam rursus, magis certe & propius, notat ibid. δίκαιος, ob additum δικαιοῦντα· immo simul vtramque, benignitatem haud iniustam, poena ab alio fronte susceptа, tolerata, in eum deriuata, (2 Cor. 5, 21.) & iustitiam benignam, hoc ipso, quod, dum punit delicta, parcit tamen eorum auctoribus, modo iam caueant illa. Benignitatem magis hic notat, ob additam ἀνοχὴν & πάρεσιν. Quam veniam quod facere videtur delictorum *adhuc* peractorum προγεγονότων, sicut Act. 17, 30. ait, Deum παριδεῖν, transmittere, tempora erroris, veniae paratum: id non eo trahendum est, ac si *illa tantum* tempora spectet. Quod enim in Actis subiicit, quasi diuersum τὰ νῦν, & hic, ἐν τῷ νῦν καιρῷ, pertinet illic ad patefactam euangelii doctrinam, hic ad liberationem a Christo patratam: quae profecto ad alios homines insequentium temporum haud minus pertineat, quam iudicium extremum, vtrobique memoratum. Nec vero aut meliores nos deinceps sumus, aut minus indigi salutis, qua per se, qua per Christum par-

tae.

tae. Vnde & *ſequentia* tempora memorat, Eph. 2, 7. 1. Tim. 1, 16. Sed euidentius notat Dei benignitatem (Rom.) 5, 5—8. Pleni ſunt, ait, animi noſtri ſenſu amoris Chriſti: Deus commendat, probat, ob oculos ponit, admirandum ſiſtit, amorem in nos ſuum, morte Chriſti pro hoſtibus, impiis, infirmis, id eſt, carentibus & vi & voluntate ad ſe colendum. Et ipſam ſiſtit benignitatem, & conſilium eius patefaciendae & commendandae, quam laeti admiraremur, grati amplecteremur. 4, 24. 25. notat rationem Dei, qui Chriſtum a morte reuocarit, vt nos certi eſſemus, nos Deo probari, ſatisfactum iam pro nobis eſſe per mortem Chriſti, cui illum obtulerit, & ipſe Chriſtus ſeſe obiecerit, vt ſuſtinendo poenam culpae noſtrae, nos ab ea liberaret. Quid enim aliud ſit, aut quomodo commode & ex ipſis verbis, & e contexto, explicentur verba: traditus (morti) ob delicta noſtra, rediuiuus ob iuſtificationem noſtram vel abſolutionem? Aut quo nomine confidere Deo iubeamur, qui Chriſtum reuocarit in vitam? Aut quomodo haec fiducia nobis cedat & ducatur (μελλειλογίζεσθαι,) pro iuſtitia, virtutis & commendationis loco, quam eadem fiducia amplectamur, qua illi placuerit Abrahamus, ipſa, ſola, non factis: quod ſollicite remouet vſ. 1—5. ponitque felicitatem inde redundantem in venia delictorum, vſus verbis Dauidis, vſ. 6. cum argumentatione ad Abrahamum, vſ. 9. Sed porro notat rationem Dei, 8, 11. Is, qui Ieſum reuocarit in vi-

tam,

tam, veſtra quoque corpora reuocabit, per ſpiritum ſuum (vel ob ſpiritum S.) in vobis habitantem. Notat, quid in Chriſto fecerit Deus, vt pateat, quid ſit facturus in nobis, non modo exemplo ſemel facti, ſed etiam, vt ſibi conſtet, in eo, quod fecerit noſtra cauſſa, firmatum pignore Spiritus S. Eandem conſtantiam Dei notat vſ. 28. 29. non deſerentis opus ac beneficium ſuum, ſed ad bonum exitum perducentis, (1 Cor. 1, 9. Phil. 1, 6.) & per omnia incommodorum obſtacula explicantis, quin haec ipſa in bonum vertentis, vt nil officiant pietati Chriſtianorum, immo faueant: &, *vno* beneficio tributo, reliqua adiicientis. Quae vis eſt vſ. 29. & 30. vbi non eſt *ordo graduum*, ſeſe excipientium, ſed *enumeratio partium*, quorum vna ſine altera eſſe non poſſit, ne parum ſibi conſtet Deus. Ad mores ergo pertinet Dei, nil imperfecti, aut quaſi dimidiati, tribuentis, 9, 23. vindicat morem Dei, vtentis arbitrio ſuo, iure voluntatis ac poteſtatis, (quam vocat ἐκλογὴν, πρόθεσιν,) non in ſalute coeleſti, aut felicitate aeterna, ſed in externis commodis, qualia erant Iudaeorum, vſ. 4. 5. enumerata, quibus & alium populum exornare potuerit in beneficiis conditionis terreſtris, qualis erat ſors Iacobi, Eſauo praelati, nulla operum ratione, aut commendatione, ſed quia ſic viſum Deo: qui & Pharaonem ſeruauerit, vel, vt Theodoret. expl. regem fieri, eſſe, permiſerit, non impediuerit, cum poſſet maturius perdere dignum perire, & periturum vtique,

que, ſua culpa: vt interim Deus hanc materiam, hunc locum haberet, pluribus miraculis, quam habiturus non eſſet, ſtatim exſtincto illo & ſublato. Quo quidem more ac iure Deum & vti, exemplis firmat, & recte vti, defendit ex eius auctoritate: vſ. 20—23. Vbi, vſ. 23. poſt verba, εἰ δὲ ὁ θεὸς — — ἤνεγκεν, deeſt conſequens, facile ſupplendum: quis cum illo expoſtulet? Aut cum Theodoreto, colon ponatur poſt εἰ δέ· quod ſi ita eſt, vt Deus vtatur iure ac poteſtate ita agendi: tolerauit ille, rel. Morem ſimul Dei & conſilium notat, exhibendi 1) potentiam ſuam in hominibus, non directo aptatis a Deo, aut deſtinatis, in quibus illam exhiberet, ſed, qui ſuo ſenſu e more locum praebeant ei exhibendae vel per ſeueritatem vindicem; quam tamen clementer ſaepe abſtineat ab iis, qui ſuo ſenſu ac more perniciem mereantur: quae Paullus vſ. 23. vocat vaſa ad perniciem, i. e. poenam, (vt 2 Theſſ. 1, 9. ὄλεθρον,) κατηρτισμένα, id eſt, qui *ſeſe* pararint, aptarint, dignos reddiderint, ἀνθαιρέτῳ γνώμῃ, vt praeclare expl. Theodoretus. Ita τεταιγμένοι, Act. 13, 48. ſunt *apti*, qui ſemet paraſſent, promtos oſtendiſſent ad ſalutis conditionem. Nam, etſi alterum, ἀπροητοίμασεν, nempe ad δόξαν, felicitatem, beneficia, (e diuerſo, voc. ἀπωλείας,) Deum ipſum auctorem praefert: conditio tamen rei hic patitur; quod in illo reſpuit: nec tamen vel ad δόξαν, ad felicitatem ex fide & virtute, aliter a Deo parati intelligantur, quam Eph. 2, 10.

10. vbi additur: vt *nos ita viueremus.* Vita ergo noſtra, ſenſus moresque accedant, vt Dei conſilium teneatur, exhibituri benignitatem illam in nos ſuam, vel facultas ab eo conceſſa cum fructu adhibeatur. Vnde & 2 Tim. 2, 20. 21. in eadem imagine vaſorum, tamen addit vindicem libertatis humanae vocem: quod ſi quis, inquit, ab illis *ſeſe* purgarit, i. e. ab illis contemtis ſe *ipſe* ſegregarit, purum praeſtiterit: tum demum, ita demum, erit vas honeſti vſus. Hoc Theodoretus vocat, συνειδέναι τὰ παὲ' ἑαυτῶν v. Gloſſar. Theodor. h. voc. Duplex ergo mos Dei h. l. notatur: 1) libere vtendi & clementia in parcendo ac tolerando, vtut diuerſa commeritos: 2) indulgentem ſeſe praebendi, libere, prolixe, liberaliter, in non promeritos: ſed tamen 3) in vtroque ſimul reſpiciendi ſenſum & morem hominum: vt tamen nihilo ſecius 4) libere & iure ſuo iſta exerceat. Haec ita propoſita ac defenſa confert ad Iudaeos ea conditione, qua oſtendat, 1) potuiſſe Deum & non tribuere illis, quae indulſerit, & aliis tribuere, vt nullo promerito vllius aut Iudaei, aut alius cuiuslibet: vnde & 2) potuiſſe adimere illis eadem, & in paganos transferre: tamen 3) vtrorumque mori ita ſeſe accommodare, vt & Iudaeis ademerit ob peruicaciam, & paganis dederit ob fidem, viciſſim & illis redditurus, ſi ad fidem Meſſiae redierint, & his ademturus, ſi defecerint. 10, 12. oſtendit, Deum *eundem* & per ſe, & qua homines omnes, quorum vnus ſit (ille Deus,)

esse omnibus aequum, neque proniorem in Iudaeos, quam in paganos: diuitem eundem, & viribus & voluntate, ad omnes seruandos, quicunque illi recte fidant: nempe, vt ostendat, viam salutis patere & paganis, sed & Iudaeis, nec rursus his tantum, sed & paganis, concontra Iudaeorum fastum: nec reiici Iudaeos, de quibus hic proprie agit, nisi ipsorum culpa, negligentes conditionem a Deo latam. In primis Cap. 11. multus est in notando ac defendendo more Dei. Quem negat, vs. 1. reieciisse Iudaeos, sed eundem sese illis praebere. Quod probat 1) suo ipsius exemplo. Ego ipse, inquit, Iudaeus sum germanus: me tamen ad se vertit Deus: in me sibi constitit: ergo & in aliis sibi constabit, si me imitati fuerint: 2) e more & consilio Dei, seruantis sibi coetum vere pium ac fidum, etiam vbi nemini appareat: quod Eliae exemplo probat vs. 2—5. Aliud consilium Dei affert vs. 11. permittentis, Iudaeos ita errare, interim vertentis ad se paganos, quasi per occasionem, quorum exemplo, velut aemulationis stimulis, admoniti Iudaei, resipiscant & ipsi: quod & futurum in plerisque, satis aperte denuntiat, vs. 25. 26. Contueri idem iubet paganos ad Christum versos & seueritatem Dei, ἀποτομίαν, punientis & exscindentis a) necessario, vt medicus, vel hortulanus, (quia de *ramis* loquitur, & vtitur vocab. ἐκκόπτειν,)

inutiles falce ramos amputans,
Feliciores inserit; (Horat. Epod. 2.)

& b) subito, celeriter, nihil moratus: & benigni-

ta-

tatem, vſ. 22. hanc in ipſis exhibitam, illam in Iudaeis, ſed & in ipſos erupturam, ſi, Iudaeorum peruicaciam imitati, poenam eandem meruerint. Per quae omnia probat: 1) Deum non fallere fidem promiſſi: vnde & vſ. 29. negat, munera eius & beneficia mutari poſſe: modo ſint, qui accipiant & retineant: 2) non vti vno attributo, nec benignitate adeo ſola: (cui propterea fidere ſoli, vbi iuſtitiae ratio non conſtet, non magis liceat, quam potentiae, ſi non adſit ratio ſapientiae, & ſanctitas conſtet:) quod ſi diligentius reputarint, qui alieni ſint a ſatisfactione Chriſti, minus pugnent pro ſola benignitate;) 3) non agere ſimpliciter iure ſuo, ſed reſpicere hominum ſenſus moresque: pro quibus ſeſe vel benignum vel ſeuerum eundem, praebeat. Immutabilitate & conſtantia Dei, vſ. 29. quomodo vtatur v. Log. Paull. p. 156. vbi & alia loca notantur de conſtantia Dei. Vſ. 32. oſtendit conſilium Dei, concludentis omnes homines, Iudaeos pariter ac paganos, ſub prauitatem, i. e. declarantis, ſignificantis, per naturam & legem ſcriptam, omnes eſſe prauos, non poſſe ipſi placere, nullo merito commendari ad copiam ſalutis ac felicitatis, vt omnium miſereatur, vt oſtendat, omnes beari miſericordia eius ſola, per Chriſtum: non erediturus, neque amplexuros, niſi antea conuictos ſuae prauitatis. Chriſti conſilium factumque notat, 14. 9. mortui, rediuiui, in vita agentis, vt eſſet dominus omnium & in hac vita, & in altera poſt mortem. Nam & morte

ſua liberauit homines a morte, beauitque ſpe & conditione alterius vitae: & vita ſua vitam firmauit ac dedit. Vitae ergo mortisque dominus, non patitur, quemquam velut alieni iuris, ab aliis damnari, vt rationem ipſi ſoli redditurum. Eundem Chriſtum negat, 15. 2. ſibimet placuiſſe, id eſt, ſuperbiiſſe ſapientia aut potentia ſua, vt cuiquam obtruderet ſenſum ſuum nolenti, aut vlciſceretur diuerſos a ſuo ſenſu: immo patienter tuliſſe non diſſenſiones modo & pugnas, verum & iniurias, contumelias, inſolentiam hominum vere impiorum, diſſentientium non ab homine ſimplici, ſed ab ipſo Deo: quod tamen non faciant, qui ſoleant contemni a firmioribus, vſ. 1. Quid ergo homines facere oportere in hominibus, ſeſe non inferioribus, vt omnes tamen ſint Chriſto, neque impiis vtique, ſed tantum infirmis? At contra vſ. 8. demonſtrat, miniſtrum factum eſſe Chriſtum circumſectionis, id eſt, 1) Iudaeorum ipſorum, quibus ſeſe quaſi dederit, conformatus in eorum legem, ſenſum moresque, omnibus adhibitis, quae ſciret eſſe ſecunda eorum ſtudiis, oratione vſus ea, quam ſciret illis maxime accommodatam probari, operam nauarit vſibus commodisque illorum, obeundis ſedibus eorum, concionando, morbis ſanandis, mortuis in vitam reuocandis, morte denique ipſa perpetiunda: ſed & 2) circumſectionis ipſius, vniuerſae legis ac formulae Leuiticae, cui ſeſe vltro ſubiecerit, ac per omnia paruerit: eo conſilio, vt a) fides conſtaret promiſſis Dei, de Meſ-

ſia

ſia ex Abrahami progenie prodituro: quod etſi teneri poterat, vt non ſeruaretur a Chriſto lex Leuitica: tamen attinebat, ab eo ſeruari; partim quia circumſectionis ſignum datum erat Abrahamo in fidem huius promiſſi, ſignum ac decus fidei Abrahami ipſius, Rom. 4, 11. quod ſignum quaſi reddi, exhiberi & conſtare, conueniret, in Meſſia, cuius originem ex Iudaeis repraeſentaſſet: partim, quia, cum Iudaeus eſſet natus Chriſtus, vt homo, voluit ac debuit exhibere vere Iudaeum, hoc ſigno agnoſcendum, nulla dubitatione relicta originis vere Iudaicae, hoc maxime ſigno ratae: partim, vt pagani Deum celebrarent pro beneficiis, redundantibus in ipſos a Chriſto, ex Iudaeis nato: vt & hoc ſignum conſtaret veri Meſſiae, copiam habituris eiusdem beneficii, cuius Iudaei, ab his ipſis ad illos prolatam: Gal. 3, 14. & ſic vtrique, iuncti & conſociati ſub vno capite, Chriſto, ferrent ſeſe mutuo amarentque. Cui ipſi conſilio dedit Apoſtolus hanc notationem quaſi moris Chriſti, non exemplum modo praeeuntis obſequioſae facilitatis & commoditatis, ritu ſuſcipiendo, quo non teneretur, in gratiam eorum, qui tenerentur; Sed & re ipſa vocantis vtrosque & conciliantis ad concordiam, ad quam hortaretur Paullus c. 14. & 15. Breui idem epitheto notat mores Dei, vſ. 13. Deus, ait, *ſpei*, auctor, firmator, remunerator, impleat vos, (vel implebit optatiuus pro futuro, vt 2 Tim. 2, 7. v. Philol. Thuc. Paull. p. 157.) nempe, *quia*

eſt auctor ſpei, quia ſpes & fiducia illi placet, ergo dabit illam ac roborabit. Sic. 16, 20. Deus *pacis* conteret Satanam (& ipſum, & omnes omnino hoſtes veri ac concordiae, auctores diſcordiarum atque diſſenſionum, de quibus vſ. 17.) ſub pedes veſtros. Nempe, *quia* eſt auctor & amator concordiae, deiiciet atque coërcebit auctores diſſidiorum.

1 Cor. 1, 9. *fidus* eſt Deus, benignus, ſibi conſtans, per quem, id eſt, a quo, (διὰ pro ὑπὸ,) vocati eſtis. Hic notat duplicem Dei motem: internum alterum, fidei, conſtantiae, benignitatis: alterum externum, beneficii a Deo tributi, vt fierent Chriſtiani: Vtrumque eo conſilio notat, vt Corinthios iubeat ſperare felicem exitum operis benigne feliciterque a Deo coepti, nec fruſtra caſuri, aut exitu carituri, quantum ſit in Deo, dum ne ipſi illi deſint aut ſeſe ſubtrahant. Quod idem & a Philippenſibus vult ſperari, Phil. 1, 6. eodem argumento: Qui inceperit, idem perficiet. 1 Cor. 1, 21. placuiſſe, ait, Deo, per ſtultitiam doctrinae, i. e. per euangelium, quod ſtultum videretur Iudaeis, paganis, omnium temporum philoſophis, ſaluos praeſtare, quicunque fidem illi accommodaſſent: quia per omnem ſapientiam ſuam illi Deum non agnouiſſent. Ergo ſtultitiae ſpeciem Deus praebuit, vt aboleret impiam ſpeciem ſapientiae inualidamque ad ſe cognoſcendum oſtenderet. Hinc ſe vt explicent, vereor, qui velint, omnia eſſe & conſtare plana, promta, facilia, ratio

tioni ipſi & ſoli aperta in doctrina Chriſti, maxime in cruce vel morte eius, quam hic ſummam doctrinae ponat. Quae quid habebat tandem, quo vel Iudaeos, vel paganos offenderet, ſi nihil aliud Chriſtus, ex illorum mente, niſi obſignauit morte ſuam *doctrinam*? At qualem illam? Pie colendum eſſe Deum, vnum illum ac verum, propitiumque fore colentibus ipſum virtute. Eo enim redit, quidquid illi vocant & eſſe volunt Chriſti doctrinam. Quid tandem hic ſtolidum aut abſurdum vel peruicaciſſimo aut acutiſſimo videretur? Aut quid aliud viderunt docueruntque paganorum cordatiores? Quorum qui ſimiles eſſe voluerint, iis relinquatur ſane ſapientia ſua, Deum non agnitura: nos cum Paullo amplexi teneamus ſtultitiam Dei, vſ. 25. Porro 15, 38. oſtendit ex more Dei, veſtiente grana, terrae iniecta, corpore, in illis non apparente, latente tamen, vt per naturam a granis non differat, quam poſſit idem & noſtrum olim corpus ita commutare, vt ſit tamen idem. 1C. 33. ait, Deum non eſſe amantem, auctorem, commendatorem diſcordiae aut perturbationis, ſed pacis, quietis, concordiae. Hinc & Corinthios monet, operam dare ordini, modeſtiae, non turbis, inter ſacra publica, quae etiam ad Deum proxime referantur.

2 Cor. 1, 2. 3. laudat Deum patrem, miſericordem, omnis ſolatii auctorem: qui & ipſum ſolatio recrearit, ea conditione, vt & alios viciſſim erigere poſſet, & exemplo, & efficientia

eiusdem doctrinae, quam ſibi plenam ſolatii ſen- ſiſſet. 5, 15—19. oſtendit, vnum pro cunctis mortuum eſſe Chriſtum, vt omnes a) mortui intelligerentur, non modo, vt poenam delictorum perpeſſi, verum etiam, vt alieni a curis, ſtudiis, conſiliis, huic vitae inſeruientibus, ab omni ambitione, & alia cura, offectura cauſſae Chriſti Deique in hominum gratiam: b) vni omnes ſubiecti parerent, ad vnum omnia relaturi, non ad ſeſe aut alios. Quae eo affert, vt Corinthii videant, ſe ſubiturum eſſe neceſſitatem gloriandi, vtut moleſtam atque indecoram & ipſis, & Corinthiis, quia profuturam videat cauſſae Chriſti, a quo Corinthios auerterit contemtus apoſtoli, & falſi doctores praelati. Quid enim non tribueret Deo, qui vniuerſos homines, κόσμον, vſ. 18. 19. ſibi reconciliaſſet per Chriſtum, (quod quis de nuda *doctrina* interpretari ſuſtineat?) ita, vt delictorum veniam illis daret, non *promiſſam* tantummodo per Chriſtum, ſed & effectam: quem, innoxium, omnis culpae expertem, (quod ipſum eſt in *moribus* Chriſti,) puniuerit, quaſi nocentem, (quid clarius?) vt nos, culpa ſic vacui placeremus ei, Chriſto pro nobis poenam perpeſſo. Quem & cum Deo, demonſtrat, commiſiſſe apoſtolis doctrinam de illa reconciliatione, ad quam accipiendam homines inuitarent. Quo omnia referens Paullus, dum haec Chriſti formula conſtet ac teneatur, nil videat aut curet in rebus humanis. Ita tuetur moribus, conſiliis, factis Dei & Chriſti ſuam ra-

tio

tionem, ex illis repetitam, ad illos relatam, illis vnice datam & accommodatam. Quid dicam de Chriſti more, notato 8, 9. qui 1) cum eſſet diues, (quando autem, dum homo fuit, aut ſi nil, niſi homo?) 2) ſua ſponte ſubierit paupertatem, vitae & conditionis humanae, non ſpreta forte hominum tenuiſſimorum, nobis aſſimulatus, relicto illo vſu opulentiae diuinae 3) vt nos paupertate ditaret ſua, nobis pararet, firmaret, veram ſolidamque & aeternam felicitatem, copiam omnis veri boni. Quod explicari nullo modo poſſit, niſi intelligamus, deriuatum in vos merito Chriſti, ex inopia eius. Sed quorſum affert? Nempe, vt Corinthios excitet partim ad pauperes ſubleuandos, quorum ſorti ſimilem Chriſtum fuiſſe, ſciant, partim ad condonandam indigis partem facultatum, quas omnes, ſciant, a Chriſto, habente, ſpretas, nobisque penſatas aliis bonis, veris, perfectis, aeternis. χάριν vocat, comitatem, benignitatem, humanitatem, indulgentiam & beniuolentiam, ſponte exhibitam immeritis, hominibus ſalutarem, comiterque datam, quaſi ciuilitatem, Herablaſſung, Gefälligkeit. 9, 7. notat morem Dei, amantis hilariter dantem; partim, quia ipſe tribuat hilaris, libenter, benignus, ſponte, non merentibus, non iuſſus, non coactus, quod nec poſſit; partim, quod a nobis nihil fieri velit, quaſi coactis: quod, vt omnia bene facta, ita beneficia maxime, corrumpat. Et vſ. 10. Deum, praebentem agricolis ſemina in fructibus terrae,

posse (nempe & velle, sicuti hic velit & soleat,) praebere beneficis copiam & praemia bene ac benigne faciundi & largiter erogandi. 12, 9. demonstrat rationem Dei, immittentis Paullo varia & grauia incommoda corporis externa, σκόλοπα, crucem, mala huius vitae, vexationes atque iactationes, angelum Satanae, falsos doctores, aduersarios, insectatores Paulli veraeque doctrinae: nec dedisse precanti saepius, vt iis liberaretur: duplici quidem consilio: 1) ne intumesceret excellentia monitus diuini, sed secum habitaret, hominem se esse, videret, qui aliis non tam sapiens videretur, quam fortasse sibi. Neque enim quidquam magis fastum frangat aut contrahat, quam si videas, alios minus honorifice de te sentire 2) vt sentiret potentiam virtutis atque auxilii diuini, tanto euidentiorem, quo maior esset in ipso infirmitas minusque virium. Dignum vero morem Deo, dignum consilium, & Paullo salubre, & diuinae maiestati decorum! 13, 3. 4. notat morem Christi, praebentis sese non infirmum, sed validum in Corinthiis: infirmi antea sponte sua, cum ageretur in crucem: iam viuentis, & se viuum validumque praestantis virtute diuina. Quod affert non Christi tantum caussa, etsi hoc quoque, quia pertinet ad veram doctrinam Christi, verumque iudicium, ne humilius de illo illaue sentiant: sed & sua caussa, ne Corinthii spernant aut fastidiant, ipsorum malo, ministrum Christi rediuini atque potentis.

Gal.

Gal. 2, 8. notat morem Dei, vel Chriſti, efficientis in Paullo, vel per Paullum, ſalutem paganorum, ſicut Iudaeorum per Petrum: vnde oſtendat: 1) ſe non eſſe minorem Petro, quippe eiusdem Dei & Chriſti virtute adiutum, & voluntate vocatum: 2) diuinitus inſtitutam partitionem, vt alius alio abiret apoſtolorum, pari tamen & iure & virtute, & conſilio. Vſ 20 ait, Chriſtum ita nos amaſſe, vt vitam pro nobis offerret. Summi amoris notat morem, cui nihil non a ſe deberi, profiteatur, & omnia negligenda ſibi, nominatim ritus formulae Iudaicae, Chriſti morte abolitos. 3, 13. a poena legis (morum quoque,) nos liberauit, ſubeundo eam cruce ſua, vt non Iudaei modo, ſed & *pagani*, nanciſcerentur copiam beneficiorum, Abrahamo promiſſorum, ex Meſſia ad omnes redundaturam. Vnde appareat, 1) Chriſtum morte ſua poenam perpeſſum, vt qui κατάραν ſe fecerit: 2) pro nobis, a) noſtra vice, b) noſtrae vtilitati: vt εὐλογίαν haberemus pro κατάρα, propitium Deum & beneficum pro irato & vindice: 3) pro paganis quoque, non Iudaeis ſolum: ergo 4) non (tantum) abolendae rituum legi, vt nil pertinenti ad paganos, nec κατάραν illis inferenti, ne Iudaeis quidem. Neque enim rituum exſecratio erat, mortis ſupplicio ſancita, ſed morum: ſed &, vt *morum* legi ſatisfaceret, poena reddita, qua omnes liberaret. Ibid. vſ. 16 — 26. notat morem & conſilium Dei, ſancientis legem, & promittentis Meſſiam: perque eum liberationem a neceſſitate ſeruandae legis, & rituum, qua Iu-

Iudaeos, & morum, qua paganos, & omnes: hactenus, ne neceſſe eſſet, commendari & probari Deo ad ſalutem illa ſeruanda. De *tota* enim lege loquitur, vt per Moſen eſt lata. Neque ritus illi ad Abrahamum, aut ad paganos, quidquam pertinuerunt. In his duabus rebus, ita oſtendit, Deum ſibi conſtare, vt conſilium ſimul aperiat legis adiiciundae. Tria ergo notat in moribus Dei: 1) promiſſum Dei gratuitum lege non tolli; quia promiſſum praeceſſerit legem, quadringentis annis poſt latam, Abrahamo plane ignotam, qua ritus, promulgationemque feſtam: per quam mutari non poſſet fides promiſſi in ignorante, aliquid praeterea ſecuturum. Ergo nec ſequenti lege abolitum eſt promiſſum, ne apud eos quidem, quibus imponeretur. Nam fides & Abrahamo ſemel data eſt, & pertinuit vel maxime ad ipſos tum Iſraëlitas, eorumque poſteros, omnesque adeo homines, futuros & ipſos per fidem vere Abrahami filios, vſ. 29. Rom. 4, 12. (& 9, 7. vbi diſtinguit quidem, cum Emphaſi, σπέρμα a τέκνοις, velut moralibus: ſed ſtatim promiſcue ponit, vſ. 7. & clarius vſ. 8. ſemel notata conditione rei, non vocabuli.) 2) notat, gratuitum eſſe hoc promiſſum, nullo reſpectu operum. (Quos hic non intelligi ritus, ſed mores animi ac vitae, patet cum e vſ. 21. 22. tum ex eo, quod Abrahamo plane ignoti ritus iſti fuerunt, poſtmodum inducendi. Nam, circumſectionis aliam fuiſſe conditionem, ſupra notauimus.) Alioquin, ait, non ſit promiſſum,

vſ.

vſ. 18. Gratuita enim ſunt promiſſa, certe, quoad a lege diſtinguantur. Alias enim & merces ad promiſſum referatur, & promitti dicitur; ſed alio modo, quam, cum aliquid ſimpliciter & ſponte promitti dicatur. Deinde nequeunt homines Deo probari ad ſalutem ſeruanda lege: vſ. 21. vbi negatur data lex eſſe, qua ſeruanda adipiſcamur felicitatem veram atque aeternam: quam intelligi vitam, patet ex Luc 10, 25—28. vbi itidem non eſt ſermo de ritibus, ſed de moribus animi & vitae. Atqui data eſt lex, qua ſeruanda beari poſſimus: vt & ille Lucae locus, & hic vſ. 12. docet. Cur ergo nequit? Nempe, quia nos illam ſeruare non poſſumus. Rom. 8, 3. Vt, ſi negetur medicamentum, aut liber, prodeſſe poſſe homini natura vitioſo aut ſtupido. Denique vnus eſt Deus, vſ 20. Quod hic ponitur ea conditione, quam oppoſitum innuat: interpres non eſt vnius, nempe partis. Vbi interpres intercedit, *duo* intelliguntur, quorum vterque aliquid *agat*. At in promiſſo Abrahamitico *vnum* ſeſe exhibet Deus, ſolus agit, nil repoſcit Abrahamum, aut poſteros eius, ſolus pollicetur & offert, accipienda ab Abrahamo & poſteris eius, nulla conditione operum; multo minus rituum. Vnum hic intelligi Deum, Theodoretus ait, *eundem*, & legis auctorem, & promiſſi. Vere in ſe hoc quidem; ſed parum ad contextum proxime diuerſi. Nam refertur ad μεσίτην, interpretem, qui *duorum* intelligatur. Qui etſi & Chriſtus dicitur, eſtque μεσίτης eius ipſius rei, quae

hic

hic Abrahamo promissa dicatur: *ipse* tamen *solus* agit, & fecit & passus est, vice nostra, quae nos posceret Deus, quibus nos iam, vt altera pars, functi aduersus Deum intelligeremur: 2 Cor. 5, 15. Quem locum quod ita interpretatur Ven. *Rosenmüller*, in Prolus. Fest. Nat. Chr. memorante & probante Cel. *Doederlino*, Bibl. Thel. Vol. 1. P. 1. p. 76. interpres ille, Moses, non est vnius, non est interpres Christi, non tractat vnum illum Christum, Abrahamo promissum: primo, pace dixerim tantorum Virorum, nescio, quî Moses dici negariue possit Christi interpres; aut quis omnino Christi interpres intelligi queat? Nec vero deinde Paullus diceret ἑνὸς sed τοῦ ἑνὸς. Quis autem, negari, dixerit, a Mose tractari Christum? contra rem omnem, & vs. 24. Neque antithesis quadret: Deus est vnus, sibi semper constat. Quare etiamnunc praetulerim illam interpretationem iam, Ernestio probatam. *Interpres* primo est *abstractiue*, vniuersi generis, in *Maiori*, sicut antea, ἐν χειρὶ μεσίτου, dein concretiue, in Minori, Moses: a cuius proprietate ad locum communem euehitur notio. 3) probat, legis dandae consilia nihilo secius fuisse, Deo digna: vs. 19. 22. 23. 24. a) vt homines admoneret prauitatis ipsorum atque infirmitatis: vs. 19. 22. partim per morum legem, quam seruare non possent; vs. 21. Nam, de morum lege, non rituum, haec dici, apparet e vs. 12. clariusque etiam est e textu prophetae, quem hic bene affert Theodoretus: vbi morum legi op-

po-

ponuntur δικαιώματα σὺ καλὰ, oppoſita illis, quibus ſeruandis, ſi poſſint, ſalui ſint homines & felices. Etſi Moſis potius verba reſpicere videtur Paullus. Sed omnino in rituum legem non cadit illa vis atque conditio, licet vel diligentiſſime obſeruatam. Partim id per rituum legem ſpectauit, quae 1) per ſacrificia monſtraret culpam commiſſam, non expiaret: 2) ad Chriſtum nos duceret, velut paedagogus, vſ. 22. & per imagines rituum; ſane enim ad rituum legem hoc pertinere, omnis tenor loquitur & extr. cap. 3. & C. 4. init. cum praeſertim, εἰς χριστὸν, reddi commode poſſit, *vsque* ad tempus Chriſti. Nec tamen excludatur lex morum, quae commonſtranda infirmitate noſtra, ad Chriſtum nos ducat, ad *fidem*, Deo nos commendaturam. Quod ipſum doceat, de morum lege & ipſa hic agi. Quid enim agat fides, Chriſto habenda, in Chriſtum vertenda, vſ. 26. legi rituum ſubſtituta, vſ. 23, 24. per illam legem monſtrata, quid agat, vt fiducia ſalutaris in Chriſto repoſita; ſi nil aliud, quam ſine ritibus Deum colat? Quid hoc ad eos, quos iſta lex nunquam tenuerit? Aut quid promiſſum eſt Abrahamo, quod crederet, cuius ſpe & fiducia Deo placeret? Nempe, venturum aliquem abrogatorem legis, quatuor ſeculis poſt Abrahamum ferendae? Aut quaenam iſta felicitas paganis, vſ. 14. ſoluendis lege, cui nec ſubiecti vnquam fuiſſent, nec ſubiiciendi? Quid magis ſit ἀσύστατον, aut minus dignum tanto molimine? At contra in ſalute per Chriſtum te-

nen-

nenda, quae per morum legem teneri non poſſet, per rituum autem legem monſtraretur, omnia lucent & Deo digna, & hominum naturae ac deſideriis congrua Sed in primis in

Epiſt. ad Epheſ. multus eſt Paullus in more Dei notando. Immo tota illa Epiſtola ex inſtituto verſatur in explicanda & celebranda benignitate Dei & ſapientia, exhibita in Iudaeis & paganis ad Chriſtum vocandis, & ſub vno capite, Chriſto, iungendis ac beandis. Quae & ſupra memorata, in Gen. Demonſtr. & difficultatis nihil habentia, memoranda fuerunt tamen, vt in *moribus* Dei: cuius notat ſapientiam, potentiam, amorem, benignitatem, miſericordiam: in *conſiliis* eiusdem, iungendi paganos Iudaeis, abolendi discriminis, odii, inimicitiae, vtrosque diſtinentis: vocandi eosdem ad amorem Chriſti, & mutuum: in *factis* denique & velut externis operibus Dei, liberantis homines a culpa, poena, ſtudio & imperio prauitatis, vocantisque ad ſanctitatem atque felicitatem, caput omnium Chriſtum ſolum conſtituentis. Quae & per ſe magna & laeta Epheſiis commendat, & amoris omnisque officii praecepta iis ſuperſtruit. Nominatim tamen Chriſti factum notat, & in terram venientis, quae vocat κατώτερα μέρη τῆς γῆς, coelo opponens, & rurſus in coelum abeuntis, (vbi quomodo fuit ante, quam homo naſceretur, niſi vt Deus?) vt omnia impleret, vbique & eſſet, & eſſe intelligeretur, vbique efficaciter agentem ſe-

ſe

se monstraret, & in terra, vbi homines, sub se consociatos, regeret ac tueretur, & in coelo, in quam sedem suam reciperet homines, Ioh. 14, 2. 3. atque ita caput foret atque agnosceretur omnium, vel in coelo agentium, vel in terris, Col. 1, 16. rector omnium, in honorem suae maiestatis: vnde & ecclesia dicitur πλήρωμα eius, Eph. 1. vlt. corpus eius, coetus, in quo agat, in quem salubriter agat, vt mens vel caput in membra corporis omnia: munera deinde instituentis, apostolorum, aliorumque euangelii interpretum. Auctorem ergo notat Christum ministerii euangelici, vel ecclesiastici, & viribus (δυνάμει,) pollentem ad instruendos viribus doctres & auctoritate (ἐξουσίᾳ,) mittendi, remque totam instruendi: qua alia, nisi diuina? Et consilium eius notat, salubre ac benignum, perfectionem Christianorum: vs. 12. 13. καταρτισμὸν, vt sint, quales esse conueniat, sapientes, sancti, concordes, felicitati aeternae habiles, apti & promti ad omnia inter se officia, ἐργον διακονίας, ad οἰκοδομὴν, augmentum, incrementum, firmamentum, corporis Christi, ad vsum ecclesiae, & singulae partes crescant, studio pietatis & sapientiae, concordes inter se, & vsu mutuo nexae, vt aedificii partes sibi iunctae prosunt: vt sic (μέχρι τοῦ ἵνα,) veniant ad fidem vnam cognitionis ac doctrinae, euadantque velut viri perfecti, maturi iudicio, firmi constantia, qui habeant μέτρον, omnes numeros & partes, iustum modum, ἡλικίας, quasi vel aetatis, vel staturae, conditionis

omnis, τῦ πληρώματος τῦ χρις̃ῦ, perfecti corporis Christi, quales deceat esse vere Christianos (aut μιτρ. τ. πληρωμ. est μετρον πεπληρωμένον, iusta mensura, modus legitimus, solidus:) non νηπιοι, rudes, inconsulti, leues, mobiles, omni doctrinae creduli, sed qui omnia firmo iudicio cauti, examinare sciant & valeant. Vs. 32. notato more Dei, condonantis nobis delicta ob Christum, cuius ipsam satisfactionem vel expiationem dederit amori in nos, monet ac iubet & ipsos veniae esse paratos. 5, 2. notat Christi morem, eo perducti amore in nos, vt semet offerret Deo sacrificium gratum. Quod repetit vs. 25. 27. addito consilio & auxiliis sanctitatis efficiundae, per baptismum & doctrinam. (Potest enim καὶ intelligi ante verba, ἐνρήματι, vel comma certe poni.) Quem Christi morem imitari iubet caritate mutua, & piorum inter se, & coniugum nominatim; quorum vel intimum esse amorem, par sit; cum per se, quia non sit arctior necessitudo, quam matrimonii; vs. 28. 29. tum, quia Christus ipse dignetur signare suum in nos amorem imagine huius necessitudinis coniugalis: vs. 29. 30. 32.

Phil. 1, 6 eo deducit notatum morem Dei, exorsi in Christianis bonum opus, fidei, pietatis, spei, vt, perfecturum idem eundem, confidat ac considere iubeat, constantia Dei vsus. At Christi rursus morem quam grauiter, quam diserte notat, 2, 6—11. & *a persona* eius, qua fuerit ἐν μορφῇ θεῦ, Deo per omnia par, ἴσα θεῷ,

θεῷ, veriſſima imago naturae eius & maieſtatis, Ioh. 14, 9. Ebr. 1, 2. diuinae ipſe naturae, ſummus ergo omnium maximusque; & a *facto*, quo non rapinam duxerit, Deo eſſe parem, non oſtenderit, non effuderit cupidus, quaſi feſtinans, (vt *raptas nuptias* dicit Liu. 30, 14. id eſt, feſtinatas:) non rapuerit tempus occaſionemque exſerendi & adhibendi virtutem diuinam, τὸ εἶναι, quod ergo ineſſet illi, quod non inuaſiſſet, vt quidam ſatis improbe vertunt, ſed tantum oſtentare parceret: ſed hominem induerit, per omnia aſſimulatus homini: (quid magni, Socine, quid ſingulare? aut quo pertinet omnino, ſi merus fuit homo Chriſtus?) neque hominem tantum, induerit, ſed plane ſeruum, humillimam ſortem, aliis ſubiecti atque parentis, quibus imperaret: ne id quidem ſatis habuerit, ſed ad infimae tenuitatis ac miſeriae ſortem delapſus, mortem pertulerit: nec ſimpliciter mortem, ſed crucis ſupplicium, ſeruiliter ignominioſum, acerbum: quod diſerte ſane auget per gradus: mortem, *eamque* mortem in cruce: ab *exitu* denique notat, quo, circumdatus maieſtate ſumma, eminente ſupra omnia in coelis terrisque, (diuina ergo!) veneranda omnibus adorandaque, ipſo Deo volente, commendante, demonſtrante, in ſuam maieſtatem illud interpretante; (quam tamen per Ieſaiam neget ſe ceſſurum alii cuiquam;) omnibus, qui agant in coelo, angelis ac beatis, in terra, in morte ipſa, in qua tamen animus non intereat, e qua olim

seuerſi, habituri ſint Chriſtum iudicem atque remuneratorem: quem dominum agnoſcant, Deum ergo; quis enim tali ſenſu aut iure ſit omnium dominus, niſi Deus? idque in maieſtatem Dei patris, alioqui tam ſeuere ius ſuum aſſerentis; quia, qui filium non colat, vt filium, nec patrem colat, vt patrem: 1 Ioh. 2, 23. Quorſum iſta, tam diſerte per amplificationem, incrementum, antitheta? Nempe, vt Chriſtianos imbuat eodem ſenſu, ſtudio, more, modeſtiae, concordiae, amoris, officii: quid recuſaturos homines, quod Chriſtum Deum feciſſe ſciant? praeſertim & decoris certos, Chriſti exemplo ſecuturi? Eiusdem Chriſti morem notat C. 3. extr. ſeruatorem vocans, coelitus venturum, valentem omnia ſibi ſubiicere; (quod ne angeli quidem poſſint:) plane omnipotentem: ergo & corpori noſtro daturum conditionem illuſtriorem, vt aſſimuletur ipſius corpori: quod vt ipſe aſſimulauerit noſtro, ita noſtrum aſſimulaturus ſit ſuo. Quorſum ita haec diſputat? Vt Chriſtianos moneat, coeleſtia ſapere, ſpernere terreſtria, leuia, abitura, corpori huic tantum congrua, ritus maxime inanes, cruce Chriſti abolitos, Chriſtianis indignos, & coelo, per Chriſtum illos manente. Rurſus

Col. 1, 13—21. diſerte notat perſonam Chriſti, attributa, vim, maieſtatem, facta. Vocat filium Dei *dilectum* ex Ebr. יחיד, vnicum, μονογενῆ, in cuius regnum Deus nos traduxerit a poteſtate triſti atque tenebricoſa ignorantiae, errorum, praitatis, miſeriae: per quem, vſ. 14. ha-

habeamus liberationem ab omni malo, per ſanguinem & mortem eius, non ſignificatam duntaxat, aut confirmatam, ſed plane partam atque effectam. Quis enim illo priori ſenſu & conditione dixerit, aut intellexerit, nos *habere* liberationem *per ſanguinem* Chriſti? Eam liberationem explicat ipſe, delictorum veniam: quam, liberantem ab omni malo, habemus ergo, non firmatam, ſed quaeſitam, datam per mortem eius. At cuius morte? Magna iam per ſe res, liberari ab omni malo, nec culpam nec poenam horrere delictorum, qui fons eſt mali omnis. At maior ea ſit, cogitanti auctorem eius, qualem Paullus ſignat: imaginem Dei inadſpectabilis, in quo inſit atque eluceat omnis diuina maieſtas: 2, 9. quem videntes, Deum ipſum videamus: πρωτότοκον principem, dominum (vt primogenitus habet ius a patre,) omnium rerum in primis Chriſtianorum: quos, vtut non ſolos, quid enim? maxime tamen, intelligi, patitur & tenor, & loquendi vſus, Eph. 2, 15. Iac. 1, 18. latius tamen & hic patere κτίσιν, apparet cum ex Ioh. 1, 3. Ebr. 1, 3. tum ex additis ἐρατῶις & ἀορἀτοις, coelo & terra: in quo, vel a quo, cuius virtute, per quem, non miniſtrum, ſed effectorum, quia & εἰς αὐτον, ad illuſtrandam maieſtatem eius, effecta ſint omnia, in coelis, in terra, adſpectabilia, inadſpectabilia; (quid dignius vero Deo?) omnia imperia, poteſtates, dominorum iura, non angelorum vtique, etſi ἀορἀτων nomine innuantur, quos hic in-

truſere, quibus haec certe diſcrimina obtruſere, fingendi ſtudio, & obſcura definiendi, cum falſo illo Areopagita; ſed hominum; rex enim regum eſt Chriſtus, 1 Tim. 6, 15. 16. Pſ. 72, 11. Col. 2, 10. omnes & omnia regit: ad eum referuntur omnia in orbe imperia, vt vel adiungantur coetui eius, eccleſiae, vel varie inſeruiant, vtut neſciant nolintue: Act. 4, 27. 28. priorem ponit, qua tempus, qua dignitatem, omnibus angelis, hominibus, rebus: aeternum ergo: omnis enim alius ſenſus aut friget, per illa, quae ſint tam magnifice dicta de Chriſto, & porro dicantur, aut alienus eſt a re & tenore; neque fingi omnino, ne tolerabiliter quidem, ſenſus poteſt, quo Chriſtus intelligatur, tali contexto, fuiſſe ante omnes, aut omnia: (neutrum, πάντα, de rebus hic aptius intelligi, patet ex eo, quod ſequitur: τὰ πάντα ἐν αὐτῷ καὶ δι' αὐτοῦ συνέστηκεν. omnia, omnes, inprimis, quod maxime, καὶ· etſi non vnum, hic intelligi, admittam, formula religionis cultusque diuini in eo vertitur, ab illo, per illum, conſtat, ad eum redit, 3, 11. vt ad caput & ſummam, ſine quo nihil ſint, ne futura quidem fuerint: ab illo continentur, ſeruantur, reguntur; ipſe eſt caput corporis, eccleſiae, (poſt σώματος· interpungendum, vt alter genitiuus, ἐκκλησίας, explicet priorem, σώματος·) ἀρχὴ, princeps, dux, auctor, qui per omnia praeceſſerit, viamque munierit, e morte in vitam, e vita in coelum: vnde ſubiicitur, πρωτότοκος ἐκ νεκρῶν, primus rediuiuus: non tempore, vt quo priores habeat, ab ip-

ipso reuocatus; sed 1) loco & dignitate, 2) virtute, qua eandem conditionem nobis non ostenderit tantum, sed & constituerit atque effecerit: 1 Cor. 15. 21. 22. redituris in vitam, non modo cum illo, sed & per illum, Ioh. 5, 21. 26. 28. ac propter illum: Ebr. 2, 14. 15. vnde & vita nostra vocatur, Col. 3, 4. & semet ipse ἀνάστασιν vocat, Ioh. 11, 25. 26. eamque repetit e fiducia in se posita, ibid. ita per omnia primus, est, vs. 19. auctor, effector, praemonstrator exempli, effector rei. In illo, pergit Paullus, placuit, omni copiae maiestatis diuinae consistere, sedem figere; πλήρωμα enim, scil. θεότητος, ex 2, 9. potest esse nominatiuus, & notat ipsam maiestatem Dei, naturam diuinam: ob quam, in ipso σωματικῶς habitantem, corpus suum vocat templum, Ioh. 2. aut, si in εὐδόκησεν intelligere placuerit, θεὸς, vel θεῷ, idem tamen erit πλήρωμα, non ecclesia, vt expl. Theodoretus, abusus aut oblatus loco, Eph. 1. extr. Vbi enim vnquam dicitur ecclesia in Christo habitare? Aut quo sensu, dicatur? Miror, hoc illi excidisse. Sane πλήρωμα dicitur ecclesia & Christi πλήρωμα· at non (*actiue*) vt Christum impleat, sed, (*passiue*,) vt ab illo impleatur: non, vt in illo habitet, sed, vt Christus in illa. Placuit ergo, vel Deo, vel ipsi, diuinae naturae Christi, per humanam naturam diuinae iunctam, omnia ad ipsum versa iungere, omnes homines Deo reconciliare, & paganos consociare Iudaeis: quod vel maxime agitur & spectan-

dum eſt in his duabus Epiſtolis, ad Epheſ. & Coloſſ. & ita pacem facere, εἰρηνοποιήσας· qui nominatiuus, referri poteſt ad θεὸς, ſupplendum in εὐδόκησεν, aut ad Chriſtum ipſum, vt verba inde a πρωτότοκος ad εἰς αὐτὸν, ſint in parentheſi, rationem redditura, Paulli more, eius, quod antea dixerit: pacem ergo facere viſum eſt, & inter Deum hominesque, hic neutiquam excludendam, cum per ſe, ex re ipſa, a contexto minime aliena, tum ob vſ. 21. vbi & pagani & Iudaei, quibus & ipſis haec ſcribit, ne velint amplius ſeruire rituum legi, dicantur fuiſſe hoſtes, & alieni, non Iudaeis pagani, ſed *a Deo vtrique*, ob facta & ſtudia improba, quae neque in paganis ſolis eſſent; ſed paria in Iudaeis, quin grauiora, Rom. 2. tot. 3, 9. 22. neque hoſtes redderent Iudaeis paganos. Quis enim Iudaeorum ob *improbitatem* vitae oderat paganos? Immo ob cultum falſorum numinum, diuerſitatemque ſacrorum & rituum. Deo ergo ipſi hoſtes & alieni, iam ſunt reconciliati per Chriſtum: qui tamen idem & Iudaeis ac paganis inter ſe pacem dediſſe hic intelligatur, ex loco ſimili, Eph. 2, 14 — 17. quem locum hic reprehendi, placet, ſimilitudine iungendum: vbi Chriſtus dicitur *pax noſtra*, pacis & concordiae auctor, qui vtrosque, duos, paganos & Iudaeos, vnum fecerit, disiecta & remota quaſi ſaepe & muro intergerino, inimicitiae, diſtinentis vtrosque, rituum lege: quam legem ibi vocat νόμον ἐντολῶν ἐνδόγμασι· δόγματα enim, ex Col. 2, 20. 21.

21. dicuntur de rituum lege; quam ſuſtuliſſe hic Chriſtus dicatur ſua morte; quam eum repraeſentaret lex illa, Ebr. 9. tot. 10. init. Col. 2, 17. locum amplius non haberet, illa morte peracta. Quam quid monſtrari attinuit per tot ſecula, tot figuris, ſi nihil aliud agebatur, niſi, vt venturus commonſtraretur, qui doceret, & moriendo obſtringeret, iam nil opus eſſe ritibus iſtis? Hoccine morte firmandum erat? Cuinam ergo? Paganis? At hi nunquam tenebantur rituum lege? Iudaeis ergo? Quid crediturus autem, niſi, quod proprie Iudaeis monſtrat Paullus in Epiſt. ad Ebr. ſigna illa fuiſſe mortis Chriſti? Vt ne conſtaret, iam ſuperſederi poſſe ritibus iſtis, ea de cauſſa inſtitutis, ac per tot ſecula retentis, inculcatis, vt veniret atque exoriretur, qui inutiles oſtenderet morte ſua, nil aliud? Ecquid eſt, in orbem recurrere, aut ludibria agere, aut Deum ſiſtere magno conatu nihil agentem, ſi hoc non eſt? Quod tamen placet illis, qui, dum philoſophandum ſibi putant, auxilium inducunt operoſius conſilio ſuo, immo nullo conſilio, nulla idonea aut probabili cauſſa. Quod ſi eſt, philoſophum agere: philoſophentur ita ſane, ſed ſine nobis, quibus e diuerſo φιλοσοφικώτερον videatur, Paullum ſequi, alia videntem in morte Chriſti, maiora, digniora & Deo, & molimine tanto; vt non modo inter ſe iungerentur omnes homines, ſed & ſub vno capite, Chriſto, εἰς αὐτὸν, ſed & maxime Deo, vſ. 16. plane vt Ioh. 17, 11. 17. idque per Chri-

sti sanguinem atque mortem, vs. 17. coll. Ioh. 11, 52. & hic, quo redimus, Col. 1, 22. in corpore carnis suae, i. e. per naturam suam humanam, Deo oblatam, *per mortem*, quod addit. Cui ipsi morti hic manifesto redditur atque ipsi tribuitur id consilii ac virtutis, vt nos sisteret Deo sanctos, inculpatos, integros coram Deo. Haec vis cur morti Christi tribuatur, aut quomodo, *ipsi* quidem ac soli per se, maxime certe, vt hic & innumeris locis, quis assequatur, aut explicet, rationemque reddat, qui quidem nil aliud videat in morte Christi, nisi consilium doctrinae firmandae, aut exempli forte relinquendi? Nam cur non simpliciter ablegamur ad *doctrinam* Christi? Aut quid, ablegati ad illam, credere iubemur, quo quidem credendo salutem teneamus, nisi, *ipsum Christum* esse filium Dei, verum Messiam, Ioh. 20, 31. Rom. 10, 9. & pro nobis mortuum? Rom. 4. extr. 1 Cor. 15, 1—4. Sed & 2, 13—15. notat rationem, qua vel Deus, vel Christus, vel vterque, paganos, Iudaeos, homines omnes, mortuos, morti addictos ex studio & culpa prauitatis, in vitam reuocarit, delictis remittendis, deleto & inducto, ἐξαλείψας, quasi per lituram sanguineam, chirographo, immo syngrapha, infesta nobis per leges: quae hic non rituum tantum intelligantur, quippe qui paganis non possent esse infesti, vt syngrapha, qua tenerentur, aut per delicta; sed morum vel maxime leges: quarum veluti syngraphan, omnes obligantem, cruci affixerit: partim, vt, veluti clauis lacera

&

& perfoſſa, nil valeret reſciſſa: partim, vt, publice ſic expoſita, ac ſuſpenſa, conſpiceretur omnibus ſic reſciſſa: atque ita, ἀπεκδυσάμενος, id eſt, (ſi vis *medii* valeat,) depoſito vſu diuinitatis, veluti veſte exuta, non ad pugnam, vt expl. Perizon. ad Aelian. V. Hiſt. 2, 30. n. 5. ad quam non eſſet opus *depoſita* illa veſte, ſed *aſſumta*; ſed ſimpliciter tunc notet, Perizonium ſequenti, accinctus ad pugnam: ne ſic quidem placet: non enim luctatori, ſed militi, immo duci, tum conferatur Chriſtus: quare actiuo ſenſu malim: (vt Rom. 15, 28. σφραγισάμενος pro σφραγίσας· & Col. 1, 6. καρτοφορούμενον, quod actiue eſt Rom. 7, 5.) exuit, auctoritate ſua & dignatione, ſpoliauit, principes & magiſtratus, pontifices ac doctores Iudaicos, Phariſaeos, legis Leuiticae vindices, nec non paganos principes, Chriſti hoſtes, veluti victos & captos, in triumphum duxit, omnes ad ſe vocauit & traduxit, vt, Chriſtiani effecti, ſpernerent omnes opes terreſtres, omnem ſapientiam virtutemque humanam abiicerent, damnarent, nihili ducerent, vt Paullus, Phil. 3, 4—9. prae diuina doctrina de perſona ac morte Chriſti. Ita notauit & perſonam & attributa & conſilia & facta Chriſti, vt Coloſſenſes intelligerent, amarent, amplexi tenerent ac ſequerentur tantam praeſtantiam & conciliatoris & reconciliatoris, cuius interpreti, Paullo, ſiſi, 1, 23—29. abſtinerent ab omni vanitate, doctrinae 2, 4. ſequ. quam vocat πιθανολογίαν, ſpecie placentem, veluti

pri-

priſcae religionis, φιλοσοφίας, Iudaeorum: a praeceptis Iudaicorum doctorum, rel. omnibus alienis ab euangelica ratione vſ. 16. 17. ſequ.

Alia quaedam omittimus, vt facilia, e moribus Dei: 1 Theſſ. 4, 6. 7. 14. 2 Theſſ. 1, 6. 1. Tim. 1, 15. 16. notanda hic tamen: vt 1 Tim. 2, 4. 5. vbi ex voluntate Dei, vt omnes ſeruentur vero agnito, i. e. Chriſtiani effecti, ex vnitate Dei, ex vno interprete & conciliatore Dei & hominum, *homine* Chriſto, (cur *hominem* vocet, ſi per ſe nil eſt, niſi homo, ac non memorandum in illo, quod ſit homo, nempe factus, Ebr. 2, 14.) qui ſemet dederit pretium & praeſidium libertatis pro omnibus, paganis quoque, ex his ergo moribus & conſiliis Dei & Chriſti efficit atque infert neceſſitatem officiumque precum pro omnibus faciundarum, vſ. 1. ſequ. nominatim & praecipue pro omnibus principibus paganis, vt vertantur ad illum Deum, qui illos velit ſaluos, & ad Chriſtum, qui & illos ſua morte aſſeruerit, ſi vti voluerint. 6, 15. 16. ſignat Deum, vel Chriſtum, ſolum vere potentem, beatum ſua potentia, qua ſemet beatum praeſtet; regem regum, dominum dominorum: ſolum praeditum immortalitate, nempe naturali, interna, non aliunde hauſta, aut ipſi data, ſicut nobis dedit, ſed neceſſaria, neque illi auferenda: quam & nobis dare poſſit, & ipſam, & beatam: habitantem, verſantem in lumine, ſapientiae, felicitatis, maieſtatis, inacceſſo, quod nobis neque agnitione, neque vſu aſſequi liceat, nemini viſum, nec viden-

dendum: nempe vt Deum: Ioh. 1, 18. neque in *hac* vtique vita: (1 Cor. 13, 12.) Exod. 33, 20. Quorsum ita notat? Vt ostendat aduentum Christi, quem sit (ex promisso) redditurus, exhibiturus, δείξει, esse certum ex potentia Dei, magnificum & illustrem, ex eius maiestate, ineffabiliter beatum, quia sit perducturus ad Deum, beate immortalem, immortaliter beatum, cuius maiestatem ac felicitatem nulla mens hominum assequatur: ad quam perducti ergo, ineffabile gaudium simus sensuri: vnde & ipsi Paullo summa alacritas orta vigeat, & in Timotheum redundare debeat, ita, vt eum excitet atque firmet ad tuendam doctrinam Christi, sic olim venturi. Quod facere eum hortatur etiam vs. 13. e professione Christi, quam coram Pilato rediderit pulchram, i. e. veram, alacrem, constantem, nobis salubrem ac laetam, Ioh. 18, 36. 37. de *regno* suo. Vnde & verba, rex regum, dominus dominantium, magis ad Christum pertinere videantur, nisi obstent verba: quem nemo vidit. Quia tamen de vtroque, & Deo per se, vel patre, & Christo, loquitur; nam ἐπιφάνεια quidem Christi fere est, vt Tit. 2, 13. 1 Cor. 1, 7. 2 Tim. 4, 8. Ebr. 9. extr. rel. licet accommodare attributa nunc huic, nunc illi, vt res poscat, vel patiatur. Vtitur autem illo testimonio Christi, partim, vt Christi exemplo firmatus Timotheus, imitetur eius constantiam atque alacritatem, partim, vt rem ipsam teneat, sibi professione declaratam & confirmatam.

2 Tim.

2 Tim. 2, 12. 13. notat morem Dei, vel Chriſti, de quo hic magis agi oſtendit conditio tolerandi mala *vna*, cum eo, eius exemplo, & olim regnandi cum eodem, vel aeterna felicitate fruendi. Chriſti ergo rationem notat, effecturi ſecum beatos, qui mala cum illo perpeſſi fuerint, repudiaturi, ſuos non agnituri, qui ab eo defecerint: fidem tamen ſeruaturi, licet homines defecerint, quia ipſe paratus & fuerit ei ſeruandae, & porro ſit futurus, dum ad ipſum redierint: quoniam non poſſit ſemet negare, ignorare, parum ſibi conſtare, aut a ſemet diſcedere: Quod ipſum eſt e moribus Dei, & Chriſti, cui aſſerit diuinam naturam atque maieſtatem, qua mutari nequeat: quod nulli homini tribuitur, nec poteſt, ſed ſoli Deo: Rom. 3, 4. vbi eſt idem tenor, eadem cauſſa attributi morisque, &, qua vitam atque naturam, Chriſto, vt Deo, redditur. Ebr. 1, 12. Quem 4, 8. vocat iudicem iuſtum, fidei remuneratorem: & vſ. 17. demonſtrat, affuiſſe ſibi in cauſſa dicenda vires & animum ſuffeciſſe: vnde ipſe colligat, fore, vt porro ſe liberet in aliis caſibus, liberatumque omni malo, in coeleſte regnum aſſerat.

Tit. 2, 11. 12. notat Dei 1) beniuolentiam, humanitatem, fauorem in homines, gratuitum ergo, nec meritorum reſpicientem, ſed nec culpae: eandem 2) ſalutarem & conſilio, & efficientia: 3) cunctis oblatam & patentem: ſed & 4) cupidum ſanctitatis noſtrae, nos caſtigantem, monentem, hortantem, inſtituentem, vt,

de-

depoſita prauitate & ſenſus & moris, pie viuamus. Quod eo allatum pertinet, vt, e conſilio beneficii diuini, iubeat Titum hortari omnium ordinum homines, vt decori agant tam ſalutari doctrinae. Quod idem repetit 3, 4—7. vbi Deum vocat ſeruatorem noſtrum: quem hic quidem Chriſtum intelligi, etſi eſt, & intelligitur haud dubie 2, 13. 14. hic tamen vix liceat, quia vſ. 6. diſtinguitur: per Ieſum Chriſtum ſeruatorem noſtrum: niſi per Hebraiſmum intelligas nomen repetitum vice & loco pronominis demonſtrantis: vt Zach. 10, 12. vbi tamen itidem Meſſias Iehouah diſtingui a Iehoua ibi loquente, vt alibi, poſſit ac debeat. Quem Deum, vel Chriſtum, immo vtrumque, (certe enim per Chriſtum factum eſt, per quem & ſalui hic fore dicamur, & benignitas Dei praecipue, ἐπεφάνη.) illuſtraſſe, dicit, ſuam benignitatem atque humanitatem, offerenda nobis ſalute, non ex operum merito, quod nullum eſſet, ſed miſericordia ſola: per baptiſmum, vt lauacrum, quo redderemur homines noui, i. e. alii, per Spiritum S. largiter in nos effuſum. Verba, per Ieſum Chriſtum, ſeruatorem noſtrum, referenda videntur ad verbum ἔσωσεν, vſ. 5. ſed & ad ἐξέχεεν referri poſſunt; quia per Chriſtum a Deo dari dicitur Spiritus S. Ioh. 15, 26. vt omnia condita *per illum a Deo*, Ebr. 1, 2. id eſt, communiter cum eo: vnde *ſine eo* factum quidquam negatur, Ioh. 1, 3. Nam ipſe ait illo loco, a ſe miſſum Spiritum S. vt Ioh. 16, 17. Hi ſunt

mo-

mores, haec facta Dei & Chriſti, quin & Spiritus S. Conſilium autem triplex: 1) vt redderemur ſancti, innocentes, cum liberatione a culpa: quod & voc. δικαιωθεντες innuit, *abſoluti*, ex vſu Paulli & omnis Scripturae, vbi haud temere aliter adhibitum inueneris, & vſ. 5. non ex merito operum, quae feciſſemus: quae verba ad ſtudium ſanctitatis referri nequeunt; quis enim ſanus dixerit: hunc hominem reddidit meliorem, non, quo antea probus eſſet? aut: medicus illum reddidit valentem, magiſter ſapientem, non, quo antea viguerit aut ſapiens fuerit? Quod cui in mentem venerit ſuſpicari, vt correctione tali tollendum? Sed ſane, vt & 2) ſancti efficeremur: quod & res tota clamat, conſiliumque totius epiſtolae & proximus tenor, 2, 10. 11. ſequ. 3, 1. 2. & diuerſitas priſtinae vitae, vſ. 3. memorata: 3) vt redderemur beati, hic ſpe, Rom. 8, 24. κατ' ἐλπίδα (poſt quod ponendum eſt comma, nam ζωῆς pendet a voc. κληρονόμοι) olim vſu, in vita aeterna. Quid vltra exſpectemus a Deo, aut in ſenſu erga nos, aut in conſiliis, aut in auxiliis? In ſenſu, exhibuit benignitatem, miſericordiam, non factorum memorem noſtrorum, quae nos terreant: in factis, mortem filii ſui, qui ſemet (quid maius potuit?) obtulerit pro nobis, quo liberaremur; 2, 14. & Spiritum S. dederit, rite vſuris tali beneficio: in conſiliis, liberationem culpae & poenae, virtutem, felicitatem. At nos quid rurſus non debeamus aut non reddamus his ſenſibus in nos

Dei

Dei, consiliis, factis? Quid in gratiam eius non caueamus? Quod ipsum est consilium Paulli notantis istum morem Dei.

Ad Ebraeos Epist. quae haberet notandae personae maiestati, factis & moribus Christi, iam notata dedimus in Gen. Demonstr. tamen vt hic quaedam reddi, veluti spicilegio possint ac debeant 2, 10. 11. Decuit eum, per quem omnia, essent, ad cuius maiestatem omnia referrentur, per quem (id est, *a* quo: en manifesto hic διὰ de Deo patre:) per quem omnia essent, τελειῶσαι, beare & ornare perfecta felicitate auctorem salutis tot hominum & ipsum post (διὰ pro *post*) vexationes & mortem cum (vel qui, quia, aut postquam) ad felicitatem (δόξαν) perduxisset (ἀγαγόντα refertur ad ἀρχηγὸν,) tot. filios Dei, (per ipsum redditos tales.) Quid decebat Deum, i. e. dignum erat attributis eius, sapientia, aequitate, benignitate? Nempe, illustrare ac beare eum ipsum, qui hoc aliis quaesiuisset atque effecisset, ἀρχηγὸν, auctorem effectorem salutis eorum. Quid enim minus aequum, quam, expertem esse fructus commodique aliis parati ipsum auctorem? Quem ergo decebat? Deum, patrem Christi & hominum. Qui homines tam paterne bearet, vnicum illum filium non poterat non beare. Cur decebat? Quia propter illum omnia sunt, referunturque ad eius maiestatem: oportet, eam constare omnibus eius factis atque consiliis. Quia ab illo

auctore sunt omnia; debent etiam ita institui, regi, eo verti, vt dignum sit virtutibus, sapientia, potentia, benignitate auctoris & effectoris: vt appareat, qualis auctoris sit opus, laudet opificem, dignum eo appareat. Plane a moribus pendet argumentatio omnis. Nec minus 5, 5—8. Christi morem habet, non inuadentis honorem pontificatus sed recipientis mandatum a Deo. Quod mandatum Dei probat & repetit vs. 5. e verbis Dei, Ps. 2. Tu es filius meus: hodie genui te. Quae verba, quod & Ps. 2. ostendunt maiestatem Christi & diuinam & regiam, & Ebr. 1, 5. plane diuinam, non eo hic afferuntur, quod sit eorum auctoritate & significatione creatus, effectus, pronuntiatus pontifex interpres, reconciliator, sed quod ab ipso Deo patre prolata sint, filium declarante, non *vt* fieret, esset, aut diceretur; sed, *qui* iam esset: quem iuberemur, *quia* esset, talem agnoscere, amplecti, colere: qui pater haberet ius auctoritatemque creandi ac demonstrandi huius summi pontificis. Pater enim, qui rex idem ac dominus ciuium sit cui rei non possit praeficere filium, praefectumque commonstrare ciuibus agnoscendum? Sed idem Deus non poterat simplicem hominem adhibere tali negotio munerique: 7, 26. 27. 8, 4. 9, 14. 10, 11. 12. rel. Hoc ipso ergo, quod eum filium vocat monstratque suum eo sensu, quo hominem nullum, ne angelum quidem, 1, 4. simul designat eundem verum illum atque vnicum

cum ſacerdotem atque aeternum, qualis eſſe praeter Dei filium, nemo poſſit. Neque enim aut illis verbis effectus eſt Dei filius, qui iam eſſet, non magis profecto, quam illis: Tu es Pontifex, Pſ. 110. *factus* eſt pontifex aut creatus; ſed demonſtratus, ἐριθεὶς, Rom. 1, 4, nobis ita agnoſcendus atque amplectendus, vt illa deſignatione non fieret, ſed eſſe oſtenderetur: confirmatus, qui eſſet, non inſtitutus, qui fieret. Dudum quippe is erat, cum iſta loquebatur Deus, non ipſi, certe non illius cauſſa, ſed de illo nobis. Signat ergo & moderationem Chriſti, vt hominis, neque inuadentis non data, nec rurſus repudiantis data a Deo, ſed parentis vocanti, ad munus, cui neque obtruderet ſeſe, nec ſubduceret: & auctoritatem notat, inſtituti a Deo, & publice commonſtrati. Eiusdem Chriſti morem ſignat vſ. 7. 8. 9. primo a fiducia in Deum patrem declarata fundendis precibus, idque cum lacrymis & clamore magno: quod vt factum eſſe, conſtat ex actis extremorum Chriſti: ita ſignauit non modo magnitudinem & malorum, & ſpei, ſed, quod hic maxime Paullus ſpectat, veram humanitatem Chriſti, & munus pontificate. Quid enim proprium magis aut hominis, quam malis iactari, & ad Deum confugere, aut ſacerdotis, quam precari? Vnde & ἀρητῆρες Homero dicuntur. Quae ipſae preces & iunctae ſacrificio eſſent & locum ſacrificii obtinerent: Ebr. 13, 15. Vnde & *offerendi* vocabulo vſus

eſt. Ab obedientia deinde notat, quam ἔμαθεν, i. e. exercuerit, excoluerit, velut alienam a ſua perſona, maieſtate, diuinitate neque enim Dei eſt, parere; quam didicerit atque aſſumſerit, ſicut ſenſum malorum & dolorem, 2, 17. 18. & ipſum alienum a Chriſto, vt Deo. Vnde addit: *quanquam* eſſet filius ille nempe, quem C. 1. notaſſet; in quem nec ſenſus malorum nec parendi conditio caderet. Nam aliorum filiorum Dei, quales ſunt pii, proprium eſt & parere Deo, & ab eo ſalubriter caſtigari: Ebr. 12, 5—10. At Chriſtum, demonſtrauerat Paullus, longe alio ſenſu, alia conditione, eſſe filium Dei. Sed enim aſſumſit iſta omnia, noſtra cauſſa: hominem exhibuit, ſimilem per omnia nobis, praeter vitia; nec ſibi ſalutem reperit, ſed nobis. Hanc enim vim & efficientiam Paullus ponit & precum eius, & malorum: primo, exauditum eſſe ἀπὸ τῆς εὐλαβείας, vel, ob pietatem, obedientiae, patientiae, fiduciae in Deum, vel extimore & angore ereptum, a Deo, audiente eius preces: τελειωθεὶς, omni incommodo plane liberatum, in vitam perpetuam reuocatum, perfecta felicite ornatum, coelo receptum: ſane ſibi & ipſi, qua humanam naturam, merenti ac digno: 2, 10. iuſtitia Dei id poſcente: Phil. 2, 9. & clarius ac certius, quia διὸ ibi verti poſſit, *deinde*, Ieſ. 53, 12. vbi eſt, תחת אשר, ἀνθ' ὧν quod etſi de iure Chriſti in homines agit, ab illo aſſertos, quod quaeſitum illi, non vt Deo, ſed

vt

vt homini, vt Chriſto, vt aſſertori, manifeſtius docet Sacra Scriptura, quam vt locus ſit dubitandi aut repugnandi, Act. 20. 28. Rom. 14. 9. 2 Cor. 5, 15, Tit. 2, 14. 1 Cor. 7, 22. non tamen ius hoc ipſum illi foret, vt Chriſto, niſi eſſet Chriſtus, id eſt, niſi homo factus, nos aſſeruiſſet. Ioh. 5, 27. Ita neque humanae eius naturae eſſet vlla maieſtas, vlla felicitas, niſi eam diuinae iunxiſſet: quod non feciſſet, niſi voluiſſet homines aſſerere Deo & ſibi. Quod noſtra tamen cauſſa factum, res ipſa docet. Quid enim attinebat, hominem fieri, niſi nobis daretur? Felix erat ab aeterno, aeternum, perfecte, vt Deus. At voluit homo fieri, 7, 14. pati dolores & mortem, ibid. & vſ. 18. & hic vſ. 9. parentibus ei auctor iam eſt aeternae ſalutis, αἴτιος, effector; (non ergo doctor tantum, aut demonſtrator, ſed largiter, & is, cuius cauſſa, ob quem; *in ipſo* eſt aliquid, cur ſalui & beati ſimus, ſi illi paruerimus: idque exſtitit vt τελειωθεὶς, ad illam felicitatem euectus, per illam τελείωσιν, nobis & ipſis ſalutarem, noſtrae ſalutis cauſſam, non firmamentum modo illius, aut ſignum, ſed plane cauſſam efficientem. 6, 13. 17. 18. notat factum & conſilium Dei, memor illud plane morum eius vel maieſtatis. *Factum* eſt, iuraſſe Abrahamo: *conſilium*, vſ. 11, 18. vt rem firmaret fide, non promiſſi modo verum & iurisiurandi: quae ſunt duae res, in quibus non poſſit, in quarum neutra fallere poſſit Deus: *mores;* quia non poſſet, ceu

ſummus, iurare per maiorem, more iurantium: memor ſui, per ſemet iurauit, vt dignum erat ſummo. 7, 26. 27. iam ſupra notauimus, & huc tamen referendum, quia Paullus negat, alium pontificem congruiſſe aut ſuffeciſſe noſtris vſibus aut deſideriis, vt nil effecturum ad expianda delicta, aut homines Deo commendandos. Nec minus 8, 1—6. vbi, omnibus collectis, oſtendit, omnes numeros muneris pontificalis conſtari Chriſto non ritibus tamen defuncto in terra, ſpeciem habituris, ſed re ipſa, apud Deum in coelo valitura, ad vitam aeternam: cuius imaginem vt habeat Leuiticum tabernaculum. ita & ſacerdotes in terris habuiſſe figuram Chriſti, defendentis nos apud Deum in coelo. Et 9, 11. —14. dicitur Chriſtus veniſſe, παραγενομενος, (fuit ergo, antequam veniret: 10, 5.) pontifex futurorum bonorum i. e. qui ſuo ſacrificio, ſua ſatisfactione, ſanguine ac morte, vſ. 12. 14. non doctrina, vt aliena a pontificum munere nobis pararet bona noui foederis, 10, 1. aeterna, coeleſtia, per tabernaculum maius atque perfectius, h. e. per coelum, ad ſedem, Dei vt pontifex per tabernaculum in adyta, vel, per corpus ſuum & humanam naturam, (2 Cor. 5. 1.) quod tamen καταπέτασμα potius vocat, 10, 20. cum ſanguine non brutorum, vt pontifex, ſed ſuo, quem obtuliſſet Deo, pro nobis in cruce, valiturum pro nobis apud Deum in coelo: idque *ſemel*, quod & vſ. 28. notat, vna opera, in perpetuum valitura, & retro, & poſt illud ſacrificium

cium peractum, vſ. 26. quia eius ſacriſicii vis erat illa, ob illum, a quo redderetur, vt pro cunctis in aeternum valeret; quod cuius meri hominis ſit? nempe quia ſeſe obtulit per Spiritum aeternum, i. e. per naturam virtutemque diuinam, Rom. 1, 4. ſine qua nihil valeret meri hominis ſacrificium ſatisfactioque. Vnde & *aeternam* liberationem dicitur inueniſſe, paraſſe, effeciſſe: quia ipſe aeternus, & ſanguis & mors eius filii Dei aeterni. Sed quanta ſit vis, quae ratio huius *ſemel*, declarat vſ. 26. 27. 28. 1) valere iſtam Chriſti θυτίαν, ſatisfactionem, *pro delictis*, quod addit, valuiſſe & valituram eandem pro cunctis a) temporibus; alioquin, ait, ſaepius ei moriendum fuiſſet inde a condito orbe. Valuit ergo & retro pro cunctis hominibus inde ab Adamo viuentibus ante Chriſtum. Hactenus ergo, & qua illos, non potuit pertinere ad monſtrandam tenuitatem rituum legis, vt primitus illis ante Moſen non datae; ne a Moſe quidem vniuerſis; neque ad ſanctitatem firmandam doctrina aut exemplo: quorum illis neutrum innotuit. Qui ergo ad illos pertinuit aut peruenit, niſi delictis expiandis? Valere eandem demonſtrat 2) pro hominibus cunctis. Quod & eadem verba docent, & voc. πολλῶν, vſ. 28. quod, pro πάντων, (Rom. 5, 15. 16 1 Tim. 2, 6.) datum eſt oppoſito *vnius* & Chriſti, & ſacrificii: 3) pro omnibus delictis. Ecquod enim excipitur? Aut quorſum attinuit dici, pro omnibus hominibus omnis temporis mortuum, ſi non pro delictis omnibus? Nam, qui

omnium aes alienum dissoluerit, profecto & *omne* dissoluisse intelligatur. Et simpliciter ait: εἰς ἀθέτησιν ἁμαρτίας, vt aboleretur omnis omnino culpa: non corrigendo: de quo sermo esse nequit, vel ob vs. 25. 26. Quid enim pontifici adyta subeunti, cum *correctione* prauitatis? Aut quid voluit, retro vtique, ad correctionem sacrificium Christi semel peractum? Expiando ergo valuit, & tollenda culpa & poena. Semel item, quia *semel* omnes, *singuli* moriuntur, *vniuersi* deinde ad iudicium vocandi. Semel ergo & ille pro omnibus, omnium instar, velut pro vnoquoque semel morituro, semel: vt deinde semel omnes in iudicium veniant, habituri praemium vel poenam rite habiti beneficii huius, vel neglecti. Sed iudicium illud referre possis ad illud, quod vnicuique homini statim post mortem instet, vt Lazaro & diuiti, Luc. 16 latroni, statim a morte coelum exspectanti, Christo auctore, Luc. 23 quorum nil fieri sine praerogatiua priuati iudicii intelligi possit aut debeat. Ita commodius ratio apparuerit, cur a singulorum extremis, *semel cuique* subeundis, repetatur caussa & analogia mortis semel toleratae a Christo, cum praesertim & illud iudicium vel publicum omnium, vel priuatim singulorum, sit & dicatur ἐμφανισθῆναι, vel φανερωθῆναι, vt 2 Cor. 5, 10. vel ὀφθῆναι. Eius ergo vice, vt in illo absolueremur, venit Christus, ἐφανερώθη, vs. 24. ad Deum, expiator, vt

Pon-

Pontifex in adytum; quem Chriſtum amplexi, non ſubiacerent iudicio Dei ſeuero: Ioh. 3, 18. Sic & rurſus veniet χωρὶς ἁμαρτίας, i. e. non vt ille, quem Deus feciſſet ἁμαρτίαν pro nobis, 2 Cor. 5. extr. non iterum expiaturus delicta, vt quod *ſemel* perpetrarit, non repetendum, non iteraturus: ſed ſalutaris, ad ſalutem, daturus ſalutem, (ipſe ergo dator,) exſpectantibus eum. Quorum nihil eſſe, appareat, hominis meri, ſed omnia ſummi Dei. 10, 12. 13. notat, Chriſtum, *vno* ſacrificio peracto pro (curatis) delictis, *ſediſſe* ad dextram Dei. Quod non temere notat; ſed, vt opponat ſacerdoti, (vel ſacerdotibus) Iudaeorum: qui ἕστηκε, ſtat, ſemper occuparus, nunquam decedit ſtatione, vt nunquam defunctus ſacrificiis, vsque inſtaurandis. Quippe redit Leuitico pontifici, vt agricolis, (apud Virg. Georg 2, 401. 402.

labor actus in orbem;

atque in ſe ſua per veſtigia voluitur annus,

relatis ſolemnibus ſacrificiis, ac per orbem recurrentibus, maxime die expiationis. At Chriſtus, ſedendo, oſtendit, 1) ſemel ſeſe defunctum vna opera, 2) dominum eſſe. Quippe ſtant miniſtri, ſemper operoſi; ſedet regum dominus, deo dexter: Pſ. 110, 1. Quem & exſpectare, dicit, non otioſum aut deſidem, ſed regem, vice patris tuendo imperio eccleſiae, 1 Cor. 15, 25—28. hoſtibusque vincendis, morte ipſa ad extremum, nunc ſingulis ſubeunda, quoad haec facies ter-

rae maneat, tum vere iam nulli posthac. Id tempus, ait, exspectari a subtrahente interim adspectabilem praesentiam dum redeat iudex. Grauem sane notationem maiestatis Christi! Cuius patientiae & constantiae exemplum, Ebr. 12,2.3. iam bis notatum, & huc repeti cupimus: reliqua adiecturi, quod 12, 23. ait, sanguinem Christi meliora loqui sanguine Abelis, vindictam poscente, Gen. 4. cum ille veniam nobis poscat, afferat, aperiat firmet: & vs. 26. signat coelitus loquentem, omnia concutientem voce sua, legem ferente. Quod, seu ad Deum retuleris, seu ad Christum, & verum est per se, & tenori aptam, & perinde ergo ac liberum est; ostendit tamen & maiestatem loquentis, & periculum eius negligendi; vs. 25. Qui versus doceat, ad Christum haec referri, quia pergit & insistit in vocab. *loquendi*, e vs. 24. opponitque Christum Mosi, loquenti in terra; quod quid sit, interpretem habemus Iohannem Baptistam, haud sane recusandum Ioh. 3, 31. Constantiam idem notat ac firmitatem doctrinae, expiationis, formulae ab illo propositae, felicitatisque fidentium illi: cui formulae cedat Leuitica lex, mota ab illo & abolita: vs. 27. 28.. Sed ecce! Quam graui notatione morum Dei exterret, vs. 29. & ignis absumens est Deus, inquit, noster! Idem ille Deus, qui se tam benignum praebuerit nobis in Christo, vindex est seuerus & inexorabilis contemtoribus eius. Vnde notatur ad mores

Dei

Dei, non vnam virtutem Deo reddendam, neque vni eius attributo fidendum ſimpliciter eſſe; vt quorum nullo cedere poſſit Deus. Cuius ſe-ueritatem cum vera emphaſi notat, 10, 30. Nouimus eum, qui dixerit: Mea eſt vindicta! Ego vindex adero! Scimus, inquit, eum vindicare & poſſe & velle: hunc, ſi ſapimus, offendere caueamus! Perennitatem atque immutabilitatem, & vitae eius, & naturae & potentiae & voluntatis, & auxilii vel doctrinae & formulae ab eo propoſitae, robur fidei & conſtantiae notat 13, 8. Quem eundem denique notat *paſſum* fuiſſe extra vrbem: nempe mortem; nam reliqua intra vrbem tolerauerat: vt populum, non Iudaeos modo, ſed omnes Chriſtianos, vt patet e Ioh. 11, 51. ſibi & Deo ſacraret; culpa & poena liberaret; de *piaculo* enim ſermo hic manifeſtior eſt vſ. 11. quam qui de ſanctitatis ſtudio, ſolo vtique, intelligi queat; & addit: ſuo ſanguine: vt in piaculis Veteris Teſt. fiebat figura tenus piaculorum ſanguine. Quorſum id notat! 1) Vt intelligatur, Chriſti mortem eſſe piacularem, repraeſentatam, priſcis illis piaculis. Nil clarius! 2) vt hortetur pios ad patientiam eius imitandam exitu ex vrbe, i.e. relinquendis erroribus priſtinis, ritibus, vitiis, firmiter adhaerendo ei, firmiter tenenda doctrina eius, licet vt impuri, vt piacula, 1 Cor. 4, 13. e coetu Iudaeorum eiiciantur, vt Chriſtus, aut etiam vita priuentur. Sed

Ex

Ex Actis Apoſt. ne omittamus & Dei mores a Paullo notatos: addimus C. 13, 17—41. vbi inſtituit Paullus diſputationem de moribus Dei ſanis longam atque diligentem. Deum vocat *huius* populi, Iudaeorum: (τότε, dicit, nempe, quia & Graeci aderant:) ſcilicet, vt videant, non alienum Deum a ſe, aut alienam doctrinam induci, ſed eiusdem Dei, quem patres ipſorum ipſique coluerint eandem doctrinam, cui Deus per omnia iſta proluſerit viamque munierit, quam nunc doctrinam promere ordiatur. Memorat ergo eximium fauorem Dei in patres; vſus vocabulo ἐξελέξατο, amauit, ornauit, eximios habuit: non ipſorum cauſſa meritoue, ſed, quod, Meſſiam ex iis naſci monſtrarique, vellet; quos in Aegypto auxerit id enim hic eſt ὕψωσεν, educauit aluit: vt idem verbum ponitur Iſ. 1, 2. ex Ebr. רוממתי, vnde eduxerit eos, quos locaret in ſede diſcreta, notabili, ab aliis populis eminente vt Meſſiae ortus ex iis conſpicuus foret: magna patientia tolerarit eorum mores peruerſos, pepercerit iis ſeque accommodauerit, quos omni moderatione fouerit, perducendos ad maturitatem Chriſti ex iis prodituri: praetores iis impoſuerit, deinde reges; in quibus Dauidi, per quem iam propius accedit ad cauſſam, promiſerit Ieſum Seruatorem, ſalutis auctorem. Quae ſalus intelligi nequit, niſi aeterna; quid enim alia ad Dauidem, nemini ſubiectum nullo incommodo preſſum? Aut quid terreſtris commodi

prae-

praestitit Christus Dauidi, aut praestare potuit, ita promissus? Nec vero doctrinae morum aut exempli salubritatem intelligi, res patitur. Quid enim minus congruum, quam promitti Dauidi oriturum ex progenie eius, cui doceret voce & exemplo ea quae & sciret iam facienda Dauides, & vero faceret pie agendo? Quid ad Dauidem haec vtilitas futuri temporis? Aut vbi praestita ei per Messiam, aut in eo promissa? Sed porro notat Paullus, hunc Messiam, vbi venisset, a Iohanne monstratum, ad ipsos Iudaeos missum venisse, qui, damnato eo & ad mortem dato, κρίναντες, vs. 27. exitum praestiterint, inscii quidem ac nolentes, vocibus prophetarum, quae constiterint ratae in Iesu interfecto, sepulto, sed & rediuiuo: quod non in Dauidem cadere, demonstrat, sed in Iesum. Haec ita persequitur eo consilio, vt agnoscant & antiquitatem & fidem, ergo auctoritatem, doctrinae de Iesu, teneantque consilia Dei, agnoscendo, sequendo, quae iam inde velut e longinquo instructa perpetuo persecutus, ad exitum in Iesu perduxerit. Sed ad mores Dei rationemque quid hic pertinet? 1) Voluntas libera atque sui iuris, ἐκλογὴ, πρόθεσις, excerpendi ex aliis populis Iudaeos, a quibus suspenderet originem Messiae, ac genus demitteret: quod ex alio populo haud minus posset: 2) consilium benignissimum destinandi ac mittendi Messiae, sapientissimum idem, partim, reddendi eum conspicuum ac monstrandi, per

vnum populum, partim ſignandi, per promiſſa atque praedictiones: vnde & retro ſolatium ſpei, & poſtea fides redundaret certi euentus: 3) patientia in tolerenda hominum peruerſitate & peruicacia: 4) conſtantia ac perpetuitas (Gleichförmigkeit, Zuſammenhang,) formulae colendi Dei, ſalutisque hominum, inde ab initio prodendae, tuendae, inſtruendae, ſenſim & gradatim deinceps exhibendae, reddendae ac promulgandae, hominibusque omnium locorum ac temporum proponendae: 4) ſapientia, vertenti, in exitum bonum & conſilii ſui mala ipſa, quin delicta hominum: vt Iudaeorum odio vſus eſt ad exitum reddendum vaticiniis. vſ. 27. C. 2, 23. 4, 28. 5) fides denique reddendi promiſſa. Quae omnia oratorie notantur a Paullo, fidem facturo & auctoritatem conciliaturo doctrinae de Chriſto, a ſe iam proponendae. 14, 15—17. Deum notat Paullus, (is enim hic Paullus locutus intelligi debet ex vſ. 12. ὅτι ἐκεῖνος ἡγήγεμενος τῦ λόγυ) 1) omnia feciſſe, ſolum ergo colendum & a paganis ipſum vtique neque vllum alium, non falſos deos, non homines: 2) paſſum adhuc eſſe, homines verſari in errore, ignoratione & neglectu ipſius, ſua ſacra ſequi populum quemque, ſuo more viuere, vtut prauo: non quo illos negligeret plane; negat enim, paſſum Deum, ſeſe eſſe ἀμάρτυρον, ſed impreſſiſſe documenta & veſtigia ſui, variis beneficiis, per quae animi tangerentur atque admonerentur ſenſu veri vniusque numi-

numinis. Quod idem Athenienſibus ſignificat, C. 17, a cuius vſ. 24. ad 31. itidem, vt ad ſimiles, iſtis, loquens, notat in moribus Dei: 1) eſſe effectorem coeli & terrae: 2) haud egere cura hominum, vt idola, nec ſedere in templis, manu hominum factis: Ieſ. 66, 1. 2. vbique enim eſſe; 3) omnia omnibus praebere, vt ei praeberi a nobis nil quicquam poſſit: quod idolis ſuis pagani faciebant: 4) ex vno homine omnes in terris propagaſſe. Cur hoc ibi notat Paullus? Multis modis graue. Dici enim nequit quam multa errorum ludibria atque pericula diſcutiantur illo facto vnius hominis a Deo effecti. Quid enim offecit paganis, quo minus agnoſcerent veram originem generis humani, quod fungorum more effuſum crederent: vt Horatius ſomniat, Serm. 1,

Cum prorepſerunt primis animalia terris, rel.

aut veram conditionem, vera vincula ſocietatis humanae; quam fingerent aut temere conglobatam, aut alicuius facundia conciliatam, cum antea ſparſi agerent: vt, veri meliorumque rudis nugatur Cicero, de Orat. 1, 8. & in primis ac latius, vt in eo δογματικῶς aſſeueret, de Inuent. 1, 2. init. Vnde autem & illa ſomnia, noſtrorum quoque qua philoſophorum, qua Iuris interpretum, de aequalitate omnium, & inde oriunda libertate? Quae nunquam fuit, nunquam obtinuit per ea, quae de origine hominum ab Adamo refert ſcriptura. Quae & Athenienſium propria

pria ſomnia arguerent αὐτόχθονας ferentium ſeſe; quod ſtolidum & ἀσύσατον appareret vel per ſerem putantibus, vel cum illa ſimplicitate veri comparantibus. Iam quanta inde lux accendatur doctrinae de Chriſto vicario hominum, ex Rom. 5, 12. ſequ. elucet. Quid referre poterat ergo, quod propius pertineret vel ad errorem tollendum, vel ad veri ſemina ſpargenda? Quid, quod & inde diſcerent, homines non poſſe mutari in deos, cum omnes eiusdem originis atque conditionis? Eundem Deum notat, 5) curam agere effectorum a ſeſe, a) vniuerſorum: nam conſtituiſſe terminos locorum & tempora habitationi hominum in terris: quod iam pertinet ad prouidentiam Dei, in vniuerſis populis elucentem, quorum ſuo quisque tempore delatus ſit in ſedem diuinitus aſſignatam: non e terra effuſus quod & Liuius ridet, 1, aut αὐτόχθων, quales ſeſe iactabant Athenienſes: ſed & b) ſingulis conſulere, vitam & omnia vbique cunctis praebentem: vnde 6) & poſſe & velle ab omnibus vbique agnoſci, quaſi manibus palpandum, promtum & expoſitum agnituris: ſed 7) non iſto cultu, quo pagani illum dedecorent, aſſimulatum rebus corporeis, inanimis, ſenſu carentibus: quod iam ex ſua ipſorum natura, Dei genus, intelligere poſſint: 8) parcere velle adhuc verſatis in errore tam craſſo, tam voluntario, tam facile vitando: habiturumque illud tempus pro non acto, modo nunc reſipiſcant, nempe, qui tum vi-

viuant: neque enim vetera hic attingit dudum *mortuorum*, ſed priſtinos ſenſus moresque *viuentium*, vt Petrus, 1 Petr. 4, 2. 3. 9) poſcere animi mutationem, ſenſus morisque eamque homines omnes, ergo & paganos, ergo & Athenienſes, ad quos venerit ipſe Paullus interpres formulae huius: 10) iudicem fore omnium hominum certo tempore: cui iam nunc parari debeant amplectendo eius vero cultu, ne tam ſeuere rationem repoſcantur; iuſtum enim illud iudium fore, 11) per Chriſtum exercendum, velle ergo Deum, vt ad Chriſtum vertantur omnes, quem ὥρισε, demonſtrarit, commendarit omnibus amplectendum. Ita iam a naturali doctrina defertur vertiturque ad Chriſtianam, per legem ſane ex qua oſtendiſſet, Deum turpiter neglectum ac laeſum, mentemque vtique & vitam mutandam. Inde commendat *fidem*, Chriſto reddendam: cuius Chriſti fidem omnibus praebuerit, i.e. quem eſſe iudicem illum omnium, probatum dederit firmiter atque luculenter. Hoc enim eſt, πίσιν παρασχὼν, fidem fecit, adſtruxit rem argumentis firmauit. Fides tamen haud dubie poſcitur iis verbis, eaque Chriſti reſpiciens. Cur enim Deus fidem adſtruxit & auctoritatem circumdedit maieſtati Chriſti, niſi, vt haberetur fides? Adiuuari eadem dicitur argumentis. Quorum primarium, validiſſimum, omniumque inſtar, eſt & ponitur reditus Chriſti in vitam: 12) fidem ergo Chriſto

habendam a Deo poſci, extremo loco notat, vt ſummum, & cui reliqua praemiſſa dediſſet. Haec ita perſecutus in moribus Dei, & diligenter re nulla omiſſa, non natura Dei, non origine hominum, non prouidentia, non vlla aut materia eius, vniuerſis, ſingulis, aut parte, conſeruationis, gubernationis, auxilii, (*concurſus*,) nec vero cultu Dei, nec poenitentia, nec fide, quae Chriſto reddita fidat: non iudicio omiſſo, non reditu in vitam, & prudenter, tum pedetentim accedendo ad cauſſam etiam a laude Athenienſium tum adhibendo ipſorum ſenſu Dei ignoti, quem parati eſſent colere a teſtimonio poetarum ipſorum, quibus tantum tribuerent, a conſcientia naturae non corporeae aut inanimae, delatus ad reprehenſionem erroris, & poſcendam mutationem ſenſus morisque, ita ad ſummam rei delatus moderate quidem, ſine acerbitate, & ne omnia ſimul effunderet, obſcuriora illis futura, aut minus fidei habitura, vere tamen cum fide & ſimpliciter, nulla ambitione, memorando & diuerſa opinioni illorum, vt de origine hominum, vanitate idolorum, reditu in vitam, & vera, & vtiliſſima ac maxime neceſſaria, per quae deinde ad reliqua ducerentur, via ſemel aperta & re commota, additurus haud dubie plura & publice erat, niſi impeditus foret aliorum dilatione & reiectione, aliorum irriſu: qui philoſophi fuiſſe videntur, cum ex more iſtorum hominum & faſtu, quem nondum eruerunt, vt nil admit-

mittant, quod capere anguſtis finibus intelligentiae ſuae nequeant, libenterque & ſuperbe repugnent: & ex 16, 18. & priuatim peregit vel in iis, quos feliciter ad Chriſtum vertiſſet, vſ. 34. Vnde vani ſunt, qui, omnia hic effuſa a Paullo, volunt, neque attinere, quidquam vltra doceri de formula Chriſti: quaſi vicerint, nil *vltra* Paullum allaturum fuiſſe, ac non ταμιεύσασθαι, ſapienter, aut ſepoſitis reliquis, donec illa probaſſet, aut pertexturum, niſi impeditus aut excluſus foret. Nimirum iſta erant *elementa prima* doctrinae Dei & Chriſti, Ebr. 5, 12. 6, 1. quae his ipſis partibus cenſet 6, 1. 2. quas hic memoratas perſequitur. Ac tamen ibi addit baptismum, de quo hic tacuit. Non τελειότης illa erat, Ebr. 6, 1. non ſolidior cibus, 5, 13. 14. 1 Cor. 3, 2. ſecuturus, ſi pergere poſſet: quin ſecutus haud dubie in Dionyſio, Damari, aliisque: quem capere non valentes Ebraeos & Corinthios quod grauiter reprehendit, proponendum vtique & ipſum, oſtendit, non diſſimulandum, aut pro ſuperuacuo remouendum: *modum* tamen ſeruandum, temporis, neceſſitatis facultatis, vſus diſcentium nec ſimul omnia effundenda. At nos, cum tirones docemus formulam Chriſti, non paganos vtique fingimus, aut cum imbutis idolorum errore agimus: ſecure aggreſſuri arcem ipſam rei, Chriſtumque propoſituri: ordine tamen, quem res poſcat,

&

& ingenium vel vniuerſorum, vel ſingulorum vt a natura ad legem, a lege ad Chriſtum progrediamur, Paullo duce, ad cuius mores & prudentiam pertinet iſta ratio ταμιεύτεως vel ταμιευτικὴ, ab ipſo notata illis locis, 1Cor. 3, 1. 2. Ebr. 5, 11. 6, 1 — 3. & hic exhibita per rem ipſam: quae grauior ſit morum notatio atque euidentior omni profeſſione, & ipſa tamen huc adhibenda, vbi fides & conſilii ratio ſit probanda, vt in iſtis locis.

Haec fuit ſylua & *materia* eloquentiae Paullinae, *pars prior* natura, *rerum* atque cauſſarum. Conſequens eſt vt notetur modus & forma eius materiae cum *tractandae*, tum *eloquendae*. Quod altera pars ac tertia Deo fauente, reddet.

